UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

urn:nbn:de:hbz:466:1-45834

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2654

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Cunctí dies eius doloribus & ærumnis plen

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ÆRUMNÆ D. N. JESU CHRISTI.

A VENERABILI

P. F. THOMA DE JESU
ORDINIS EREMITARVM
SANCTI AUGUSTINI

Compositæ in Carcere apud Mauros, ac postea ex Lusitanica Lingua in Castellanam

Ex hac

A P. LUDOVICO FLORI SOCIETATIS JESU
in Italicam
A. P. HENRICO LAMPARTER
ejusdem Societatis in Latinam traductæ.

Editio altera cum locuplete Indice.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Serenissimi Electoris Bavariæ.

Collegii S. J. Paderb. 1766

MONACHII

Sumptibus JOANNIS WAGNERI, & JOANNIS HERMANNI
à GELDER Bibliopolarum Monacensium.
TYPIS SEBASTIANI RAUCH.

M. DC. LXXVI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRIVILEGIUM.

EGo Benedictus Painter Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, pro potestate à Patre nostro Ioanne Paulo Oliva Præposito Societatis IESV Generali acceptâ, concedo, ut liber dictus Ærumnæ D. N. JESU Christi, conscriptus primùm à Venerabili P. F. Thoma de IESV Ordinis Eremitarum S. Augustini Lusitanicè, postea in Castellanam & Italicam, & ab alio è Societate nostra in Latinam Linguam translatus, atque antehac jam Ingolstadii impressus, secundò in lucem edatur. Simul etiam D. Ioanni Wagner, & D. Hermanno von Gelder Bibliopolis Monacensibus Electoralibus, pro hac secunda impressione tantùm, Ius Cæsarei Privilegii usurpandi indulgeo, quo Typographis, & Bibliopolis omnibus facultas adimitur, eundem sine Superiorum consensu, imprimendi, recudendi, aut intra fines S. R. I. importandi, & importatum distrahendi. Datum facultatem manu meâ & officii Sigillo munivi. Oeniponti 18. Maij 1676.

BENEDICTUS PAINTER.

VIRO DOLORUM IESV CHRISTO DOMINO SUO PATIENTISSIMO.

ÆRumnas tuas, IESV, VIR DOLORVM, Tibi dedico, Auctor Auctori suo. Neque enim censeri debeo in hoc opere tuo meóque Tibi consecrando rei alienæ reus, ac injustus invasor esse. Nam etsi Ærumnæ tuæ sint; sive tamen in eis meas culpas, sive tua infinita merita expendam, meum est, quidquid pro me tolerâsti. Meas igitur Ærumnas, ut à me ingrato & reo profectas; & tuas, ut à Te tanta charitatis immensæ alacritate acceptas, Tibi offero, & unà meipsum, Ærumnarum tuarum omnium maximam: quam tamen solam solus potes & cupis facere felicem. In tuis autem denuo vulgandis Ærumnis præcipuum mihi lucrum erit, si opus Patientiæ tuæ, olim in Te hujus vitæ

incommodis atque carnificum manibus ceu prælo impreſſum, & nunc typis mitioribus recuſum, grati ingratique Mundi animis imprimatur: ut lector pius mecum ſe dignum faciat, quem cæleſti Typographia in Librum Vitæ inſeras: ubi Ærumnas tuas, & noſtras tuarum contactu ſacratas, Te noſtrâ, nos tuâ causâ pertuliſſe, læti in æternitatis beatæ Hiſtoriâ, poſt hujus vitæ Annales, legamus. Ita vovet ex animo, hoc eſt, ex Ærumnarum tuarum officinâ, ô IESV Patientiſſime!

Servorum, tuis Ærumnis
Redemptorum, minimus

JOANNES WAGNER.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Tanta gratia fuit Libri de Ærumnis Christi in Regnis Lusitaniæ & Castellæ, simul prodiit in lucem; tantæ virorum doctrinâ & virtute præstantium probatio, ut sæpius utrâque linguâ impressus fuerit, quòd quisquis perfectionis erat studiosior, qui de illo audivisset, ejus copiam fieri sibi desideraret. Postea verò in gratiam eorum, qui neque Lusitanicè, neque Hispanicè norant, à P. Ludovico Flori, Societatis IESV, Italicè versus non minorem peperit fructum; quem multò etiam abundantiorem fore speravi, si Latinè legi posset ab iis, qui nec Italicam callent. Ita igitur eum exhibeo: tu si non minorem tanta commendatione inveneris, fruere, & operam versionis planæ ac simplicis, uti res hæc postulare videtur, boni consule. Equidem arbitror Auctorem, qui inter durissimæ captivitatis apud Mauros ærumnas, pro suo & concaptivorum solatio ista conscripsit, penitissimè introspexisse sensum & affectum, quem Christus Dominus noster habuit inter gravissimos ac perpetuos labores & ærumnas, quas nostræ salutis causâ suscepit. Dignus proinde, qui legatur ab iis, qui inter inevitabiles hujus vitæ miserias volunt, ex Apostoli præcepto, sentire in seipsis, quod & in Christo IESV: ut placeant Patri Æterno, qui in solo sensu Filii sui Vnigeniti sibi complacuit; neque probare potest, quod è sensu Christi non sit. Cùm enim illos, quos elegit, prædestinaverit fieri conformes imaginis Filii sui; non erunt ei conformes, nisi in eundem cum ipso sensum devenerint.

SUM-

SUMMARIUM VITÆ P. F. THOMÆ DE IESV.

THomæ à Jesu Pater fuit Fernandus Alvarez de Andrada, præcipuæ nobilitatis in Regno Lusitaniæ: qui cùm studiosissimus Ordinis Eremitarum S. Augustini esset, Thomam jam decennem cum Fratre ejus Didaco de Payva de Andrada (cujus doctrina & virtus toto regno ex Libris editis & Concionibus, nec non in Concilio Tridentino postea claruit) P. Luisio de Montoya, conspicuæ sanctitatis viro, dedit instituendum Ulysipone in Monasterio Dominæ Nostræ de Gratia: in quo Thomas, cùm esset annorum quindecim, habitum Religionis assumpsit. Postea studiis Philosophiæ ac Theologiæ Conimbricæ absolutis, cùm Conciones habuisset magno cum fructu, aliquot annis Novitios ad eximias virtutes, maximè ad amorem Dei, & studium Orationis instituit, singulari bono Ordinis. Et quia summo studio tenebatur disciplinæ Religiosæ, nonnullis id flagitantibus, domicilium pro Congregatione Reformatorum approbante P. Luisio de Montoya & plurimùm favente Cardinale Henrico, qui postea Rex fuit, ædificare moliebatur, qualia cernuntur in Italia. Sed tanti contra eum excitati sunt motus, ut coactus fuerit à cœpto desistere, ipso etiam P. Montoya suadente: quam tempestatem non tantùm hilariter, summâ patientiâ, silentio, & pace animi tulit; sed etiam adversarios magnis beneficiis afficere studuit: quòd cùm admirati fuissent aliqui, respondit: Ut alicui benefacias, non esse spectanda ejus merita, cùm Deus nobis innumera bona conferat, nihil eorum promeritis. Orationi & Lectioni SS. PP. adeò deditus fuit, ut nunquam ante Matutinum decantatum somnum, eúmque perbrevem admiserit. Eo studio magnam peritiam rerum divinarum, & gratiam cum aliis eam communicandi est consecutus: Cultûs divini promovendi studiosissimus fuit: admirabili charitate erga miseros

miſeros & ægrotos, quibus & medicamenta procurabat, & ſuâ manu ſcitè parabat. Quas ob virtutes notum toto regno Rex Sebaſtianus anno 1578. ad infelicem illam expeditionem Africanam ſecum duxit, pro ſolatio ſui exercitûs: cui maxima cum charitate ſervivit in rebus, ad corporis & animæ neceſſitatem ſpectantibus: quæ dum ſtrenuiſſimè facit, in prœlio milites ad fortiter pro Fidei Chriſtianæ propagatione pugnandum hortando, ſaucios curando & expiando, à Mauro graviter vulneratus in humero concidit, & ab alio Mauro captivus abductus ac Morabuto cuidam (ſic Mahometicos Eremitas nominant) eſt venditus: qui principio ſatis humaniter eum habuit, magnisque promiſſis à fide Chriſtiana ſtuduit avertere; at cùm ſe fruſtra eſſe videret, eò quòd ipſum Thomas longè ardentiùs ad Chriſtum pertrahere conaretur, luculentè oſtensâ abſurditate impiæ legis; denudatum & oneratum ferro in tetrum carcerem conjecit, in quo plus verberum plerumque ei dabatur, quàm panis. Ubi cùm videret ſe jam aliter Chriſtianis prodeſſe non poſſe, ſcripſit librum de Ærumnis Chriſti, paucis illis horis, quibus aliquid lucis affulgebat per anguſtam rimam carceris, ut ejus lectione animarentur in ſua ſervitute. Maurus autem inclementiùs eum habere in dies, ut ſqualore, flagris, & fame confecto, cùm Chriſtum non poſſet, ſaltem animam exprimeret. Quod ubi reſcivit Franciſcus Acoſta, Regis Henrici Orator, qui Marochii de redemptione captivorum agebat, effecit, ut Thomas quamprimum è manibus crudelis Morabuti eriperetur; quem apud aliquos Mercatores paucis diebus nonnihil recreatum, ut Marochium venit, nobiliſſimi quique Luſitanorum, qui captivi erant, apud ſe habere contendebant: ſed ille multis precibus ægrè tandem obtinuit, ut mitteretur in eum locum, ubi pauperes tenebantur captivi ad duo millia, dicendo, ſe ſperare, apud ipſos citiùs redituras vires corporis, quàm apud Nobilium commoda. Quod etiam accidit: nam brevi plena ſanitate potitus, cœpit ſe totum pauperibus illis impendere, Sacramentis & prædicatione illos animando iis horis, quibus otium aut reſpiratio dabatur eis à dominis. Tunc enim convocatos

)( )(campa-

campanulâ sic instituebat, ut locus cœnobio similior evaderet, quàm ergastulo. Egentibus apud opulentos corrogabat stipem, dissidentes conciliabat, satagebat impedire peccata & scandala, id unicè dolens, quòd etiam in illo miserabili statu non deessent, qui viverent in magna licentia : quare etiam librum composuit, quo ad pœnitentiam instituerentur ; qui omnibus multùm profuit. Utebatur verò tantâ ubique integritate & constantiâ, ut, cùm quondam apud Oratorem Sacrum faciens, notâsset ingressos tres Gallos hæreticos, qui Mauris arma vendiderant, noluerit pergere, donec illi façesserent. Sed & Mauros, & qui à Christiana Religione defecerant, hortando ac disputando, & quocunque poterat modo, conatus est ad viam salutis reducere ; nec sine fructu: nam aliqui agnito errore suo, redierunt in terras Christianorum ; alii etiam pro fide glorioſa morte defuncti sunt. Hos inter eminet Petrus Navarrus, Matrito oriundus, cui Xerifus Rex permultùm fidebat. Is, dum in terras Fidelium unà cum multis captivus, hortatu Thomæ revertitur, è via retractus in foro Marochii, post exquisita tormenta, in confessione Fidei, Cruci affixus est. Antonius Mendez Lusitanus Subdiaconus, inter captivos ita profecit ex doctrina & exemplo Thomæ, ut post ejus mortem suppleverit vices illius, & postea cum septem Juvenibus, etiam captivis, quos Xerifus inter suos Ephebos habuit, Marochii pariter glorioso Martyrio defunctus sit. Paria conatus est inter Judæos, inter quos Stephanus Diaz, transfuga Christianus ; qui nuper è Lusitania profectus, assumpto nomine Joseph, pro magno Rabbino se jactabat. Is perfidiæ suæ causas conscriptas miserat Thomæ, provocans eum, ut refutaret, si posset ; sed noluit primùm respondere Thomas, quòd videret non studio veritatis, sed jactantiæ solius illum id petere. Postea tamen à Christianis inductus confutavit illum tam copiosè, doctè, & luculentè, ut pœnituerit Judæos, rationes illas unquam produxisse in medium. Hunc in modum quatuor annos traduxit, cùm soror ejus Comitissa de Linares, & alii cognati de illo redimendo egerunt ; quod negotium etiam Rex Philippus commendavit Oratori suo, quem habebat

bebat Marochii. Quod ut intellexit Thomas, dixit certum sibi esse mori in servitio captivorum Christianorum Marochii, sive redemptus fuerit, sive captivus. Proinde lytro illo potiùs redimendos alios, qui magis indigeant: sibi enim melius esse vivere, & mori captivum pro salute suorum sociorum, quàm liberum cum tanta jactura: quod etiam scripsit ad suos, præsertim ad quendam Nepotem suum Religiosum, obtestans eum, ut persuaderet suis cognatis, ne quidquam curæ de sua liberatione suscipiant. Nam etsi omnia sua divinæ dispositioni permittat, sibi tamen constare, quòd placeat Deo se mori in hoc statu: id unum sibi dolere, quòd non degat in tanta miseria, in quanta videret alios captivos mori: quia Orator Lusitanus peculiarem sui curam gerat. Idem sæpius indicavit aliis, revelatum sibi divinitus esse, quòd sit moriturus in hoc statu. Ceterùm ad suprà memorata opera charitatis, jungebat rigidas pœnitentias, jejunia ac disciplinas, quæ nunquam intermisit, sed duplicavit in Quadragesima, cùm interim quotidianas conciones haberet. Quo factum est, ut gravi morbo corriperetur. Eum cùm sentiret fore supremum, summâ devotione se paravit ad mortem, & in Hebdomada sancta iteratò se Sacramentis munivit. In die Parasceves visitatus ab Oratore Lusitaniæ, impensè illi commendavit pauperes captivos, cúmque is videns, eum ad extrema tendere, nollet abire, dixit se ante Pascha non moriturum: proinde se reciperet interim domum. Præterito jam die Paschatis, quòd intellexisset aliquos captivos, desperatione suæ redemptionis, cogitare de deserenda Fide, vocatos semimortuis, at ingenti spiritu prolatis vocibus, gravissimè cohortatus est ad constantiam, certum eis diem nominando, quo venturum esset lytrum eorum, & vicissim ab eis promissionem Fidei servandæ exegit. Inter quæ collapsis omnino viribus, invocato sæpius dulcissimo Nomine Jesu, placidissimè Deo spiritum reddidit, ac die ab eo prædicto lytrum eorum venit. Obiit magnus hic servus Dei 17. April. Ann. 1582. primo die post Pascha, ætatis suæ Anno 53. captivitatis quarto: quod 14. annis antè prædixerat quibusdam sui Ordinis, quorum in Novitiatu

Magister fuerat. Nam cùm hi in Indiam navigaturi ei valedicerent, ipsis gratulatus gloriosam hanc missionem, ut animos adderet ad sufferendos labores pro Christo, adjecit se quoque venturum in similia, licet in alia Regione. Nam post aliquot annos navigaturum se ad terras infidelium, unde in Patriam rediturus non sit, sed assecuturus tamen ipsos in cælo, post exhaustos pro Domino graves labores. Quod illi cognitâ ejus morte testati sunt, nominatim Reverendissimus Dominus Frater Gregorius Quemado, Coadjutor Archiepiscopi Brigantini. Divinitus autem rescivit mortem ejus Beatrix Vaëz de Olivera, Monialis ejusdem Ordinis, quod suo Confessario retulit sex mensibus antè, quàm literæ de eodem felici obitu veniissent ex Africa.

INSTRVCTIO
Quis fructus sit quærendus in consideratione Ærumnarum Domini IESV.

Caput I.

I. MAgna pars eorum, qui profitentur se studiosos perfectionis Christianæ, decipitur indiscreta tractatione rerum spiritualium, dum aggrediuntur eas præposterè: & cùm legunt pœnitentias, fervores, & raptus contemplativorum, nec non mira, quæ Spiritus divinus quondam est operatus in illis animabus mortificatis, & perfectè unitis cum ipso, sectantur illa miranda, neglecto fundamento, quo illa nituntur, & viâ, quâ pervenitur ad illa. Est autem hujus erroris hoc tempore majus periculum, quàm olim. Nunc enim plurima de his rebus doctè scripta versantur in manibus, & à plurimis intelliguntur, sed non exércentur à plurimis: multum est in lingua, parùm in manu & usu.

II. Hujus mali causa non minima est, quòd, cùm Deus ubique sui sit similis, incipientibus primo fervore se suavem exhibeat; hi suavitate illâ metientes profectum, se jam plurimùm in virtute processisse sibi falsò persuadeant: ferè ut qui parùm peritus artis,

tis, quando ſcitè admodum delineatam & primis coloribus inductam videt imaginem, admiratur & laudat eam, quaſi omnibus lineis perfecta jam ſit; cùm nihil habeat, niſi præparationem quandam & initia, donec ei perfectio & ultima denique manus accedat. Sic iſti decepti primis quaſi lineis bonorum deſideriorum, & guſtuum ſpiritualium, quos Dei benignitate ſentiunt, propter ſimilitudinem quandam cum iis, quæ perfectus amor Dei ſolet efficere, arbitrantur ſe jam attigiſſe cenſum illuſtrium ſervorum Dei, & quaſi illa, quæ de ſanctiſſimis quibusque hominibus legunt, vel audiunt, non alia forent, quàm ea, quæ ipſi experiuntur ac ſentiunt, domum ſine calce, tectum ſine muro ſtruentes, quavis tentatione prolapſi agnoſcunt, ſe fœdis modis deceptos.

Tria plerumque ſigna ſunt hujus fallaciæ. Primum eſt Securitas quædam, quam falsò pacem nominant. Eâ ſic obfirmantur, nullius ut conſilium audiant, cùm virorum præſtantium longo uſu rerum divinarum conſtans doctrina ſit, eos, qui dedignantur conſulere alios plura expertos, non Deo familiares & contemplativos, ſed proprietarios eſſe; quia longè à vera via perfectionis aberrant, & ſub ſpecie zeli, facilè alios judicant & condemnant: cùm veræ virtutis ſit, non indignari aliis, neque pluris facere ſe ipſos, quàm alios. Ex hoc naſcitur ſecundum ſignum, Voluntas propria, quâ ſub ſpecie veritatis pati non poſſunt, ut eis quisquam contradicat. Unde majorem partem ſunt impatientes, & liberi oris: & quod pejus eſt, excuſant hæc omnia ſpecie virtutis: cùm tamen iſta radicem habeat in abnegatione propriæ voluntatis, manſuetudine, tolerantiâ, & ſilentio. Tertium eſt, quòd abrepti ſuavitate, quam ſentiunt in ſuis exercitationibus pietatis, parùm prompti ſint ad exercitia virtutum, reputantes ea pro impedimentis, cùm revera ſint veri fructus exercitiorum ſpiritualium, & nervi ac robur, quo ſuſtentatur ſpiritus. III.

In quanto periculo verſentur hi, paucis dici non poteſt. Medium præcipuum ſe præſervandi ab hoc malo, & inde ſe liberandi eſt, nôſſe, in quo ſita ſit ſubſtantia vitæ ſpiritualis, & eam ha- IV.

berè pro Cynosura, & Regula exercitiorum suorum. Est autem ea, Mortificatio & Amor. Mortificatio, quæ non accendit amorem Dei, suspecta est: Amor, qui non mortificat, non meretur divinum hoc nomen. Hæc est umbra, quæ absolvit picturam & imaginem viri perfecti: hæc dulcedo subacida, quæ saporem Deo gratissimum facit, & unde anima mirificè crescit. Qui proficere cupit, semper in hoc exerceri debet, & in omnibus rebus hæc duo spectare & quærere: circa hæc duo sese examinet, in his constituat fundamentum & fastigium suum. Et quia in actionibus liberis concurrunt Deus & anima, contingit variis modis decipi in vita spirituali. Unde, qui securè vult incedere, semper majorem curam debet habere mortificationis, quàm donorum amoris Dei: qui, cùm sit proprius Magister perfectionis, non omittet illa largiri, quomodo & quando conveniet. Solet autem non facere mirabilia sua, nisi in animabus mortificatione, tanquam propriâ dispositione ad illa dona, paratis: quidquid autem priùs dat suavitatis, favor & illecebra est ad mortificationem, ne terreantur ejus acredine. De qua nunc solùm id dicemus, quod ad fructum, ex Ærumnarum Domini consideratione capiendum, pertinere videbitur.

V. Quando sermo est de Mortificatione, intelligendum est, nervum & substantiam ejus consistere in omnimoda resignatione & renuntiatione suæ personæ, & omnium rerum internarum & externarum, etiam cælestium, in arbitrium Dei, semper & in perpetuum, sine omni resistentia voluntaria. Quod quidem auditu suave est, sed continuam luctam requirit; quòd ei repugnet natura: éstque hæc illa contradictio, quem S. Paulus ait à carne fieri spiritui, dum illa dominium & libertatem affectat, spiritu conante illam subjicere sibi ac beneplacito Dei. Et huc tendunt omnia exercitia spiritualia, ut homo fiat instrumentum divinæ voluntatis in omnibus rebus absque resistentia. Nam quemcunque Deus invenit sic præparatum, ei largissimè bona sua impertit: & quo magis mens est libera, resignata, & Deo subjecta, eò major, purior & sublimior in ea fit Amor DEI: & vicissim quò

major

major est amor, eò purior, fortior, & perfectior fit resignatio: ut hæc illius, & ille vicissim parens hujus possit videri. Hic est fons à Deo positus in Paradiso terrestri, qui divisus in diversa flumina, rigat & fœcundat omnem terram, in quæ plantatæ sunt arbores virtutum: nam hæ succum ex ista aqua divina trahentes, copiosos afferunt fructus vitæ. Cùm ergo hoc fundamentum, & perfecta dispositio sit ad fructus & dona S. Spiritûs, omnes tentationes huc tendunt, ut hanc voluntariam & plenam resignationem in voluntatem Dei impediant. Ob eandem causam Deus, qui novit, quâ maximè ratione malis nostris succurrendum sit, ordinavit, ut via ad cælum perpetua Crux, Labor, & Ærumna sit. Nam hinc tribulatio adimit homini omnem gustum rerum delectabilium, ne ita infrunitè feratur in illas: inde verò sua hominem infirmitas adigit ad suppetias poscendas à Deo: atque ita Crux eum & refrenat à delectationibus terrenis, & extimulat ad quærendas cælestes.

In hac Via crucis Deus constituit veram sapientiam Spiritûs, ut, quisquis extra eam incedit, erret ac decipiatur imprudens. Hoc voluit esse signum amicitiæ suæ: nam & in ea magis exercet majores suos amicos, & hi majores labores desiderant ejus amore. Neque ab hac lege ullum excepit, quantumvis puri & nitidi cordis, qualis fuit Virgo Domina nostra, cui majorem partem suæ crucis communicavit. Et quicunque videntur ardentiores in amore divino, ac majori fervore & suavitate charitatis donati, non est facilè cogitare, quas patiantur ærumnas, ex eadem charitate tantò uberiùs effluentes, quantò illa est major. Eidem legi se Christus ipse submisit, nec alia re suum erga nos amorem contestari voluit, quàm incedendo per eandem semitam, quâ nobis eundum est. Nam simul primùm factus est homo, nullum neque tempus, neque locum habuit, quo nos haud amaret, ac proinde etiam, quo non pateretur; ut ne in ipso quidem utero Matris, non in infantia, nec in juventute, totáque vita, usque ad mortem, fuerit sine cruce. VI.

Cùm

VII. Cùm igitur hæc via tam necessaria sit ad obtinendam veram sapientiam Spiritûs, & purum amorem Dei Domini nostri, & ex altera parte natura tantopere & continuò ab illa abhorreat; non est res, quâ magis juvetur anima ad onus crucis ferendum, & submittendum se Deo, sine repugnantia in omnibus, quæ ipse voluerit & ordinaverit, quàm jugis memoria & consideratio Ærumnarum Domini Jesu, propter multos fructus, quos affert. Nam priùs intelligit per eam homo, quantum Deo debeat, & quantum sit meritus à nobis amari, quámque securè ei possimus confidere: qui enim tam fidelis fuit, ut pro nostra salute nulla in re parceret sibi, quomodo non peculiari curâ nos ducet ad omne bonum, si nos ipsi totos integrè committamus, & resignemus? Ex hac Resignatione protinus oritur singularis quies ac tranquillitas in omni re, quæ nobis acciderit. Quia præsentia ærumnarum, & amoris Domini Jesu facit, ut omnia accipiamus à fideli manu ipsius. Unde porrò nascitur tum securissima confidentia in ipso, quoad omnia præterita, præsentia, & futura; cùm diffidentia de se ipso, dum videt homo sua mala tanta fuisse, ut aliter quàm tantis Christi Domini nostri Ærumnis curari non possent: unde abhorret à se ipso, quòd ea commiserit: & agnoscit suam inopiam, & imbecillitatem, quâ in peccata prolabi potuit, non tamen resurgere sine Christi Ærumnis. Ex his radicibus oritur mox Amor Dei, minimè otiosus & iners: affert enim secum desiderium conformandi se Christo, & pudorem, quòd non semper eum sit imitatus: ideò studet compensare, quod neglexit, & ex amore currit alacriter in domum Domini Jesu Patientis & Crucifixi.

VIII. Ex hoc Amore & desiderio imitandi Christum provenit alterum fundamentum vitæ spiritualis, quod est suave exercitium virtutum. Sic enim præparatur animus illo amore ac desiderio, ut, licet non semper adsit occasio virtutis cujuslibet, omnium tamen gustu quodam afficiatur, & ad omnem earum occasionem sit promptus ac fidelis. Et hoc volunt, qui dicunt, in Oratione exerceri omnes virtutes; quia in ea exercetur amor Dei,

Dei, qui efficit in anima idem, quod creber usus illarum; hoc est, suavis quædam facilitas, ac delectabilis inclinatio ad earum exercitium, quem Doctores habitum nominant. Ita dixit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit,* 1. Cor. 13. 4. *omnia sperat &c.* Quia Amor Dei promptum facit ad omnem usum virtutum, sine labore ac molestia, ut satisfaciat sibi ipsi, & similis fiat Domino Jesu, quem amat.

Quanta bona consurgant ex his fundamentis Amoris, Resignationis, & Imitationis, quæ ponit consideratio ærumnarum Christi, verbis explicari non potest. Sufficit, eos, qui fideliter illis insistunt, saturari hoc melle de petra Christi, & haurire affatim suavem liquorem scaturientem ex ærumnis & cruce, quæ oculis mundi durissima petra videntur, sed sunt unici & proprii gradus, quibus paulatim sublevamur ad summum culmen perfectionis. Quare in consideratione Ærumnarum Domini versari debemus eâ intentione, ut accendamus in nobis ignem amoris integrè, fideliter, & confidenter nos resignemus & excitemus juge desiderium imitandi Christum, semper habentes ob oculos, quòd, quemadmodum in cælo Deo similes erimus, quando videbimus eum, sicuti est in gloria; ita in terra similes ei fieri debeamus, quando consideramus eum, sicuti fuit in suis ærumnis. *Qui enim dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille* 1. Joan. 2. 6. *ambulavit, & ipse ambulare.* Sic autem ipse ambulavit, ut se in miseriis nostris exhiberet nobis quàm simillimum, nequaquam contentus, eas libare tantùm primoribus labris. Postulat igitur noster in eum amor, ut hilariter usque ad mortem divinis obsequiis insistamus, quacunque nostrâ molestiâ: quandoquidem id est præcipuum, propter quod vita nobis concessa est. Etenim, si res spirituales tantùm aspiciamus, ut bona quædam, facilè quidem vacabimus eis ad horam; reliquas autem actiones prætermittemus sine fructu, & jacturam unius etiam horæ, quâ spiritualia peragenda erant, parvi pendemus. At si spectemus illa, tanquam res quasdam summi momenti, propter quas vivimus, easque tali modo suscipiamus, eas magno cum incremento perfectionis & salutis nostræ peragemus: quo caremus, quando

)( )( )(illa

illa non cum tanta æstimatione tractamus. Paucis ista complexus est S. Cyprianus, cùm dixit: *Si sufficis tu DEO, sufficiat tibi DEVS.* Utique si Deus habuit te pro principali intento, & causa suarum ærumnarum & vitæ, ut salvum te faceret; quid magni erit, si tu ipsum habeas pro principali intento vitæ & actionum tuarum, ut semper eum quæras, ames, & imiteris? Meminerimus primum ejus actum, eo momento, quo ex voluntate Patris Æterni assumpsit nostram naturam, fuisse amorosam ac voluntariam obedientiam & submissionem, quâ acceptavit omnia, quæ illi propter nos perpetienda offerebantur: prima ejus Verba, quæ à S. Luca referuntur, ista fuisse: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* & ultima ante mortem: *Pater! in manus tuas commendo Spiritum meum!* ut adeò vitam, quam diligendo, obediendo, patiendo cœperat ac traduxerat, etiam consummaret. Ut proinde veri amici ejus pro perdito æstimare debeant, quidquid temporis in vita sua non impenderunt amori & imitationi ejusdem.

Ser. 1. de ass.

Luc. 2. 49.

Luc. 23. 46.

Quomodo fructus ex consideratione & lectione Ærumnarum Domini sit colligendus.

Caput II.

1. TAmetsi Christus Dominus noster sit, qui desiderantibus se conformare vitæ ipsius liberaliter suggerit motiva, sensus, lumina, & affectus interiores, quibus inflammat ac dilatat eorum corda, ad securè decurrendum per vias Domini, illuminando intellectum in cognitione veritatum Cælestium, & voluntatem inflammando in amorem eorum, quæ cognoverint, & interdum plus illos docendo uno momento, quàm longo tempore possit magister externus multis documentis aut libris: nihilominus ordinariè incipientes, & cùm sol iste suos radios continet intra nubes, etiam provectiores indigent humanâ institutione, & lectio-

nc,

ne ; quam orationi præmittant, ut per illam fœcunda reddatur, ac detineatur memoria bonis cogitationibus, imbuatur mens, moveatur voluntas, excitetur spiritus, molleſcat ſiccitas ac durities animæ, & inſtruatur, ut nôrit in oratione procedere. Fit enim ut, niſi hoc nôrint, lectione, quâ tenereſcebant, finitâ, recidant in priſtinam ſiccitatem, & ab oratione recedant aridi, quales acceſſerant; quòd ignoraverint, quomodo oporteat animum elevare in Deum; ac propterea ab oratione abhorreant, & ab ejus exercitio tandem omnino deſiſtant.

II. Ergo non utilis tantùm, ſed etiam neceſſarius Tironibus eſt Magiſter, qui meditandi materiam eis præmandat, & aptè proponat, ut eâ viâ incedant, quâ Deus oſtendit ſe unumquemque illorum ducere velle. Licet enim unus omnium ſit finis, ut uniantur Deo per Amorem, conformentur per Imitationem, & in Dei manus conſignentur, & aptentur per Reſignationem ſeu Mortificationem; varii tamen, imò innumeri ſunt modi ac viæ internæ, valdéque diverſæ, quibus ad illum finem Divinæ ſapientiæ placet eos perducere, ſive per odium ſui & peccatorum ſuorum, ſive per ſuaves affectus Divinæ præſentiæ, ſive per aſpirationem ac deſiderium ejus, ſive aliis modis. Quod eſt inter opera Dei maximè mirum & obſtupeſcendum: quia mirabiles in eo divitias ac theſauros ſapientiæ ſuæ oſtendit. Qua in re qui bonum habet Magiſtrum ac directorem, brevi plurimùm proficit, ſi illi obediat. Quemadmodum apparet in Religionibus bene conſtitutis, ubi Tirones ab exercitatis magiſtris diriguntur, donec apertis oculis in interiorem Dei familiaritatem deveniant, quâ ſine alio Duce poſſint procedere: dum educati per exercitium Mortificationis, evadant viri valde ſpirituales, & undequaque perfecti. Ubi verò illa Mortificatio negligitur, inveniuntur quidem viri doctrinâ & aliis donis præſtantes, at religioſi flaccidi valde. Unde Superiores, qui Novitiorum inſtitutionem negligunt, & Magiſtri Novitiorum, qui exteriora præcipuè curant, hi ſunt, qui regularem diſciplinam relaxant: quia eorum ubera, quibus lactandi erunt Tirones, lacte carent; unde ſoboles religioſa non creſcit, nec adoleſcit in robur veri ſpiritûs.

III. Qui autem in Ordine Religioso non sunt, illi se in suis exercitationibus lectione librorum juvare possunt, vel directione periti Confessarii, aut alterius servi DEI, cui rationem dent rerum suarum, ac perseverent in usu Sacramentorum; quod est medium præcipuum obtinendi à DEO lumen internum. Si quibus autem placeat uti hoc libro, iis expediet nôsse, quis in illo servatus sit ordo. Primò igitur ponitur historia cujusque ærumnæ, cum aliqua doctrina idonea ad excitandum desiderium imitandi. Subjungitur Exercitium, quo uti licet, quamdiu non sentitur influentia divina. Hac enim præsente, Domino auscultandum est in silentio. In quolibet Exercitio tria sunt puncta præcipua: Humiliatio ex cognitione sui ipsius, Oblatio sui cum resignatione in manus Dei, ac Desiderium imitandi Christum, eique se conformandi: atque hæc omnia cum aspirationibus & affectuosis actibus amoris: quæ tria in omnibus actionibus & exercitiis nostris, ac totâ vitâ oportet spectare. Admiscentur etiam Adorationes, Petitiones, & gratiarum Actiones; ut omni modo, quo fieri potest, moveatur & accendatur voluntas ad amorem pulchritudinis ac bonitatis divinæ: quod unicè quæritur. Ut verò liberior sit spiritus, & faciliùs excitetur affectus ad hoc, quod desiderat, non debuit alligari ad certum ordinem servandum in istis.

IV. Porrò ad majorem fructum capiendum ex istis juvabunt monita sequentia, 1. Ante omnia procuranda cognitio inclinationum suarum, ut se contra eas obarmet, & per orationem virtutesque contrarias muniat: præcipuè verò semper à DEO humilitatem & amorem Dei impetrare contendat: quia per hæc duo planè purgatur anima ab omnibus, quæ DEO non placent.

2. Curet bene nôsse & implere quid sit, quod à se Deus in suo statu requirat. Nam hoc debet esse fundamentum omnis exercitii nostri. Quia Deo non placent voluntaria dona, si non præstentur ea, quæ sunt debita. Vocantur autem debita, quæ leges aut mandata Dei requirunt, videlicet à Religioso, Prælato Magistratu, Judice, Marito, Patrefamilias, &c. De quibus autem dubium est, consulendi sunt viri docti, ac timentes Deum,

qui

qui non loquantur placentia, sed pertinentia ad obsequium Dei & bonum animarum, consilium eorum sequentium.

3. Cùm Deo per Confessionem Generalem, & solutionem omnium, quæ debentur, satis fuerit factum, ordinet omnia studia, occupationes, cogitationes, & opera ad propositum vitæ spiritualis, tanquam ad rem principalem, quæ super omnia sit curanda, quantum erit in se: non aliter utendo rebus istius vitæ, quàm eo modo, ut id, ad quod ordinatur tota vita, non impediant. Est autem hoc inter mirabilia gratiæ, quòd in omni licito statu vitæ possint accommodari omnia ad finem prædictum: ubi per experientiam agnoscitur summa fidelitas Dei, quâ facit, ut ea, quæ quis ex officio facere debet, non impediant Spiritum, sed promoveant magis, & excitent desiderium præsentiæ Dei, secretis & intimis modis influentis, ut nihil omnino damni capiatur ab iis, quæ fiunt ex obedientia.

4. In omni re quærat Honorem Dei, non contentus vitare peccatum, sed illud semper sectando, quod juxta conditionem sui statûs erit perfectius. Et sua desideria comparando cum desideriis, quæ Christus habuisset in ea re; quod ex ejus exemplis & doctrina cognoscitur: hoc enim est veri imitatoris, & remotius ab omni peccato.

5. Constituat ordinem actionum suarum, ut semper sit occupatus, ac sciat quid agendum sit. Sic enim pauciores defectus admittet, ac tutior erit ab incursu diaboli. Nihil autem incipiat, nisi præmissâ brevi elevatione mentis in Deum, pro impetrando lumine & gratiâ, ut, quod acturus est, in ejus honorem ac beneplacitum cedat.

6. Quidquid acciderit, accipiat de manu Dei, se sanctissimæ ipsius voluntati conformans, eum laudando, & gratias agendo, quidquid natura moveat in contrarium: rogétque ipsum, ne velit aspicere irrationalem sensum infirmæ suæ naturæ, sed bona proposita, quæ dignatus est sibi largiri. Et sic acquiescat, donec motus illi subsidant. V.

7. Peculiares Dei favores celet, quantùm poterit, præterquam ei, quem vitæ suæ moderatorem elegerit. Cum hoc enim

conferenda sunt omnia, magna cum sinceritate ac puritate, ut dirigatur ab eo, & satanæ fraudes evitet.

8. Variæ solent esse tentationes, quæ vel ad peccata solicitent, vel à perfectione impediant. Contra omnes juvabit: Primò, suspecta habere omnia, ad quæ sentimus nos inclinari & affici, quantumvis bona appareant. Quidquid enim præter Deum quæritur, magna cum inclinatione & ægrè dimittitur, id inordinatè diligitur, & tentationum origo est, impeditque cognitionem & amorem Dei, ad quem tendimus. Deinde nulli cogitationi locum dare, quæ possit nos perturbare: sed primis statim initiis animosè resistere, implorato auxilio Dei. Quòd si molestior sit, recurrere ad Patrem spiritualem, & usum Sacramentorum, & invocando simul sanctos Patronos, & omnem occasionem tentationis amovendo. Nam in illa cadunt etiam fortes, quam fugientes infirmi roborantur & vincunt. Præcipuè verò contra spiritum pugnant Caro, & superbia; quarum tentationes quàm diu displicent, nihil nocent. Non ergo cogitemus nos derelictos à Deo, neque intermittamus ideo exercitia pia. Id enim esset fugere medicum & medicinam: sed abjiciamus nos ad pedes Domini, certi, quòd adsit nobis, & fidelissimè omnia in bonum nostrum, summâ sapientiâ & amore, disponat. Atque ista, quæ hactenus de vita instituenda, déque puritate desideriorum, & repellendis tentationibus dicta sunt, multùm juvant orationem, dùm removent omnem remorsum, qui adimat confidentiam accedendi ad Deum, & quietem necessariam ad orandum. Si tamen adesset conscientia recentis cujuspiam delicti, ob quam erubescat comparere coram Deo; cum eadem verecundia sistat se oculis misericordibus Dei, profitendo humillimè se aliud remedium sui mali nescire, & non desistat ab orando. Id enim esset genus occcultæ superbiæ, quasi nolit habere in se, cujus eum pudeat.

VI. 9. Non reputet se aliquid effecturum suis viribus, sed per opera sua præparari debere ad accipiendum, quidquid ei bonitas divina largiri dignabitur. Et cùm in hoc perseveraverit, fidelem Deo se exhibendo, & renovando quotidie suum propositum, non arbitretur parùm se proficere, & confidat Deum facturum

cturum in anima sua, quidquid ad ejus gloriam & salutem suam expediet. Neque tamen statuat se Judicem sui profectûs, & eorum, quæ in se patrantur à Deo: nam hîc sæpe, nobis non sentientibus, facit, quod desideramus; quia sic expedit. Vult enim nos fidere sibi, neque fatigari pulsando fores illius misericordiæ, dum semper agnoscimus nostram imperfectionem & inopiam.

10. Qui se invenit aridum in Oratione, non desistat ab illa, sed absolvat prout potuerit: neque enim sine fructu abibit, licet eum ipse non sentiat. Cùm autem Deo dante cor tenerescit, non festinet ad alia puncta, sed insistat uni, quàm diu duraverit ea scintilla. Potest enim contingere, ut eam sufflando, tanta fiat flamma divini amoris, ut per eum fiat illa mutatio in anima, quam desiderat. Quod si obtineatur in uno puncto, nihil opus est aliis.

11. Studeat interdiu sæpe animum levare in Deum per oblationem sui, laudem divini Nominis, gratiarum actionem, implorationem cælestis auxilii; affectibus amoris ac dulcibus verbis illum stringendo, & quasi ligna identidem suggerendo foco amoris. Nam sæpe Deus tali occasione dat, quod in oratione dare distulerat, ut agnoscamus omnia nos ipsi debere, non laboribus nostris: per quod amor erga ipsum augetur, & minuitur nostra superbia. VII.

12. Duo semper habeat in recenti memoria. Unum pro solatio in laboribus ac tentationibus; quòd scilicet eas Deus non mittat, nisi magna cum moderatione, non plus imponendo nobis, quàm sustinere possimus cum gratia à se donata. Licet enim, ut S. Isaac monet, nos semper sentiamus priùs tentationem, quàm gratiam adjuvantis nos Dei; re ipsa tamen semper adest priùs gratia, quàm tentatio: cùm hæc nos permittatur, nisi ad mensuram illius. Unde non oportet non esse ignavos, sed fortiter decertare cum fiducia. Alterum est, ut meminerimus ubique Dei præsentis, præsertim inter homines, & negotia apta ad mentem distrahendam: ubiq; retinendo reverentiam Domini, nos aspicientis & operantis nobiscum. Quo fiet ut habeat semper apertam

apertam portam ad introducendos nos in Cellam vinariam, ut dispulsa caligine ostendat nobis faciem suam, ac potet nos vino odorifero sui amoris, ubi cessante strepitu verborum humanorum ipse loquatur nobis, & in pace dormiat ac requiescat nobiscum. O qui videret beatam hanc horam! Da illam Domine, quando fuerit pro tuo honore & obsequio.

Quis modus tenendus sit in Exercitio.

Caput III.

CVm adest hora faciendi Exercitii, coram Throno sanctissimæ Trinitatis circumfuso lumine & gloria, sistat se magna cum reverentia ac desiderio serviendi ipsius Majestati, & confidat, quòd se pauperem creaturam non repudiatura, sed dignatura sit suo divino conspectu & auxilio. Consideret verò Mysterium sibi propositum, non quasi præteritum, sed quasi recens ac præsens: uti revera est in mente divina, quæ flagrat eodem nihil immutato amore & gustu, quo gessit illa in vita mortali, adeò ut vellet
I. eadem rursus omnia pati & agere, si necessarium esset. Ergo Christum velut actu patientem intueri & amplecti debemus, ut fructum ex ejus Passione quasi præsente capiamus, quandoquidem non minùs est efficax, quàm fuerit, cùm primò facta est.

Ita ergo collectis omnibus sensibus internis & externis, post profundam reverentiam coram Domino, cum signo Crucis, & præmissâ cum magno fervore oratione Dominicâ, & Salutatione Angelicâ ad impetrandam gratiam, incipiat Exercitium, attentè legendo præpositam Ærumnam Christi. In qua lectione si moveri se sentiat, Deum auscultet, eique se accommodet, quoad motio illa cessaverit; ac postea pergat in lectione. Quâ finitâ verbis, tenerum sensum spirantibus (qualia solùm pro exemplo & ingressu quodam apponimus) alloquatur Dominum, prout amor dictaverit: cui dandus est locus: ipse enim est, quem Exercitio nostro quærimus: neque enim intellectus multùm est occupandus;

qui

qui, dum anima includitur corpore mortali, parùm videt, ac tantùm servire debet aperiendo januam voluntati & amori, ut facere possint suum officium. Quòd si Deus det gratiam, ut intermisso discursu & imaginatione, sentiat anima se in suavi pace & quiete, plenam admiratione rerum, quas viva & illuminata fide cernit in Deo; vel sensu doloris ob ea, quæ videt eum pati, aut quibus eum offendit, vel desiderio fruendi eo, quem diligit super omnia, vel ardore voluntatis, quâ Dominum stringat, eique adhæreat, vel alio motu, quo elevetur ad Dominum, & uniatur ipsi; maneat in hac pace, nullámque aliam cogitationem quantumvis piam admittat: non quia hæc noceat animo, sed quia per hanc pacem jam habet fructum cogitationum piarum. Esset autem species tentationis, seminare quando esset metendum: suscipere pias cogitationes, quando earum est fructus colligendus. Quia in hac vita mens humana simul non potest attendere pluribus. Cùm ergo fructus piarum cogitationum adest, illo se pascat. Sicut ovicula saturata ruminat ac degustat, quæ comedit, non alias herbas, quantumvis bonas edendo: quia stomachus ejus non ferret. Erit olim tempus beatum, quo facultates animæ liberatas à corpore, simul inundabit mare amoris, & cogitationis divinæ, sine omni impedimento. II.

Finitâ oratione, si bene successit, surgat cum suspirio, pace, & quiete, ut qui Deum portat secum, & quanta poterit collectione animi, accedat ad sua negotia, mente associatus ei, qui cum ipso est: curétque retinere illum fervorem, lucem, & pacem, quam accepit, Deo offerendo illa, per quæ necessariò distrahi debet. Si verò fuerit aridus & fatigatus, non fiat tristis, sed antequam digrediatur à loco orationis, benedicat Deum, qui justus est in omnibus judiciis suis: agnoscat suam indignitatem: offerat ei suum conatum & laborem, quem non suæ consolationis, sed Dei honorandi causâ suscepit; cujus sanctissimæ dispositioni se resignet in omnibus, modò ne tradatur in manus inimicorum animæ suæ. Postea consideret bene, per quid fuerit distractus, an aliquâ suâ culpâ, & negligentiâ inter orandum, vel ante: & mox tandem per dolorem & aliquam satisfactionem expiet; quo III.

)( )( )( )(fiet,

fiet, ut sic humiliatus non minorem referat fructum, quàm si magna cum consolatione orásset. Nam Deus, cui magis curæ est noster profectus, quàm nobis, optimè novit, quid nobis maximè prosit. Quare ad orationem debemus cum plena resignatione accedere, ad serviendum ipsi, prout ei placuerit: æquè gratias agendo pro tractatione quacunque, sive humiliare nos velit, sive solari.

IV. Porrò ut mentem collectam, & ad orandum paratiorem habeamus, multùm juvat dare Deo manè primitias cogitationum; animum, simul evigilamus, elevando ad illum, ac certa tempora designare, quibus idem faciamus interdiu; & vespere similiter ad ejus pedes indormire. Nam qui sinit animum suum vagari per omnia, rarò poterit eum in oratione habere collectum. Quare diligenter etiam quotidie super his Examen instituendum est.

De Quotidiano Examine,

Caput IV.

I. QVi cupit proficere, debet habere certa quædam proposita, multùm profutura animæ suæ, tam communia, quàm propria quædam pro certis temporibus, & actionibus: circa quæ se examinet: communia possunt esse sequentia.

1. Cavere, ne ulla in re, cogitatione vel desiderio, voluntariè se detineat, quâ displicere possit oculis Dei.

2. Meminisse crebrò Dei præsentis, ut eum reverenter adoret, ac laudet.

3. Nullum defectum internum aut externum prætermittere, quin statim de illo doleat, ac veniam petat.

4. Nihil ulla in re decernere vel proponere, quod non priùs Deo commendârit, ut se ipsius voluntati conformet.

5. Sensus & maximè linguam refrenare, ne ullam in rem sine ratione excurrant.

6. Benefacere aliis quantùm potuerit, ut semper potiùs desit facultas, quàm voluntas.

7. Non

7. Non tolerare in animo suo ullum rancorem vel amaritudinem, quantumvis exiguam, contra quenquam, etiam brevissimo tempore.

8. De quocunque peccato sigillatim dolere, & recurrere ad sanctissimum Confessionis remedium, quàm primùm licebit.

9. Exercitia devotionis, & inspirationes Dei nullo modo negligere: & quoties à Deo se tangi & trahi senserit, ei se totum præbere.

10. Diligenter attendere ad ea, in quæ magis inclinari se sentit, seu bona, seu mala; ne forsan abripiatur ab eis in aliquid minùs conveniens; semper frenum timoris Dei habendo in manu.

11. Non adhærere suæ voluntati, sed alienæ potiùs, quoties id absque peccato fieri potest.

12. Nihil agere suæ existimationis & personæ, sed omnia solius divini honoris, & obsequii gratiâ; neque ulli se præferre, quantumvis imperfecto.

13. Gratias agere Deo pro omnibus, quæ in mundo eveniunt, & omnia de manu Dei accipere.

Præter ista sint specialia quædam, pertinentia 1. Ad obligationes proprias. 2. Ad emendationem quotidianorum defectuum. 3. Ad cautelam occurrentium occasionum, quibus impediri, vel promoveri possit profectus animæ. 4. Ad ordinem occupationum ordinariarum, & impendium temporis. 5. Adagendum cum proximo ratione officii sui, vel aliarum occasionum, quarum quotidie multa occurrunt in hac vita. Id enim, quod semper ob oculos versari debet ei, qui Deo cupit placere, est animæ suæ profectus, & fuga peccati: quare instar negotiatoris perpetuò debet excogitare modos lucri spiritualis, ac proposita identidem, pro ratione temporis & occasionis renovare, mutare, augere, minuere. Quia, ut ille ait, quale est propositum, talis & profectus est noster. Non igitur in re tanti momenti negligenter agendum est, vel tepidè; sed omnia quotidie ad calculos revocanda. II.

Itaque præmissa Oratione Dominica, statuat se homo coram Deo tanquam filium prodigum, reversum ad Patrem; vel ut III.

Publicanum, qui non est ausus levare in cælum oculos, vel ut mulierem ad pedes Christi deplorantem sua peccata; vel ut leprosum, qui à longè stans petiit mundari à Christo; vel ut servum, qui prostratus ad pedes Domini, rogavit patientiam; vel denique, ut miserabilem creaturam, quæ obsita miseriis eget ope benignissimi Creatoris. Et post Confessionem generalem, recognoscat proposita sua, & ad singulos defectus cum pudore ac dolore petat veniam, ac dilaudatâ patientiâ tamdiu sustinentis se Dei, proposita reformet, ac peccata annotet ad Confessionem faciendam suo tempore. Tum concludat colloquio in similem ferè sensum, ut sequitur.

IV. En hîc Domine Deus miserabilem creaturam! En eum, quem tam benignè supportas, & pro quo tanta fecisti! Ecce inconsideratum, infirmum, degenerem; ecce dilapidatorem gratiæ tuæ, infidelem tuo servitio, qui tanta sæpe mala, ac tam pauca bona præstitit: quid me, Domine, fiet sine tua misericordia? sine te nihil possum, nec scio, nec valeo. Peccare scio, non me corrigere; cadere scio, non resurgere; perire scio, non redire; fugare te scio, non requirere; offendere te scio, non reconciliare, nisi lux & gratia tua me adjuvent. Tu scis omnia bona provenire à tua manu, voluntatem, desiderium & executionem eorum, quæ inspiras. O benignissime Amator hominum, tu es verum refugium orphanorum, tu es remedium indigentium. Ecce hîc tuum pauperrimum & miserabilem peccatorem! subjicio me totum bonitati, & misericordiæ tuæ: aspice me oculis tuæ pietatis: obliviscere, Domine, meorum peccatorum: compatere meis miseriis, & irriga hoc miserum cor fonte benignitatis tuæ. O lux vera, ne me relinquas in tenebris meis. O fortitudo infinita, conforta meam infirmitatem. Accepta, Domine, hoc desiderium meum: adjuva voluntatem meam, obliviscere demeritorum meorum, & largire mihi, quod es in Cruce promeritus. Qualisqualis sum, tuus esse volo; supple tu bonitate tua meos defectus. Bonitas, quâ mihi tribuis bonam voluntatem, ac desiderium tibi serviendi, ipsa te moveat, ut facias in me, quod petis à me, ita ut omnia sint ad honorem & gloriam tuam, Amen,

Hoc

Hoc, vel simili colloquio ad DEUM finito, paucis imploret V.
etiam opem S. Angeli Custodis, & Patronorum suorum: tum surgat cum cogitatione, quòd velit esse Deo fidelis, & advigilare suis propositis. Quando verò Deus animam ad eam puritatem perduxerit, ut jam ad intimam ejus unionem per purum amorem adspiret, tum ei tribuit clariorem cognitionem suorum defectuum, ut rigidiùs illos examinet, profundiùs discutiendo suas secretas inclinationes & affectus, non vitiosos tantùm, sed etiam naturales: atque utinam omnes peccatores ita plangant sua gravissima peccata, sicuti hi suos minimos defectus, quos inveniunt in sua conscientia! qui cùm in regione lucis versentur, aliud eis hîc non præscribo; sed incipientibus consulo, donec eò perveniant, ne sint faciles in dispensando, vel elevando suos defectus,

Motiva ad Amorem Christi in suis Ærumnis.

CAPVT V.

NE sit opus eadem sæpius repetere, annotabo quædam pro memoria ex innumeris, quibus in consideratione Ærumnarum Domini tantisper utamur ad excitandum ejus amorem, & meliùs cognoscendam nostram obligationem illum sequendi, donec Deus cuilibet privatim alia suggerat.

Passus est voluntariè, ex mero & puro amore nostri, sine omni I.
obligatione vel Justitiæ, vel meritorum nostrorum: nos enim debitores eramus & rei. Ipse autem etsi teneretur fidelitate promissi & obedientiâ mandati Paterni, tamen ultrò promisit, & ultrò se obtulit ad obediendum; cùm Patre æterno nihilo esset inferior, utpote ejusdem Majestatis cum illo & Spiritu sancto. Fuit igitur obedientia non coacta, sed libera & amoris.

Passus est ingenti cum desiderio & gustu. Nam etsi Passio ejus II.
tempestati feri maris conferatur in S. Scriptura; maximâ tamen fame tenebatur illius; ad quam explendam necessaria fuit. *Thr. 3. 30.*
Hinc de injuriis, quas pertulit, Jeremias prædixit: *Saturabitur opprobriis*: cibo utique per se insipido, qui stomacho nauseam creat,

eúmque perturbat: sed qui Christo ita sapiebat, ut non nisi copiosè ingesto compleret famem illius: quia magna fames modico satiari non potest. Hâc igitur fame admensæ sunt illi Ærumnæ. Æquissimum est autem, ut eadem sit mensura nostri erga ipsum amoris.

III. Idem desiderium, ac gustus ab amore creatus, molestissima quæque ipsi dulcia fecit: sic suave fuit subesse tot annis parentibus; degere inter homines moribus tam diversos ab ipso; tentari, imò & portari à satana spiritu maledicto, & alia, quæ describuntur hoc Libro, suapte naturâ gravia; sed quæ amor omnia dulci sapore condivit.

IV. Perpetuum miraculum fecit in se ipso, ut pati posset. Cùm enim clarè Deum videret, ac beatus esset, corpori suo negavit eas dotes, quas anima beata ipsi conferre debuerat, nisi per ingens, & juge miraculum impedita fuisset. Impedivit hoc amor, quo ut sæpe per miraculum liberavit alios à suis doloribus & miseriis; se ipsum doloribus & miseriis nostris miraculo summo subjecit; pluris ut nos, quàm se ipsum videatur æstimavisse.

V. Quidquid gratiæ suis Ærumnis à Deo Patre promeruit, nobis donavit; cùm iis meritis ipse, tanquam beatus, non indigeret, nisi pro sui nominis exaltatione, quam miraculo supradicto suspenderat. Reliqua, remissionem peccatorum, satisfactionem pro iisdem, gratiam & gloriam, & quidquid eò spectat, promeruit non sibi, sed nobis: idque tam cumulatè, ut cùm singula ejus opera, propter dignitatem suæ personæ, essent infiniti valoris, ad satisfaciendum suo erga nos amori tam multa, tam magna & acerba sustinere voluerit: quo factum est, ut inæstimabilis & inexhaustus thesaurus meritorum evaserit, quem eodem amore nobis hodie dispensat, quo illum congessit.

VI. Amor ejus nec initium habet, nec finem, neque ulla ex parte mutatur. Non habet initium, quia in pectore divino flagravit ab æterno, licet in tempore præstituto foras eruperit. Et quia æternus & infinitus est, mutari ac cessare non potest. Amat enim nos totâ suâ essentiâ, & eodem prorsus amore, quo tres divinæ Personæ se mutuò complectuntur: quia in Dei natura simplicissima non possunt esse plures amores, sed unus tantùm

tùm est, quo amat se & suas creaturas, pro sua quamque capacitate & qualitate. Hinc etiam eodem amore adigente, non fecit minus pro mea salute, quàm feciſſet pro se ipso, si in eadem nobiscum necessitate fuisset.

Neque divisus est hic amor, neque divisionis capax: sed eo- VII.
dem prorsus amore Deus me amat, quo alios omnes: nec minus est passus pro me uno, quàm pro aliis omnibus: nec minus habeo in ipso, quàm omnes alii. Ut cum sancto Bernardo dicere possim verè: Totus es meus, ô bone Jesu; totus occupatus in mea salute procuranda: Et cum Apostolo, Dominus meus, Deus meus, & Amor meus: quasi nulla alia anima esset, præter meam. Et licet unicuique largiatur pro sua dispositione, quia scilicet libero arbitrio nostro vim inferre non vult; tamen ex se paratus est unicuique soli dare, quantum dat aliis omnibus, & plus etiam: sicut apparet in ejus Beatissima Virgine Matre, quia ut sanctus Chrysostomus dicit Hom. 20. in Matth. Negligentia petentis est, si parum accipiat: quia de misericordia Dei dubium nullum est, qui cùm parùm dat, in recipiente defectus est, non in dantis amore: & signum est, quòd creatura parùm amet, Creatore multùm amante. Unde cùm patiebatur, sicut omnia, ita & me præsentem habebat in sapientia sua, & unumquemque nostrûm: & quæ patiebatur, sic offerebat æterno Patri pro singulis meis necessitatibus in particulari, ac si pateretur pro me solo.

Ut nobis quàm simillimus fieret, ac pati posset, quidquid VIII.
erat absque peccato, non habuit rationem infinitæ Majestatis suæ personæ, sed abscondit eam, & omnia sua pro nobis impendit. Habitus est pro peccatore, tractatus ut vile mancipium: vitam ipsam, quâ nihil erat in mundo præstantius, pro me effudit: animam, cùm aliud pati non posset, permisit per cruciatus extrudi è corpore sibi obsequentissimo, cui naturaliter cupiebat manere unita: Divinitatem, quia pati non poterat, voluit peculiariter concurrere suis actionibus & ærumnis. Denique corpus, animam, ac divinitatem dedit in alimoniam nostram: ac tanti me fecit, ut pro me dederit, quidquid habuit, passúsque sit, quidquid potuit.

Multa

IX. Multa, quæ pertulit, tam acerba fuerunt, ut eum possent interimere, si purus homo fuisset: ut jejunium 40. dierum in deserto, ac tristitia in horto: quam sanctus Lucas Agoniam vocavit, accidens lethale. Sed quia non decuit, ut se ipsum perimeret, divinâ virtute sustentavit naturam humanam, ut longè plus pati posset, quàm ferret naturalis infirmitas. Idipsum fecit in Passione, cùm tormenta sufficerent ad vitam ipsi adimendam, nisi divinitatis virtute conservâsset eam usque ad finem eorum, quæ proposuerat pati. Atque ita divinitatem suæ personæ abscondit, ne quid ejus respectu sibi parceretur à tortoribus; & eandem simul exseruit, ut pati posset, quantum suus amor volebat.

X. Denique ad melius agnoscendum divinum amorem, plurimùm valet, quod sanctus Paulus maximè premit, indignitas nostra, qui tantoperè sumus amati. Nam ut quis pro justo mortem obire sustineat, forsan capere potest mens humana: quia justus, per injustam condemnationem pro altero innocente, non perdit, sed auget justitiam suam & gloriam. Sed ut mortem oppetat quis pro injusto & improbo, à quo lacessitur, læditur, & pro collatis in eum beneficiis inhonoratur, id mens humana non capit: solus amor divinus id capit. Cùm enim nos inimici essemus, Pater æternus dedit Vnigenitum suum ad necem & hic se ad eam subeundam alacer & generosè obtulit, & Spiritus sanctus fuit ille ignis divinus, qui arsit in Patre & Filio, ut nos amaret, quasi essemus amici, & bene meriti de ipso. Deus enim non meritis nostris, sed sua dignitate moderatur amicitiam suam, & quantò nos eâ sumus indigniores, tantò Amor ejus est major, purior, & glorioſior. Vide sis igitur homo, quantum Deo pro his omnibus debeas.

ÆRVMNÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI QVAS PERPESSUS EST A SUI CONCEPTIONE USQVE AD MORTEM.

ÆRVMNA I.

De Prævisione, & acceptatione omnium laborum & Ærumnarum, quas erat subiturus.

I.

DOminus noster humanam naturam, penitùs destructam, ac vastatam peccato primi parentis Adami, reparavit mediis ita propriis, & accommodatis ad plagas, ut jure dici possit redemisse perfectissimè: quia non tantùm nascimur, ac vivimus in peccatis, obnoxii pœnis, quas meremur per illa; sed insuper etiam peccato facta est tanta perturbatio, & inclinatio naturæ nostræ ad malum, ut non minùs indigeremus eo, qui plenè restitueret ordinem turpissimè confusum; quàm qui cumulatè nos redimeret, satisfaciendo pro peccatis. Et hæc fuit causa, cur Filius DEI, quando pro infinita Bonitate sua voluit redimere mundum, in omnibus suis operibus non tantùm sit meritus nobis remedia omnium nostrorum malorum, sed etiam reliquerit in iis exemplum, ac formam omnium virtutum, quibus possemus reformare vitam nostram, & mores. Ideo docet Apostolus, sicut in peccatis, in quibus nascimur ac vivimus, portavimus imaginem Adami terreni; ita curandum esse nobis, ut reformatione vitæ nostræ referamus imaginem Adami cælestis, Christi Domini nostri, posteaquam per gratiam, quæ data est nobis, baptismo ipsi fuimus incorporati & insiti; sicut etiam alibi monet, ut induamus Dominum nostrum JESUM Christum, vivendo tanquam redempti sanguine, & eruditi exemplo ipsius.

Christus Redemptor, & Magister.

Cœpit opus suum, in Conceptionis suæ momento.

II. Aggressus est autem noster Divinus Magister ac Redemptor hoc geminum opus eodem ordine, quo perieramus, ac virtutibus planè contrariis. Nam elegit primùm, loco Evæ, sociam operæ, & adjutorium sibi aptissimum, Virginem MARIAM, sacratissimam Dominam nostram, corpore & anima purissimam, sanctissimam moribus, obedientissimam DEO, instrumentum omnium bonorum; sicut Eva fuit malorum omnium. Deinde Adam peccavit paulò posteaquam conditus erat in magna perfectione naturæ, cum abundantibus donis gratiæ, quibus conservaret seipsum in felici illo statu paradisi terreni. Et Filius DEI sacratissimum suum corpus cum anima formavit, & univit suæ Divinitati in uno momento, non exspectando consuetos terminos generationis humanæ: atque hoc ideo, quia non sustinuit, vel unum temporis punctum sibi abire, quin mox Redemptionis nostræ initium faceret.

III. Præterea ut inobedientia fuit primum Peccatum, & origo omnium nostrorum malorum; sic & Obedientia purissima & perfectissima fuit primum opus IESU nostri Reparatoris. Initium nostræ ruinæ fuit inordinata cupiditas, ac delectatio fructûs prohibiti, contra voluntatem DEI; initium remedii nostri, sumptum est ab immenso dolore ac desiderio, quo Redemptor noster pati voluit in sua natura humana, ex obedientia debita Patri Æterno; ita, ut in descensu Filii DEI de cælo in terram, & assumptione nostræ naturæ, primo statim puncto temporis & Conceptionis, quo jam poterat meritò adorari, ut verus DEUS & Homo, cœperit primum suum laborem, ac primum remedium, nec ad horam differendo: quia noluit ullam horam, aut momentum vitæ suæ abire, quod non verè dici posset nostrum, nobis impensum, ac plenum infinitis bonis pro peccatoribus, quos redempturus advenerat. Atque ita primo instanti vitæ suæ repræsentavit ei Pater æternus ærumnas, supplicia, dolores, derelictiones, afflictiones, tormenta, mortem, & omnia, quæ volebat eum pati pro peccatoribus: & istud quidem ad vivum, distinctè, cum omnibus adjunctis, pondere, numero, & mensura, quasi jam subiret ea reipsâ: & quemadmodum Christus D. N. plenus erat omni sapientia & gratia, quem nihil posset latere, intuens ea omnia, quasi jam reipsa pateretur

t retur, sponte, alacriter & generosè totam suam humanam naturam submisit huic imperio; & omnia, quæ Pater Æternus ei mandabat usque ad mortem, acceptavit voluntate tam promptâ & cupidâ, ac si forent totidem ornamenta, favores ac voluptates immensæ.

IV. Sicut ergo in decursu vitæ suæ ac Passionis nihil egit Filius DEI, quo non exactissimè ac minutissimè exequeretur hanc obedientiam, cum multis doloribus & ærumnis; ita in ejus acceptatione statim ab initio non fuit contentus, offerre se ad omnia perpetienda, quæ præcipiebantur; sed cogitare debemus, quòd particulatim obtulerit caput spinis, oculos lachrimis, genas alapis, faciem injuriis, os felli & aceto, corpus plagis; cum omnibus nervis & membris, vita, honore, & quidquid erat in ipso aptum ad patiendum, quod vellet Pater Æternus, ac necessarium esset pro nostro remedio. Gravis omnino fuit afflictio hæc, & agonia, in qua natura tam tenera tunc erat: quia sicut DEUS D. N. noluit cum ipsa dispensare vel in minimo, quod poterat ei creare dolorem, & nostra imbecillitas abundè sentit eos dolores, quos experta jam est, quando cogitur eas tolerare de novo: ita dubitari non potest, hac repræsentatione allatum esse huic sacræ naturæ dolorem immensum: quia quod experientiæ similium malorum deerat, hoc supplebat sapientia, quâ manifesta erant ei omnia ac singula, & ut magis ea sentiret. Et quamvis sub finem vitæ in horto hic sensus foris magis patèret, non tamen minor fuit initio statim in primo instanti.

Præsentiebat omnia, quæ Pater eum voluit pati.

V. Hæc Obedientia Verbi Incarnati fuit conjuncta cum humillima subjectione, ardentissimo amore, dolore & merito infinito, DEOque tam grata, ut sufficientissimè sit merita Redemptionem generis humani, ac potuerit Pater Æternus mox revocare sententiam & mandatum, quod Filio dederat, eundemque in cælum assumere: sufficiebat enim meritum ejus obedientiæ ad condonanda peccata omnium hominum, alligandum diabolum, & mundum replendum thesauris gratiæ, apertâ omnibus portâ vitæ æternæ, & quidquid ultrà pro meritis Filii datum est. Cùm enim esset Persona Divina & infinita, operaque ejus essent ei paria, quælibet ejus actio tanti meriti fuit, ut satis esset ad redimenda centum millia

Et acceptando maximâ submissione.

Isa. 8. 3. mundorum, & amplius. Prædixit hoc Isaias: *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere: Festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci:* hoc est, potentia Diaboli & peccati, cui totus mundus erat subjectus. Prædixit hoc Propheta, cùm prævideret, nec ad horam ab eo dilatum iri nostrum remedium, sed tam avidum futurum exequendi mandata, ut primo statim momento, quo esset homo, promeriturus esset obedientiâ suâ cumulatissimè, quidquid ei Divina Misericordia largiri decreverat; non modò prius, quàm loqui posset; sed etiam priùs, quàm nasceretur. Talis ergo fuit amor, qui traxit eum in terram, ut, cùm una actio sufficeret nostræ saluti, non tamen suffecerit immenso ejus amori; nisi accederent alia cuncta, quæ postea fecit ac pertulit. Talis est Redemptor, talis Dominus, talis est amicus, quem habemus.

Prima doctrina Christi, obedire ac servire Deo.

VI. Quam ergo meliorem lectionem quæremus, ad reformandam vitam nostram perversam, quàm fecerit noster Divinus Magister statim ab initio? Principium omnis mali fuit, recedere ab obedientia DEI, dicit Scriptura: & nunc videmus, quòd hic Dominus in obedientia fundaverit omnia bona, quæ nobis promeruit. Vult ergo, ut nos quoque suo exemplo in ea fundemus omnia, quæ exspectamus à manu DEI. Et sicut ipse nec unum vitæ suæ momentum transegit sine hac obedientia; sic nos debemus habere pro perdita omnem horam, quam non expendimus in ejus obsequio. Videamus ergo, quot horas nobis adimat somnus, cibus, otium, & quod pejus est, opera mala, brutæ oblectationes carnis, & alia, quibus DEUM amittimus: quàm tardè ac segniter ipsum quæramus: quàm promptè recedamus ab ejus servitiis: quàm negligenter curemus nostram salutem, quæ suæ Divinæ Majestati cordi sic fuit. Si tepiditatem, quam totâ vitâ nostrâ exhibemus in amore hujus Domini, causas item & excusationes, cur non amemus ipsum toto corde, componamus cum ipsius anxietate, & flagranti desiderio patiendi pro nobis; non minorem causam inveniemus erubescendi coram sua Divina Majestate, quàm gratias agendi pro meritis.

VII. Magna miráque scribuntur de virtute Obedientiæ, & subjectione sub voluntatem DEI. Ego illis unum hoc addam,

quòd

quòd Christus nos docuerit modum, quo nos voluit obedire, cùm docuit nos orare: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* In cælo non tantùm volunt ac faciunt omnes, quidquid vult Deus; sed ne possunt quidem intelligere aliquid ab eo diversum. Ita debemus non esse contenti obedientiâ & conformatione voluntatis nostræ cum divina, sed procurare etiam veram obedientiam intellectûs. Inveniuntur in mundo, apud majorem partem hominum, tot rationes receptæ, approbatæ & consecratæ titulo honoris, necessitatis, obligationis, quæ pugnant cum lege Dei, & doctrina Evangelii; & quotidie malitia nostra invenit tot causas non obediendi, sub specie Divinæ Gloriæ & obsequii; ut, qui non valde sibi attendit, facillimè decipiatur ab illis. Rogemus ergo Deum cum Davide, ut avertat oculos nostros, ne aspiciant vanitatem, pro veritate; sed illuminet nos, ut cognoscere possimus ejus divinam voluntatem; neque sinat nos aliud spectare, vel æstimare, quàm perfectionem sui exempli atque doctrinæ. Nam qui conjecerit oculos in speculum omnis Bonitatis, Christum, Magistrum ac Dominum nostrum, cum desiderio imitandi, quod in eo, & ab eo viderit approbatum, submittendo illi suum intellectum, hic liber erit à multis erroribus.

Matt. 6. 10.

A qua debemus flectimq; sub vano prætextu, etiam gloria Dei.

EXERCITIUM

Circa primam Christi Ærumnam.

I.

O Fili Dei vivi, ô vita miseriarum mearum mortalium: ac vere Salvator ac Redemptor meus: ô unica salus meorum malorum! venisti cum tanto desiderio animarum perditarum; cum tanta cupiditate ostendendi, quantùm diligas peccatores, & cupias satisfacere pro illis; cum tanta siti tormentorum, & Crucis, ut nolueris amittere vel unum punctum temporis, quin paterere pro nobis: quin si fieri potuisset, vel convenisset, ut nascereris in Cruce, certò venisses in mundum clavis affixus in Crucem, in eadémque mansisses usque ad mortem. Ea est amoris tui perfectio, ea veritas

Amor anticipavit sua tormenta.

hujus inflammati pectoris, & hujus sinceriſſimæ amicitiæ, quam erga nos geris. Sed cùm id fieri non posſet, noluiſti abire ullum momentum vitæ, ſine pœna, cruce, tormento: ac donec tempus veniret ligneæ crucis, noluiſti interim ſſe ſine duriſſimis aliis crucibus afflictionum, dolorum & ærumnarum. Non pepercisti tuæ humanitati, etiam in tenuiſſimo ac tenerrimo corpuſculo, recèns formato intra puriſſima viſcera Virginis. O quomodo te totum inflammas in opere puri, fortis, ac divini amoris, ad quod totus ardens accedis! ſicuti non pro nimis parvo reputâſti corpuſculum, quò minùs ei mox infunderes animam beatam, ac divinitatem unires; ita etiam id judicâſti ſatis magnum ad patiendum, faciens, ut ſentiret mox ſimul omnia, quæ deinceps ei toleranda fuerunt. Oſtendiſti illi ſtatim lacrimas, dolores, famem, aſperitates, inopiam, fatigationes, ſudores, injurias, contemptus, funes, quibus erat ligandum; verbera, quibus excipiendum; ſpinas, quibus confodiendum; crucem & clavos, quibus affigendum; fel & acetum, quibus potandum; graviſſimam derelictionem, in qua deſtituendum; immenſos ac terribiles dolores, quibus obruendum; ac mortem crudelem, quâ conficiendum. Hæc omnia voluiſti, ut in primo ſtatim momento, quo condita eſt humanitas tua, tota ſimul videret ac ſentiret, & ſingula ſua membra, quantumvis tenuia, iiſdem ſubjiceret: non contentus, cùm Deus eſſes, accipere noſtram carnem; quin etiam ſtatim inciperes in eadem pati, & ſubmitteres te Patri æterno uſque ad mortem.

Et à primo momento ſemper omnia ſenſit.

II. Si poſt trigeſimum tertium annum ætatis, ſacratiſſima tua Humanitas, è ſola prævíſione earundem rerum ſibi imminentium in tanta fuit anguſtia, tanta afflictione, ac triſtitia, ut lethales pateretur affectiones, ſanguineoque ſudore manaret; quid eam pertuliſſe credendum eſt ſub ipſum ingreſſum in mundum, ex prævíſione tam clara, certa, vivaque, ac ſi reipſa experta jam eſſet labores, & navigâſſet alta maria eorum, quæ ipſi perpetienda erant in decurſu vitæ totius? Intelligo, Domine animæ meæ, nullam ex ærumnis tuis majorem iſtâ fuiſſe: quando ad ſentiendum eas conditione humanâ es uſus, & ad intelligendos aſperitatũ gradus ac pondus, quo tibi erant incubituræ, luce ac vi plùs quàm

huma-

humanâ. Omnes tibi simul offerebantur, & tu simul omnes acceptâsti, simul sensisti: quia tuus amor non ferebat, ut ulla in re parceres naturæ tuæ humanæ, quâ multùm posset affligi, quæque tibi magno constaret. O Amor Divine, qui otiari non potes, quas artes excogitâsti, quas vias invenisti, quibus te demonstrares? Non est locus, tempus, aut ætas ulla, quæ tibi ad exhibenda opera tua non serviat: sed cùm ætas, aut locus impediunt cruciatus externos, tu reperis cruces internas, quibus semper conflagres, promásque tuos thesauros; & tuam vehementiam, vim, sinceritatem ostendas eis, quos amas, & cupis ad te pertrahere.

III. O me miserum, & inveteratum in peccatis! cùm video hunc ardorem patiendi pro me, tam flagrans desiderium me sanandi, quod contineri non potest in hac, quæ ita nondum vocari potest, ætate, in hoc exiguo corpusculo, quod ægrè sufficit ad figuram hominis, & in hoc primo tuo ingressu in mundum; quid dicam? quomodo non erubesco coram te comparere? quia in qualibet mea ætate me video ita obsitum peccatis & malis, ut videatur nulla pars mei corporis esse tam parva, quin sit imbuta magnis, & inveteratis peccatis; sicut in te nulla tam exigua fuit, quin esset in magnis doloribus. In utero matris meæ, cùm nihil adhuc possem, per originale peccatum, quod erat in anima, jam assimilabar antiquo Adamo. Natus, dum non habui usum rationis, etsi peccare non possem, jam tamen habui inclinationes ad iram, cupedias, mendacia, inobedientiam, & alia id genus, quæ satis ostenderent in exigua terra tantilli corpusculi profundas radices veterum truncorum, & venenosos ramos arboris malæ. At ubi ad usum rationis perveni, cùm jam fructus proferre deberem, unde cognosceretur, qualis arbor essem futurus, O piissime Deus, quàm abominabiles fructus malorum & peccatorum effudi, & effundo etiamnum, heu nimis, quàm copiosè! O misericordia infinita! quæ me hucusque tolerâsti, noli me confundere: condona mihi hanc furiam, quâ permisi habenas effrenibus meis appetitibus; & impudentiam, quâ dempsi frenum malis inclinationibus, ab illa usque ætate me infestantibus. O quàm solutæ fuerunt ad omnem vanitatem, ad omne genus fallaciarum, præsumptionum, cogitationum

Et nos ab initio statim sordemus peccatis.

tionum malarum, ac desideriorum; ad omnem vilitatem ac turpitudinem, quæ foris intúsque regnabat in anima! Tam immemor tui, tam durus ad tua consilia, tam cæcus ad tuam doctrinam, tam surdus ad tuam vocationem, tam refractarius tuæ legi, tam studiosus mundi, tam pertæsus rerum animæ meæ, tam affixus mihi ipsi & remotus à te, tam plenus amoris proprii, tam inanis amoris tui. Omne tempus breve ducebam ad voluptates, mundum exiguum ad cupiditates, magnum verò ad serviendum ipsi, ac te pro ipso perdendum. Floccipendebam, quidquid tibi placet; displicebat verò, quidquid magni tu facis. Nulla mihi ætas nimis parva visa est ad peccandum, omnis autem nimis infirma ad tibi serviendum: mala, quæ per ætatem aut vires non potui, voluntate patravi, semper magnus ad peccandum, semper annosus ad malos mores, semper ingratus pro tantis favoribus, semper tardus, tepidus, impudens, oblivioſus, piger, debilis, superbus, contumax ad amorem, & obsequium, ut tibi me totum addicerem, omniáque facerem ad placitum tuum.

IV. Tu Deus meus, tanquam verus amicus animæ meæ, & tanquam is, qui compatiebatur plagis illius, non voluisti exspectare dies illos, quibus corpora formari solent in utero; sed mox primo puncto temporis, quo venisti in mundum, formâsti corpus animatum & perfectum, plenum divinâ majestate; ut hoc tempus, quod natura requirebat ad suum opus, tu impenderes operi amoris & gratiæ, & acerbissimorum dolorum pro me: & amor tuus in meum bonum prævertit tempus, quod natura deposcit. Et ego, Bonitas infinita, nec posteaquam tandem perveneram ad usum rationis, te cognovi; nec, posteaquam diu vixeram, plenus tuis beneficiis, te inquisivi, nec tibi servivi, neque curavi te amare: sed frigidâ, mortuâ fide contentus, vixi cum hac anima tam referta peccatis & malis, ut nihil inveniatur in me præter miserias, pro quibus tu jam pateris. O Amor infinite, ignosce mihi: bene me videbas, quando exercebas tantum amorem: bene me nôras, quando acceptabas eos dolores: & quia sciebas me talem futurum, noluisti perdere nec horam, nec punctum temporis, quo mihi non parares remedia. Converte me, Domine, ut incipiam vel tandem amare,

Eadémque totâ vitâ continuamus.

amare,& sequi te: fac, ut pœniteat me vitæ malè transactæ,& muta me totum in te,& in tua obsequia.

V. O qui nunquam te offendisset! O qui totum tempus expendisset in tuo amore ac servitio! Si ô DEUS meus, primâ statim horâ, quâ toto corde revertor ad te, sentio me inflammatum, immutatum, ac totum diversum ab eo, qui fueram; qualis tunc essem? quàm perfectus minister tuus, quàm plenus tuo amore? quomodo transformatus essem in spiritum tuum, si omne tempus vitæ meæ transegissem in tuo obsequio? O patientia infinita, quâ me exspectâsti! O Bonitas infinita, quâ me tolerâsti hucusque! O Amor, qui vocas me ad te, transforma me totum in te. Ab hac hora, usque ad ultimam vitæ meæ, tibi me offero, ut tecum totam consumam. Doleo, DEUS meus, quod unquam te offenderim. En habes me, sume de me satisfactionem, quam voles. Amor,qui tam inflammatus & cupidus fuit patiendi pro me, idem nunc aperiat in hoc meo corde fontem lacrimarum, quibus toto reliquo tempore vitæ meæ malefacta deplorem, & sic omnes horas tecum consumam. Hoc est illius amoris officium: quod ego meis peccatis commerui, tu, Domine, cum ipso transige; & quod ipse pro me postulaverit, hoc tu mihi reliquo tempore miserabilis vitæ meæ concede. *O quanta patientia Dei!*

VI. Sed nunc, Domine, miserias meas dimitto tibi, qui unicum es earum remedium; ut tantò meliùs perspicere,gratóque animo expendere possim primas istas, & infinitas miserationes, quibus usus es mecum primo tuo ingressu. Nónne par erat,ut primas horas, ac dies tui adventûs in mundum, consumeres cum purissima illa anima sacratissimæ Virginis Matris, quam inveniſti plenàm gratiâ, amore ac puritate, quâ tibi tantopere placuit, ut filius ejus fieri velles? vis DEUS meus, ut ego quoque statim ibi habeam locum? statim recordaris miseriarum mearum & necessitatum ut tractes de illarum remedio? O divine Pastor, & amator hujus oviculæ perditæ, qui venis quærere, non justos, quales tota natura humana non habuit, sed peccatores: neque tamen ideo neglexisti animam sacratissimæ Virginis; quia liberalitas & bonitas tua sufficiens erat,ut etiam ipsa de fructibus miserationum

illarum participaret. Sed tu, qui amor, ac divinus amor es, non es particularis aut proprius uni, sed totum te omnibus largiris, ac totum unicuique. Tam ibi me præsentem habebas amori tuo, tam bene me cognoscebas, quàm præsentem habebas animam D. Virginis, cui unitus eras amore. O divine Domine, quantum tibi debeo! quid poterit esse in me, quod non accendatur igne hoc divini amoris, cùm ista video, & credo? O tepiditatem, ô duritiam meam! destrue illam, Domine, igne divini amoris; quia quidquid in me boni est, est ex eo, quod mihi ostendis. Posteaquam acceptâsti pati pro me omnia, quæ tibi Pater repræsentavit sub initium tui adventûs in mundum, tu statim isto amore, ista humili obedientia, ista perfecta resignatione in voluntatem æternam, isto dolore, quem ibi patiebatur tua Humanitas, meritus es abundè veniam peccatorum meorum, lucem tenebrarum mearum, remissionem æterni supplicii, mutationem temporalium in merita gratiæ & gloriæ; fidem, spem, charitatem, quam mihi dedisti, gloriam, quam promisisti; victoriam inimicorum meorum, perfectam redemptionem ab omni malo & servitute animæ: statim cumulâsti me bonis, statim perfecisti opus, ad quod veneras; adeò, ut si nihil ampliùs meâ causâ fecisses, sufficientissimè forem adjutus. Cur igitur, amor divine, quod satis mihi erat, amori tuo non sufficit! O DEUS amoris! qui te non amat, hic te non intelligit, neque scit tuas actiones bene considerare.

Quis eum non amet?

VII. Quod delectat & placet, nunquam parit fastidium, sed desideratur, & juvat continuare: quia ergo te valde delectat, támque sapida tibi est ea, quam nunc facis, copiosa & abundans tui ac bonorum tuorum communicatio; ideo non vis redire statim in cælum, contentus eo, quod primâ horâ fecisti, sed illius continuatione ultra triginta tres annos te oblectas ac satias. O amor, ô amor, ô ingens amor! taceant lingua & intellectus: sic te per totam hanc animam teipsum extende, ut non sit tam frigida & dura, quæ supernas tuas operationes impediat. Accende me, dilata me, corrobora me, ut efflictim te amem, donec amore tuo conflagrem, ac sciam servire; neque enim conveniet, me tam pagum facere pro tanto amore, tam cupido meæ salutis. Quid dicam,

cām, ô amōr divine? confundor miseriâ. Ideo hac hora tibi do, quidquid possum, ut facias mecum id, quod facis te ipso. Ego tibi consigno meam vitam, animam, vires, facultates, & omnia mea. Dispone de omnibus, & de me, sicut voles; nec permitte, ut aliud velim posthac. Volo te solum, & me tantùm propter te. Da mihi habere famem tui, sicut tu habes mei; ut semper te amem, ac desiderem semper amare. *Quis non totum ei se consecret?*

O Mater Dei, Virgo purissima, ac thesauraria misericordiarum istarum; ama pro me hunc Dominum, qui in te mihi tanta bona largitur. Et quia tu meliùs omnibus cognoscis gravitatem obligationum mearum, impetra mihi veniam præteritorum, & fac me servum hujus Domini nunc, & toto vitæ meæ tempore. O Curia cælestis, quæ fructus es hujus novæ plantæ, Dei incarnati, & ardentis amore hominum; lauda eum, & ama illum pro me: & eâ flammâ, quâ vos semper ardetis, me quoque succende in perpetuum. Amen.

ÆRVMNA II.

De Angustia, & Miseria loci, in quo novem mensibus fuit.

I.

Illius Dei tam accuratus, ac solers fuit in inveniendis mediis patiendi, ut ob hoc ipsum obligati simus ad singulas actionum ejus partes memoriâ tenendas, ut possimus eas dignè æstimare, & grati esse pro illis. Atque ita ingens amor ejus excogitavit novum genus molestiæ, quod solus ipse potuit perpeti; videlicet angustias & miserias loci, in quo novem integris mensibus fuit. Noluit sibi Dominus noster ulla re levari suas ærumnas, noluit quoque ullâ carere, quæ illas augeret. Etenim à Divinitate sibi conjuncta nihil refocillationis accepit Humanitas: nam licet anima ejus propter illam unionem Deum videret, ac beata jam esset, deberétque etiam beatitudinem suam communicare cum corpore; tamen, ut pati posset, ingenti miraculo felicitatem illam suspendit, ne *Christus amore patiendi suscepit molestias uteri materni.*

quidquam ab ea derivaretur in corpus, néve hoc minùs obnoxium esset doloribus, quàm ullius alterius hominis : quin ipsa Divinitas Humanitati conjuncta, robur huic addidit, ut multò plus pati posset, quàm ullus alius, atque hoc sine omni levamento dolorum. Sed neque à persona sacratissimæ Virginis, in cujus utero fuit, accepit quicquam solatii, quo minueretur sensus corporalis molestiæ. Quamvis enim anima illa purissima suæ divinæ Majestati esset quidam paradisus deliciarum, longè jucundior illo Adami; tamen illæ deliciæ omnes erant spirituales tantùm, consistebántque in bonis, quæ Dominus contulerat huic animæ ; & in amore perfectissimo, qui inter Matrem, Filiúmque flagrabat. Sed ut per dignitatem Matris DEI Virgo non eximebatur â natura humana, ita nec purissimus venter ejus liber erat à conditione nativa. Nam etsi nec pondus uteri sentiret, nec alias molestias prægnantium, eò quòd concepisset de Spiritu sancto ; tamen in aliis humanis miseriis, quæ summæ sanctitati, ac virginitatis integritati non repugnant, fuit similis reliquæ posteritati Adami.

Quas nemo alius sentit.

II. Volens ergo DEI Filius apparere per omnia similis filio Adami, subjecit se omnibus nostris miseriis ; præter eas, quæ speciem haberent peccati. Unde ex parte suæ Humanitatis non habuit, quo minui posset hæc molestia ventris : quia sicut ejus Conceptio sanctissima fuit opus divinum, non humanum, ita statim primo instanti fuit completum : nam statim Spiritus sanctus formavit corpus illius in ea quantitate minima, in qua natura humana potuit habere vitam & animam, sic tamen perfectum, quoad omnia membra naturalia, ut nullum fuerit unquam eo perfectius: animam quoque infudit ita consummatam in gratia & sapientia, ut & infinitis modis omnem humanam & angelicam creaturam antecelleret, & digna omnino foret, cui uniretur Divinitas Filii DEI, & eidem ad opera divina redemptionis humanæ, instrumentum aptissimum ac perfectissimum esset. Hæc gratia & sapientia in Christo jam tum tanta fuit, ut non posset crescere cum ipso; nec minor in utero Matris, quàm cùm ascendit ad dexteram Patris. Nam crescere, fuisset acquirere, quo ante caruerit, quod ipsum sanè minimè decuit. Ex quo intelligitur, si alii homines non sentiant

tiant molestias in utero matris, id ex ea, quæ est erga filios Adæ, Creatoris pietate provenire, qui reprimit usum rationis novem illis mensibus, ut natura possit facere suum officium, & ipsi non ordiantur vitam à sensu pœnarum. Sed Filius DEI incarnatus, qui pro medio principali assumpsit, multa pati pro nobis, ad ostendendum suum amorem, noluit uti hâc dispensatione naturæ; sed tanquam Creator ejusdem loci, in quo erat, & proinde cognoscebat omnia, sustinuit novem illis mensibus miserias habitaculi sui, obscuritatem loci, viciniam partium & viscerum annexorum. Sanè, qui bene perpendit, quàm sibi grave esset, reverti in uterum matris cum intellectu, quem habet, & quanto feliciùs perferret alias ærumnas quascunque, hic intelliget etiam, quanti constiterit Christo hæc tot mensium commoratio, cum longè majore intellectu ac judicio, quàm sit omnium hominum. Nicodemus obstupuit, cùm audîsset eum, qui renatus non fuerit, salutis compotem fieri non posse: intelligebat enim hoc de reditu in uterum matris, quod ipse pro gravissima & impossibili obligatione habebat, hominem senfatum & senem reverti ad miserias ventris materni, ut possit renasci. Hinc & S. Augustinus in Hymno, quem cum sancto Ambrosio in die sui Baptismi cantavit, gravissimis verbis hoc expressit, dicendo ad Christum: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis Vterum:* horrere, est refugere cum indignatione & nausea. Non horruit Christus eum locum, velut indignum, sed novem ipsis mensibus pertulit, eo amore ac molestia, quâ reliquas omnes vitæ totius; horis, quibus Adam in Paradiso terrestri fuisse putatur, totidem menses opponens, quos non in Paradiso, sed in humili & miserabili loco transegit. Nec voluit suæ ærumnæ decedere illos dies quadraginta, quibus alii infantes animâ carent: sed anticipavit sibi vitam extra ordinem naturæ, ut pateretur tantò diutius.

III. Sicut Job majorem DEI amorem ostendit, cùm ex prosperitate summa in sterquilinium redactus fuit; sic Filius DEI, ne quis eum superare posset amando, voluit à Cælo in locum tam vilem descendere, ac tot mensium spatio in eodem affligi. Secu- *Vt eò magis ostendat suum erga nos amorem.*

tus est in hoc morem amicitiæ, cujus verum argumentum putatur, cùm quis multum patitur pro amico, & quidem tantò certius, quantò minùs id meretur ille, pro quo patitur. Ita Filius DEI non habitâ ratione exigui meriti nostri, toto tempore vitæ suæ diversa patiendo, voluit ostendere perfectam amicitiam, quâ nos complecteretur; ut homines, qui sunt naturâ suâ sociales, & quærunt amicos, nullam amicitiam, & familiaritatem suæ præponant: & ut hoc modo ipsi conciliarentur, celatâ Majestate adeò seipsum demisit: amor enim, ut S. Aug. ait, ignorat Majestatem, quia hæc absterret; amor autem trahit & allicit: Majestas adimit confidentiam in agendo, amor præstat fiduciam: Majestas procùl amovet à se minores, amor æquales facit amantes. Quare ut liberiùs in miseriis nostris agere possemus cum Bonitate sua Divina, excogitavit mirabiles modos Majestatem celandi: ac tanti fecit nostram vilitatem, ut videretur magnitudinem suam præ illa despicere.

Et veram humilitatem doceat nos, etiam in dignitate constitutos.

IV. Hinc æstimare licet, quàm parvi DEUS sit facturus eos, qui magni pendunt seipsos. *Altus est DEVS*, inquit S. August. *erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te:* unde, quamvis oporteat, hominem aliquando ratione muneris, dignitatis, aut alterius causæ apud alios dissimulare humilitatem, & agnitionem suæ tenuitatis; non tamen habet melius indicium, quàm propè aut longè absit à DEO, & ejus amore, quàm ut videat, quanti faciat seipsũ in animo suo corã DEO. Quia verò in hoc ipso decipi potest, ut videatur seipsum parvi pendere, sed revera inveniatur in eo occulta superbia; ad evitandum hoc periculum attendat, an ea, quibus humiliatur, ipsi grata & jucunda sint, & ipse ea desideret ex animo, & quærat, propter intimam cognitionem, quam habet, suæ vilitatis, & odium, quo seipsum prosequitur; contrà verò an ea, quæ ipsum extollunt, metuat, ne forsan DEUM illis offendat: tunc enim est animo bene constituto: quia est talis, ut, cùm id exigit honor DEI, bonum proximi & dignitas officii, possit auctoritatem suæ personæ tueri apud homines, & nihilominus coram DEO in humilitate persistere. At si laus & honor eum delectet, contristet reprehensio, & confusio pariat ei multas cogitationes, indignationes, tædia, & alias perturbationes animi; sciat, in eo statu se esse, in quo

in quo multis cum lacrimis oporteat supplicare DEO pro spiritu humilitatis; & agnoscere, quòd procùl absit à præparatione ad purum DEI amorem, quæ est sincera & simplex humilitas: ac firmiter statuat, non exspectare à Divina Majestate verum ejus amorem, nisi per propria media, quibus Christus ostendit nobis suum amorem, quem erga nos habuit.

V. Neque hîc prætereundum est, quantoperè Christum delectet esse quàm proximum, imò intimum animabus, quas tantùm amavit. Etenim sic amat viscera nostra, ut, quamvis posset sibi condere paradisum, velut Adamo, in quo versaretur humanitate assumpta; maluerit se recondere in Sacramento, ut per modum cibi posset subintrare viscera & corda se amantium ac desiderantium. Adeò verum est, quod dixit Apostolus, *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: ut sicut regnavit peccatum, ita gratia regnet; & corda, quæ occupârat peccatum, nunc Christus inhabitet. Creaverat enim DEUS hominem non ad miserias, sed ad delicias: ideo tradidit ei paradisum pro habiraculo: quem ubi peccando perdidit, & à Justitia Divina fuit condemnatus ad pœnas, non mutavit DEUS propositum, sed restituit homini bonum amissum, compensando miserias, & ipsum in paradisum mutando. Gloria & Lux cælestis Patriæ est Agnus DEI: nam, ut ait, S. Joan. *Claritas DEI illuminavit eam, & Lucerna ejus est Agnus*, & hic est, qui facit illam copiam bonorum, quæ in paradiso sunt: quia ubicunq; ipse est, paradisus est. Et hinc etiam, quia tantopere nos amat, viscera nostra suum paradisum effecit; ut eo modo semper eo gaudeant animæ ipsum amantes, habeántque verum & constantem paradisum: quem si fortè propter peccatum amittant, certæ sunt, se recuperaturas per pœnitentiam & amorem. In hoc paradiso nutrimur ligno vitæ, fovemur igne Divini amoris, recreamur visitatione cælesti. Quisquis ergo mundis oculis, & puro corde consideraverit inventiones Divini amoris, poterit dicere cum Davide: *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEVM vivum.* Caro mea, quia non solùm videt se unitam Verbo Divino, sed etiam electam, ut intra sua viscera illum recipiat: Cor autem, quia videt se in terra capacem gaudiorum paradisi cælestis, quamvis

Simul insinuans, quæ cupiat intimè nobis conjungi, ut patet in Euchar. Sacramento.

Rom. 5. 20.

Apoc. 21. 23

Ps. 83. 3.

vis modo diverso, dum Christum intra se recipit adhuc latentem in Sacramento, quem olim facie ad faciem videbit in cælo.

EXERCITIUM.

Circa Ærumnam Uteri Materni.

I.

Adoratio divinæ Bonitatis.

Quis poterit unquam, Domine mi, comprehendere consilia tuæ æternæ Sapientiæ? Adoro & glorifico, quantùm possum; ac desidero posse adorare te, quantùm merentur mirabilia opera tua, ad quæ infinitus amor mei, pro me facienda te induxit. Desidero toto corde amare te, & servire tibi pro illis, & esse tuus omnibus horis ac momentis vitæ meæ, quia totum est exiguum ad hoc, quod meretur infinita bonitas, quâ mecum es usus. Venis Filius Dei vivi, de sinu Patris Æterni, ubi degis, & ubi es Verbum Æternum ac Divinum, æqualis illi in Divinitate, Majestate, Potentia, Magnitudine, Bonitate, Sapientia, Gloria infinita, Æternitate Divinorum bonorum. Venis ad uniendum tibi nostram naturam; nec horres novem mensibus esse in tam vili, & miserabili loco, qualis est uterus mulieris: quæ licèt in anima esset sanctissima, tamen in sacratissimo ventre à vilitatibus, & ordinariis miseriis aliorum hominum non erat immunis. Non est hîc, Deus meus, quo terreamur, sed quod adoremus, & amemus divitias tuæ Divinæ bonitatis, & amoris, qui te compulit ad tantam demissionem, & hoc meâ causâ. Imò in hoc, Deus meus, ac Dominus meus, pati voluisti, quod alii non patiuntur: quia tu, Deus & Creator noster, qui misericordiâ tuâ metiris Ærumnas, quas distribuis, cùm scires gravissimum fore, si homo rationis compos cogeretur in utero Matris pati obscuritatem, angustias & miserias, quæ sine fastidio nominari non possunt, spatio novem mensium; præ compassione non sustinuisti, ut vitam auspicaremur cum tanta miseria: pietate motus suspendisti nobis usum rationis tantisper, dum corpus acciperet aliquas vires ad opera, quæ ratio nobis dictaret: quo factum est, ut miseriam illam carceris uterini nec intelligeremus, neque sentiremus quodammodo. Atque ita erga nos benignus

gnus, pius ac dulcis Pater fuisti : sed erga te solum, ô Pulchritudo æterna, asper & rigidus, ut solus inter homines pati velles pro ipsis, & peccatis ipsorum has angustias, tenebras, & molestias loci tam abjecti, in quo moratus es tot mensibus, in tanta sapientia, & perfectione donorum gratiæ, quæ tunc non fuerunt minora in te, quàm nunc sunt. Sit tibi benedictio, laus, & gloria pro tanta misericordia, quâ erga nos usus fuisti.

II. O vita animæ meæ, quàm es cupidus patiendi, dum excogitas modos patiendi, quæ nemo pati potest, nisi tu solus! Tu vis omnes superare in omnibus rebus; in amando infinitùm, in demittendo te plurimùm, in patiendo immensùm, in omnibus exhibendo te talem, ut hæc anima mea non recipiat alium amicum, alium patrem, aliud refugium, quàm te. Quare non amo te ex toto corde, DEUS meus? quid possum ego pati pro te, quod non sit minus, quàm debeam? tecum in patiendo non uteris pondere, nec mensurâ; quia mensura patiendi tibi est amor: mecum autem agis benignè, dans mihi, quod patiar, secundùm meam exiguam & miserabilem capacitatem: & nihilominus, ego, DEUS meus, lamentor, & vellem non pati, conando id, quantùm possum, excutere aut levare. Heu quàm parùm te amo! & quantùm deberem te amare, mi bone JESU, vita animæ meæ, ac beatitudo mea! Muta, Domine, hanc debilitatem flaccidæ carnis meæ in fortitudinem, & in magnum desiderium patiendi multum pro te. Doce me illam odisse; & posteaquam video illam in te tam malè habitam usque ad Crucem, tolle à me amorem, quo feror in eam, quæ me perdit, ac perdere facit omnia bona, mihi data à te: subjice illam tibi, Domine, sicut convenit. *Immensitas divini amoris.*

III. Jam, ô vita animæ meæ, gloria paradisi, beatitudo & jucunditas cæli, quomodo primo parenti nostro Adamo dedisti locum deliciarum, liberum ab omni terrena miseria; tibi verò reparatori, & vero patri nostro eligis locum ita miserabilem? Non reperitur Paradisus pro te, qui nos venisti educere ex his miseriis, in quibus versamur? O sapientissime Cognitor mearum necessitatum! O misericordissime Sublevator earum! O divine Magister ignorantiæ meæ, Redemptor & Curator prudentissime plagarum *Christus consors miseriarum nostrarum.*

mearum! Bene demonstrâsti in Adamo, te non delectari miseriis hominum, sed felicitate, ut essent sine dolore, & educati in Paradiso tanquam filii Principum, postea transferrentur ad Principatum æternum in gloria. Sed nimirum tantam felicitatem non capiebat natura tam vilis & infima: & posteaquam in voluptatibus periit noster primus parens, convenit, ut nos illam recuperemus in doloribus & ærumnis: quæ ut nobis remedio sint ad obtinendam salutem, in hac schola miseriarum, & laborum nos exerces ad debitam humilitatem & obedientiam. Atque ut agnoscamus tuum erga nos amorem, DEUS animæ meæ, tu nos quæris, ac venis ad consolandum nos, facísque te miseriarum socium ac participem. Imò pro uno verbere, quod infligis mihi, tu ipsemet excipis centum; & si mihi quid grave imponis, tu illud omne, ac me simul accipis in tuos humeros; & similiter omnes alios homines: adeò ut Paradisus tuus, ac deliciæ sint, mihi mederi, me docere, me curare, me comitari, & me tecum bonis ornare.

Hominis confusio.

IV. O misericordia infinita, erubesco & confundor in tuo conspectu, cùm video meipsum, & comparo tecum. O qualis ego sum filius Adæ, qui cùm in Paradiso non sim, quæro Paradisum in terra, quæ locus est lacrimarum ac laborum! sic amores hujus vitæ, sic meipsum perdo propter illas, sic trahunt ipsæ omnes meas cogitationes, omnes sensus, & appetitus, ac si essent bona vera & æterna: propter illas tendo ad interitum, ac desero te, ô vita animæ meæ. Tu Domine noluisti abire ullam partem vitæ tuæ sine immensis ærumnis, & ego vellem omnes horas meas transigere in deliciis ac voluptatibus. Ego ex creaturis facio mihi totidem miserabiles DEOS, dum amorem, quem tibi soli debeo, DEUS meus, tollo à te, ac transfero in illas: & eousque procedit mea stultitia, ut amem etiam tuos inimicos: ac totidem dominos agnoscat anima mea, quot sunt peccata, quæ contra te, DEUS meus, committo. O infelices horæ, sic amissæ, & malè expensæ in tantis abominationibus, & indignitatibus, quas tu cognoscis, & ego non audeo dicere; quamvis tibi, DEUS meus, repræsentem & eas confitear. Sana illas, Domine, & per misericordiam tuam, tolle ab anima mea amorem illarum & mundi, & restaura interiora mea destructa.

V. O qui

V. O qui te nunquam offendisset! Da mihi, Domine, ut omnes voluptates ac deliciæ totius mundi, mihi posthac sint fel & acetum; & voluptas mea sit humiliari, ac subjici totum servitio tuo. Da mihi amorem tui, muta mihi gustum, sensum & cogitationem in te, mi bone JESU. O vere amice animæ meæ, quomodo tibi ipsi es per omnia similis, pulcherrime, amorosissime, optime JESU! Pulcher in tuis initiis, pulcher in medio, pulcher in fine; semper idem ipse, totus suavis, totus affluens misericordiâ & amore. In ingressu mundi non recusas locum viscerum humanorum, ut credam tibi, cùm dicis, te fore cibum meum, ut te habeam in visceribus meis. Ut mea subeas, DEUS meus, te consuefacis in maternis, & per hoc mihi persuades, quòd cupias, ut te intra mea recipiam. In sanctissimis visceribus purissimæ Matris te facis hominem, ut facias te cibum, ac panem divinum, atque ita possis intrare in mea. Quid hoc est, DEUS meus! non solùm degens in terra quæris viscera humana, sed vis in illis etiam esse jam gloriosus in cælo? itáne vis esse intra me, itáne inhabitare interiora pectoris mei corporei, & multò magis animæ, quam creâsti? O quàm verum est, quòd deliciæ tuæ sint esse cum filiis hominum! quid invenis in me, Domine, cur tantopere velis esse mecum? Tuas divitias habes tecum; quid amplius potest inveniri in me, ut tibi non sufficiat esse solum, & velis mecum esse, qui scateo miseriis & peccatis? Tu es ipse Paradisus, plenus omnium bonorum, quid quæris meas miserias? quomodo possum esse paradisus hujus Paradisi, qui infinitis bonis abundat? O Domine, qui haberet tantum de tuo lumine, ut te intelligeret; de tuo amore, ut te quæreret! Ideo, bone JESU, cupis mecum esse, quia tu es Paradisus, & ostendere in me tuam virtutem, ut dum ego sum in te, sim in paradiso; & à te, DEUS meus, accipiam veros fructus vitæ, sapientiæ & amoris, dum mihi te totum largiris, & hanc animam facis participem tuæ suavitatis, & opum tuarum.

Contritio.

Viscera hominis, paradisus Christi.

VI. O DEUS meus, & unicum bonum meum; da mihi, ut gaudium meum sit in te super omnia, supra sanitatem, & pulchritudinem, supra omnem gloriam & honorem, potentiam, opulentiam, artes, amicitiam, famam & laudes, & supra omnia, quæ potes

Contemptus rerum omnium pra IESV.

mihi dare, visibilia & invisibilia. Tu es bonus super omnia: tu solus altissimus, potentissimus, pulcherrimus, amantissimus, gloriosissimus, nobilissimus. Tu es verus paradisus deliciarum & bonorum omnium: sine te paradisus est miserandum exilium. Non potest cor meum habere integram pacem, nisi in te; & quia hoc scis, excogitas tot modos manendi in me, ut sic ego possim manere in te: & quia ego te non quæro, tu quæris me, & venis ad me, minando mihi mortem, si me disjungam à te. O Sponse animæ meæ, Jesu amator purissime, quando videbo me liberum à meipso, ut possim manere in te? quando veniet hora beata, quæ me totum occupet in te, ut videam, quàm suavis & dulcis es, Deus meus! quando me totum dabo tibi, ut totus possessus à tuo amore, nihil sentiam ultrà meiipsius? O quàm multa mihi lacrimas excutiunt, quia me à te abducunt, me perturbant, me contristant, me obscurant, me distrahunt, me demergunt, me impediunt, ne liberè intrem in te, & veniam in suaves tuos amplexus! O Jesu, splendor gloriæ, consolatio animæ peregrinantis; ego adsto coram te tam miserabilis, ut nesciam quid dicam: sed necessitates meæ exprimunt has voces ad te, dulcissime amor, ut ita te pertraham in hæc viscera, & cor meum. Audi illas, Domine, & ne tardes venire ad hunc indignum ac pauperem servum tuum, ut me exhilares paradiso bonorum tuorum: Tu es gaudium meum, & sine te, verè lætus esse non possum. Ego sum miserabilis, Domine, ac plenus cæcitate & peccatis, donec ostendas mihi dulcem faciem tuam & sic me liberes à meipso. Quærant alii, quidquid volunt; mihi aliud non satisfacit, nec placet, nisi tu solus Deus, & amor animæ meæ, spes mea, & salus mea. Veni citò Domine, & si tantopere desideras mecum esse, ecce me! aperi, dulcis Jesu, cor hoc, & dic ei, *Salus tua ego sum*: & me simul tecum, & in te succende tuo amore.

O sacratissima Dei Mater, Virgo purissima, quæ meruisti novem mensibus esse thesauraria bonorũ Dei: tu illa non habuisti pro te sola, quia pro me illa custodivisti & nutrîsti, pro me tibi sunt credita. Esto igitur, Domina, liberalis erga me; da mihi hunc Dominum, & tolle à me, quidquid ab illo, & ejus amore disjungit. Et quia sua divina Majestas non horret humana viscera, sed tantùm

peccata,

peccata; purifica me, ut merear eum semper mecum habere. O Cives cælestes, super quos Dominus iste jam regnat sine impedimento, impetrate huic pauperculo unam scintillam amoris, quo vos ardetis, ut accendatur etiam in anima mea, donec veniam ad vos, & gaudeam vestrâ societate. Amen.

ÆRVMNA III.
Violenta repressio ferventis Amoris.

I.

GUerricus Abbas in quodam sermone facit mentionem alterius molestiæ, quam Christus Dominus noster sustinuit novem illis mensibus, in utero sacratissimæ Virginis MARIÆ, Dominæ nostræ, valde propriam & connaturalem immenso igni, qui semper flagravit in pectore Domini: quæ fuit repressio impetûs & violentiæ sui amoris, ne erumperet in opus, propter quod venit in mundum. Habet amor naturam ignis, elementi cæteris omnibus robustioris & operosioris. Ideo propter opera amoris, quæ DEUS fecit, excedentia judicium & intellectum humanum, quæque si non provenissent ab amore infinito, viderentur minimè convenire Majestati Autoris eorum, vocatur *Ignis consumens.* Apprimè sanè conveniunt amori divino omnia nomina, significantia potentiam & magnitudinem, ut sunt: Fortis, invincibilis, omnipotens, impetuosus, inflammans, & alia id genus: quia æternus ac supernus ignis, à quo procedunt opera DEI, sunt evidentia signa proprietatis, cui hæc & alia attributa conveniunt. Atque ut ignis, ubi incidit in meliùs paratam materiam, ibi magis exerit vim suam: sic amor in magnitudine, & majestate pectoris divini, capi non potest humano judicio, quantarum sit virium. Hoc igne ardebat Verbum Incarnatum in ventre sacratissimæ Matris, dum exspectaret terminos & spatia naturæ ad egrediendum, & aggredienda divina opera, doctrinam cælestem, immensos perpessionum excessus, & exundantia flumina gratiarum. Ardebat complere, quod sibi impositum erat, & cogebatur manere absconditus & ignotus, exspectare tot mensibus, imò & annis, donec tempus æterno consilio præfinitum adesset.

Serm. 3. de Annunc.

Vis amoris Christi.

Deut. 4. 24.

Violenta repressio.

II. Hinc impetus & vis hujus amoris ab ipsomet Christo repressi, reflectebatur in illum, illum affligebat, cruciabat, ac devastabat. Si verum est, quod dicit Scriptura, & experientia docet esse verissimum: *spes, quæ differtur, affligit animam;* & quantò res magis desideratur & æstimatur, tantò magis affligit ejus dilatio; quanta fuerit afflictio hujus animæ eo tempore, quo, donec natura corpus ad debita incrementa perduceret, exspectabat, ut posset potiri voto cordis sui; quod erat, implere nos bonis, & impleri malis, quæ decreverat pati, ad satisfaciendum suo impetuoso amori? S. Augustinus alicubi dicit: si Deus pati posset in sua natura, nihil aliud passurum, quàm angustias sui amoris: cùm enim ipse tam sit plenus amore, ut totus sit amor, nihil aliud eum posset affligere, quàm quòd non ametur, quantùm desiderat; quia videantur frustra fuisse, quæ fecit, ac passus est hominum causâ. Sed longè profectò gravius ei fuerit, cùm infinitis modis amet, non posse ostendere, quantùm nos amet: quia major est vis amoris, quâ rapit amantem in amatum, quàm ea, quâ trahit amatum ad se. Quod in sua natura Deus non potuit, in assumpta est passus; in qua cùm amorem suum omnibus modis vellet ostendere, neque hoc permitteret mora trahenda in utero, necessariò summum ei cruciatum conscivit. Nam illam ut instrumentum infiniti amoris acceperat; & tamen impetum ejus, flagrantis erumpere, dura necessitas exspectandi tenebat. Apparuit hoc, ubi solutus & liber ejus amor jam fuit. Quomodo sacratissimam suam humanitatem tractavit! quas artes patiendi solertiâ summâ invenit! nam primò natura vires, quas potuit, omnes exeruit, ut furiam & æstum hujus amoris sedaret: deinde cùm ipse videret humanitatem suam tantum pati non posse, quantum ipse vellet, ante mortem excogitavit modum, quo se in escam præberet, ut sic incorporatus se manducantibus, seculis insequentibus usque ad mundi finem ageret, ac pateretur in illis, quod in seipso non poterat. Denique etiam post mortem curavit sibi aperiri latus in Cruce, ut cum hac & manuum pedúmque plagis cælum subiret, cùm ut animo suo ita satisfaceret, tum etiam ut pateret, nihil ultrà fuisse, quod præstaret, dum fontes istos relinquebat apertos.

Proverb. 13. 12.

III. Duæ

III. Duæ res inveniuntur in mundo, quarum experientia monstrat hanc veritatem de Christo: sanctus Amor proborum, ac terrenus vanorum. Sanctus Amor piorum scintilla est flammæ incomprehensibilis Divini amoris, quo Christus Dominus noster flagrabat; idémque in multis eorum hoc agit, ut semper eos discruciet, cogátque vitam dolore plenam exigere. Dolet eis, non videre illum, quem adamant; quia in exilio suo, cum pondere carnis, non possunt assequi, quod ab eis Deus requirit. Hinc fit, ut amittant omnem ferè gustum sensuum, noctes degant insomnes, cibus & relaxatio corporis molesta sit: quia tanta est vis, quam eis affert amor divinus, ut non sinat eos occupari cum alio, quàm secum: quidquid agunt, eis parum videtur; flagrant toti conflagrare: atque ut anima in ergastulo corporis minùs libera est ad ea, quæ flagitat spiritus, ita semper vivunt in continuis pœnis: & qui ad eum statum perveniunt, majorem partem sunt infirmi, debiles, & valetudinis exiguæ; quæ autem secretò patiuntur, non est hujus loci, neque omnes capiunt: qui experiuntur, sentiunt, quale tormentum sit purus amor illi animæ, quam occupat, & quàm difficile sit explicare verbis lætitiam ac pacem, quâ gaudent, mixtâ semper doloribus ac tormentis: quantò denique majore patientiâ sit opus ad sufferendum onus vitæ istius, quàm Ærumnas mundi. De hoc agebat Apostolus, cùm deploraret se infelicem, quòd, gravatus pondere corporis, non sineretur abire, quò spiritus eum vocabat, & cùm tam vicinus esset Christo, qui solus in eo vivebat, mori deputabat in lucro: & quando David tristem animam suam consolabatur spe, quam habebat, occupandi se adhuc in laudibus Dei sui; & quando pro cibo fuerunt ei lacrimæ die ac nocte, propterea quòd non videret Deum suum, quem efflictim amabat; apparuit profectò, longè majus in ejus animo fuisse tormentum amoris, quàm eorum, quæ patiebatur intrinsecus. Quòd si tam grave fuit sanctis hominib⁹ tolerare unam scintillam divini amoris, quòd in hac mortali vita sese, ut vellet, explicare ac dilatare non posset, ut exilium hoc videretur eis intolerabile, ac vitæ pigeret; quid effecerit ille intensus ignis in pectore Christi, cùm exspectare debuit tempus, quo ei liceret facere, quod tantopere cupiit? *Colligas ex Sanctorum.*

IV. Jam

Et profanorum amoribus.

IV. Jam nemo est, qui ignoret furias amoris terreni, & violentiam, quâ tendit in id, quod amat. Ab illo nascitur mœror ex absentia, spes ex apparentia, gaudium ex adeptione, metus ex periculo, dolor ex jactura. Non curat quale sit, quod amat, bonum, an malum; sed ita fertur in illud, ut omnem laborem pro consequendo ducat exiguum; omne impedimentum, quantumvis bonum, reputet iniquum & intolerabile; omne adjumentum ad consequendum approbet, appetat & arripiat, nõ alia ratione quàm suorum appetituum: omnia penetrat, omnia perrumpit, omnia tentat, neque aliud ei molestum est, quàm non potiri optatis. Nec rarò videmus amore percitum animum, planè durum, cæcum & obstinatum esse contra omne bonum consilium, in iis rebus, quæ judicio sano & libero habentur pro pessimis. Clariùs hoc cernitur in illis, qui illustrati à Deo tali se amore conantur exuere, ut corde ab his, quæ malè deperierant, avulso ferantur in Deum: nam tunc videre est, ut animus affectione terrena imbutus, quasi ruptis rectæ rationis catenis, resistat veritati ac Deo, ad instar dementis. Omitto alia, quorum quotidianus est usus & experientia. Sufficiat, Ærumnas humanæ vitæ, quibus perpetuò conflictantur, omnes oriri ab affectionibus animi, aut nimiùm amantis, quod nititur obtinere; aut non invenientis requiem in eo, qnod habet vel desiderat; aut quia appetitus & amor est major eo, quod amat & appetit; atque ita, dum conflagrat immodicis cupiditatibus, & mœret rei concupitæ defectu, justas Deo dat pœnas, quòd ipsum non amet.

Conf. l. 1. c. 20.

Insistis enim, ait Augustin. *& sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Quòd si terrenus amor, qui non est scintilla divini, sed rudis quædam ejus adumbratio, & veluti pictus ignis comparatus cum vero, nihilominus tantum potest in hominibus; quid effecerit vivus ille ac purus ignis amoris in propria & naturali sphæra, quod est pectus Christi, quando vidit se impediri ab eo, quod desiderabat?

Heu, quàm sumus ei dissimiles!

V. Quando verò homo Christianus intuetur hæc specula amoris, maximo sanè pudore confundatur oportet: nam si oculos habet, ut cum divino amore Christi se conferat, ut S. Augustinus faciebat, deprehendet se in vasta regione dissimilitudinis; quia nobilitas

bilitas ac dignitas animæ consistit in eo, ut similis fiat suo Creatori, in perfectione & actionibus suis: quando ergo, ut filius prodigus, discedit ab hac regione similitudinis divinæ, ubi erit, nisi in regione longinqua, confusionis ac pudoris, in qua nihil inveniet, quod puritati sui Creatoris sit simile? & si anima tam cæca sit, ut non possit intelligere amorem DEI, & ex ejus comparatione seipsam; hoc saltem clarè videbit, quàm longè sit ab illo amore: quia in his teneris affectibus, quibus æstuat; in labore, quem subit eorum causâ; in mœrore, cùm non fit compos votorum; in fervore, quo illa prosequitur; in occupatione, quâ distinetur; & in omnibus aliis, quæ patitur, deprehenditur manifestè, quàm homo amet seipsum, quámque DEI, ac suæ salutis immemor, parùm aut nihil agat amore Domini, cui vitam & omnia debet, quæ habet.

EXERCITIUM

Circa repressam vim amoris Divini.

I.

TU non potes otiari, ô ignis & amor Divine! & quando foris videris nihil agere, intus magis grassaris: quia, cùm non edis tuos effectus, non videris mereri nomen amoris & ignis. Tu, mi bone JESU, es DEUS amoris: Tu es purus ignis & amor Divinus, totus ardes: neque est opus, ut alius te, quàm tuus amor, excruciet; quæ sunt hæ angustiæ, quibus amorem tuum coarctas, ô vita animæ meæ! ô vere amice animæ meæ! non est hæc tua natura: semper valde sentitur, fatigat & affligit, quod valde æstimatur, ac desideratur. Tu tantopere æstimas, ac desideras me cumulare gratiis, fundere sanguinem, pati & mori pro me, totúsque impendi mei amori & remedio: quod dum differtur, ardes, suspiras, cruciaris, affligeris. Desideras te mundo ostendere, & cogeris latere: desideras docere tuam veritatem, & cogeris tacere: desideras vocare & colligere peccatores, curare infirmos, implere omnia virtute, & gratia, pati & mori pro genere humano, & cogeris esse absconditus & incognitus. Ex amore obedis Patri æterno, & obe-

Amor Christi nescit otiari.

Sed continet se ex obedientia.

diendo desideras, & desiderando pateris moras naturæ. Nondum potes tolerare labores tibi propositos; sed cruciaris tolerando dilationem ejus, ad quod venis in mundum.

Non tamen sine maximo sensu.

II. O quàm parùm intelligunt amatores mundi hoc genus tui laboris! qui te amat, intelligit. Si tui servi, bone Jesu, quos afflas puro amore, præ amore semper in tormento sunt, dum vident mundum perire, prolongari verò exilium suum, ac desiderium, quod in eis ardet, gloriæ tuæ, & salutis proximi, & hoc est eis continuum martyrium, quod sentiant deesse vires ad ea, quæ ab eis exigit amor, ac desiderium te complectendi: quale tibi tormentum erit, ô Domine mi, amare, desiderare, sperare, flagrare in tuo Divino pectore immensa incendia Divini puríque amoris; si una scintilla, quæ à te provenit ac prosilit in servos tuos, tantùm potest in illis? benedicatur & laudetur semper sanctus hic amor tuus, ô Deus meus, ac Dominus animæ meæ, qui tantum in hac exspectatione tibi affert molestiæ. Hîc, ô Domine, habes, quo eum exerceas ac mitiges: en, coram te adstat anima mea tam pauper & miserabilis, plenáque peccatis, cui solus amor tuus potest mederi, & in quo solo spem habet. Aspice, Domine, oculis tuæ pietatis interiora mea, & miserere vastitatis, quæ ibi est, & plagarum lethalium hujus tuæ creaturæ.

Noster amor terrenus.

III. O quàm longè absum, Deus meus, à tuo amore! quia quod hic efficit in te, ut me adjuves, hoc facit in me amor mundanus, ut me à te separet: ad res terrenas curro impetuoso affectu; doleo, si differantur; affligor, si non potiar; irascor, si non procedant ex voto; exspecto cum desiderio, quæro cum studio, teneo cum sollicitudine, amitto cum magno dolore; quia me abstraxerunt, ac disjunxerunt à te. O me miserum! qui etsi totum hoc agnoscam, non tamen me satis cognosco: aliàs rumperer dolore, videns quantò minoris æstimaverim te, gloria mea, quàm mundum; & quoties te meæ voluptatis causâ dimiserim.

Divino se subtrahit.

O Divine Amor, quantum tibi debeo! quid me fieret, si tu infinitus non esses? neque enim aliàs me potuisses sufferre. Quoties Deus meus, ingressus es hanc animam cum donis tuis, ac desiderio manendi mecum, & me bonis ditandi: at superveniente desiderio rei terrenæ, sine pudore ac reverentia, te foras ejeci, ut intrare

possent

possent mei miserabiles & infelices affectus ? quando postea me vides perditum & eversum per illos, mox revertor ad te, & invenio te patrem, & amicum, immemorem factæ injuriæ : subitò me recipis in gratiam, excipis amanter, inspiras consilia salutaria, redis ad interiora mea : & ego necdum trado me totum tuo amori. Redeo singulis passibus ad deserendum te, & amandandum à corde meo, per mea peccata, quæ magis delectant, quàm tu, Dominus meus : quandoquidem te propter illa dimitto.

IV. Et quomodo vivo, DEUS meus ! quomodo coram te ista confiteor sine dolore, qui mihi vitam possit exprimere ! O misericordia infinita ! O Bonitas immensa ! O Pietas æterna ! quantas causas habuisses jam pridem me abigendi à te, projiciendi me in infernum, atque tradendi in manus diaboli ? & tu tamen ita infinitè bonus es, ut hoc non facias, ut sustineas, exspectes, ac sinas te despici, desiderans ut revertar ad quærendum & invocandum te, ut mihi denuo porrigas manum. O vita animæ meæ ! qualis sum, quando te desero ? sine vita, sine sanitate, sine luce, sine amore, traditus potestati meorum peccatorum, ac diaboli, cujus me voluntati subjeci. Quid dico, bone JESU ! sum sine te, Deo meo, omni bono meo, omni spe mea. O me pauperem, me infelicem ! quando finietur tandem hæc odiosa mea peregrinatio ? quando videbo me extra periculum te rursus amittendi, ô DEUS meus ! Ignosce Domine : ignosce, JESU : ignosce, Agnus DEI, hoc, quod vides in hac paupere anima mea : fac, ut consumar dolore ac sensu malorum meorum : en ego illa, & me simul injicio in ignem, qui ardet in te. sana, Domine, vulnera mea, & muta me totum ad voluntatem tuam. Hîc operare, Domine, hîc arde, hîc desiderium tuum exsatura.

Prô dolor.

Ne quod vellet, in nobis efficiat.

V. O quando me videbo possessum ab amore tuo, ut anima mea possit cum veritate dicere : Tu es Deus meus, amor meus, Dominus meus, omnia mea, & ego totus tuus ! O quando contemnam omnia hujus mundi, & omnia desideria mea in te conjiciam, vita mea beata ! O quando fatigabor hâc vitâ, ut res ejus tanto mihi sint horrori, quantùm placebant, cùm eas expeterem ! O vita cordis mei ! ardet nunc anima mea desiderio tenendi & amandi

Nos ad se trahendo.

te. Tu, Domine, sic amoris tui ignem accende in ea, ut semper ardeat, & in nulla ampliùs probatione sui deficiat. O mea flamma, & suavis amor meus, quid vis, ut faciam? quicquid hactenus amavi, vertatur contra me, ut cor meum convertatur ad te: cum omnibus rebus volo bellum habere, tecum solo pacem & amicitiam. Omnibus amore tui renuncio; te solum volo, tibi me restituo, me offero, me totum consigno. Infer mihi, Domine, pœnas, tribulationes & cruces, dummodo cum iis tuus divinus amor me comprehendat, vinciat ac teneat. Doce me Domine, sic ferre sarcinam carnis hujus, ne te amittam, neque offendam: doce me multum pati pro te: doce me æstimare te: nesciam aliam jacturam, quàm tui; aliud lucrum, quàm tuum amorem: horream omnia, quæ abducunt à te: jaciam affectum meum, & amorem meum in ea, quæ ducunt ad te. Tu es unicus amor meus, & finis totius vitæ meæ, desideriorum meorum, & actionum mearum. Te quæram, tibi conjungar, te solum desiderem, & totum hoc, quod tu non es, amodo fastidiam. Defige, vita mea, in te omnem sensum, & cogitationem meam: delectet me solùm pati pro te, & subjici voluntati tuæ. Obliviscere, Domine, præterita mala mea, respice desideria, quæ nunc mihi largiris: & quia scis, quàm gravia sint desideria, quæ differuntur, ne moreris, bone JESU, venire ad me, & recipere me ad te, quod summè desidero. Veni, Domine, & præsentiâ tuâ illumina tenebras hujus animæ, & fac, ut summa pœna mea sit mora tua in impertiendo mihi tuo amore. O quando, amor divine, facies opus tuum in anima mea! O Amor, non occupa te totum in torquendo hoc innocente agnello: suscipe etiam curam domandi & cicurandi ferum hunc lupum, animam meam, & eam semper duc ad manum. O utinam tandem videam me totum mutatum, & possessum à te, Amor Divine!

Ac totos occupando.

VI. Et quid magni erit, Deus animæ meæ, si desiderem occupari me totum in te, posteaquam sine te perdo me, & video te semper mecum occupari sine alio lucro, quàm quòd te delectet me amare, ac donare gratiâ tuâ? nam fortè, mi bone JESU, es otiatus novem his mensibus, cùm taceres, lateres, nec patereris, quod optabas? Minimè verò: totum hoc tempus impendisti sensui malorum

lorum meorum, & obtulisti te Patri tuo æterno, impetrando & promerendo mihi miserationes & beneficia infinita: jam ibi habebas me præsentem, & amabas me: jam ibi vocabat me amor tuus ad unionem, & ad servitium tuum. Omnem guttam sanguinis, quæ accrescebat corpori tuo, omne nutrimentum, quod hauriebas pro membris tuis tenellis, omne incrementum staturæ offerebas Patri æterno, & renovabas amorem, totum pro me deputans Cruci: ac totidem desideria, novósque gustus habuisti, multum faciendi pro me, quot momentis procedebat vita, & tuæ naturæ humanæ robur, quam mei amore assumpseras. Quid amplius pro me facere poteras, si ego Deus tuus fuissem? Adoro hanc Bonitatem, adoro hanc cogitationem, & amorem infinitum, tam generalem, ac tam particularem; tam antiquum, ac tam novum; tam amplum, ac tam minutum; tam æternum, ac toties renovatum. Obstupeo & obmutesco: inflamma cor meum vero amore, ut possim sentire, gratus esse, ac te amare.

VII. Tu me, Deus meus! tu pro me! & quomodo non erras in eo, quod agis, nec te seducit malus affectus! Ergo Deus meus, tu me? Ah, ah. Bonitas! ah, ah, ah! amor sine lege, sine norma & mensura! adoro te, laudo te, desidero te, suspiro ad te. Veni Domine, & age in me hoc, quod agis in te: & quia non admittis aliam rationem ejus, quod agis, quàm amorem; doce me hanc legem, & hanc rationem, ut ea sola me regat. Quid magnifacio te valde desiderando, te multùm amando, vivendo tibi soli; quandoquidem pro nihilo est, quod facio, neque dignè possum respondere debito meo? non possum esse primus, quia tu semper incipis: placeat ergo tibi, Domine, ut sim saltem secundus, & aliquâ scintillâ amori tuo immenso respondeam. Sed tuum est, amor divine, facere omnia, & hoc ipsum, quod jam desidero, est opus tuum. Tolle, Domine, à me impedimenta tui amoris; dirue murum hunc interpositum inter te & me. Amor, qui tantopere te occupat mecum, moveat te, ut destruas, quod in me tibi non placet, nec satisfacit. Dirige, Domine, ac Deus meus, omne desiderium meum, spem meam, vires meas, totam animam meam, totum tempus, & omnes actiones meas secundùm voluntatem tuam divinam. Quis

Vinam, utinam.

me cognoscit, sicut tu, Deus meus? quis videt necessitates meas, nisi tu, qui es unicum remedium? Ego adsto coram te, qualem me vides: quid jam desiderem, tu scis: quo ardore, qua tepiditate desiderem, tu solus intelligis: quantum tibi debeam, scis: quantùm egeam tuo amore, tu, qui amas animam meam, optimè perspicis. Da mihi, Amor meus, hoc, quod vides mihi tam necessarium, ac præpara me ad recipiendum hoc, quod mihi dare solus tu potes. Ego sum tuus, & tu meus: tibi loquatur pro me amor tuus. En habes hîc me tibi subjectum quantùm possum, oculis, desiderio, spe, animâ, omnibus viribus suspirando ad te. Quando venies, Domine, & abundanter me inflamabis totum tuo amore? ô DEUS meus, ô amor meus, ô vita mea, ô ignis meus, ô mi dulcissime JESU!

Mater DEI, Virgo purissima, quis poterit unquam comprehendere, quæ consecuta es novem his mensibus? obmutescit hîc etiam lingua mea, loquatur desiderium meum. Da mihi hunc Dominum, da mihi eum, Domina vitæ meæ: da mihi eum, spes mea: plus petere nec scio, nec volo. Tu scis quomodo solum Christum desiderem: obtine mihi amorem, ut sciam desiderare perfectè; & brachia interna ac pura, quibus eum semper retineam. O Curia cælestis, quæ amas & amaris, & in hoc omne tuum bonum consistit, fac ne pauperculus ego hoc caream, sed ut vivam semper, amando, posteaquam vivo amatus ab hoc Domino, qui in vobis vivit & regnat.

EXERCITIUM.

Circa Incarnationem Domini.

I.

Adoratio Verbi Incarnati.

ADoro te, Verbum Incarnatum! adoro te, Fili DEI! qui factus es homo: adoro te, Deum verum, vestitum miserabili mea mortalitate & carne. Venisti, desideratus à patribus: venisti, salus animarum, vera vita & felicitas errantium peccatorum. Non glorietur ampliùs cælum, quòd solùm ipsum inhabites, posteaquam unitus meæ humanitati, & socius es mei exilij. Jam nulla creatura me contemnat, posteaquam non adoro Angelos, sed ipsi DEUM adorant hominem. Venit hora tua, ô fons aquarum viventium, Flumen copiosum, & affluens infini-

infinitâ bonitate, & miserationibus. Natus es, Deus meus, ac Dominus meus, de Matre, inundans omnia gratiis ac divitiis cælestibus: oblitus malorum nostrorum, suscepisti miserias nostras, & venisti, ô Sponse animarum, plenus gratiæ & veritatis; ô qualis gratiæ, ô qualis veritatis! quis est ita verax, ut Tu, Deus meus? quando mundus minimè hoc merebatur, & peccata regnabant, & per ea magis corrupta & vastata erat natura; quando maximè causam habebas abhorrendi à nobis; tunc apparuit veritas tua, tunc totum te dedisti nobis in manus, tunc venisti nos quærere, & succurrere tuâ præsentiâ: factus es homo similis nobis, & socius, & remedium malorum nostrorum. Tantùm Tu Domine, verax es; ac tempora, quæ implendis tuis promissionibus decrevisti, nunquam emanent. Quando videris longè abesse, tunc es propinquior, & ostendis tuam præsentiam plenam gratiæ & veritatis: quia tecum adducis misericordiam, divitias, bona, salutem, vitam, felicitatem, pacem, amicitiam, thesauros, magnitudinem, & abundantiam veram animarum, quas venis quærere; & mundi, quem venis restaurare. Tu non solus advenis, ô Domine supreme: non relinquis thesauros tuos in cælo sub custodia: quicquid habes bonorum, tecum asportas. Nihil amittis de tua magnitudine, quando fis homo, sicut ego sum; sed mihi largiris, quicquid habes. Jam non possum ex metu fugere tuam Majestatem, posteaquam teneo te circumdatum meâ miseriâ, & mei amore constrictum. Complector te, Deus meus, & omne bonum meum. Amo te, quia es mea beatitudo, thesaurus divitiarum mearum, socius meus, & verus amicus, quies animæ meæ, lætitia & gloria, & salus mea.

II. O quàm te sum dives, Deus meus! flagrent invidiâ Angeli ac Seraphini, cælum ac terra, & omnes creaturæ, posteaquam ego habeo in hoc Domino, quod ipsi non habent: quia ego habeo Deum hominem, sed Angeli non habent Deum Angelum. Adorate ô sanctæ creaturæ, hunc, qui est unicum bonum meum, socius & amicus meus, Deus homo, & homo Deus, à quo provenit, quicquid boni habetis, ac potestis habere. O Amor Divine, quàm potens es! Non possum ego tantum peccare, quin tu plus possis condonare: nec mea ignavia & ingratitudo tantum valent, ut adimant tibi voluntatem faciendi mihi gratiam: & cùm ego tam facilè te dimit-

Felicitas hominis ex Incarnatione Dei.

dimittam, non tamen possum te amittere: quàm primùm enim aufugio, tu mihi appropinquas, ac tenes me viribus ignis tui Divini, suscipiendo meam naturam, & induendo te meis miseriis: & in his totum te mihi largiris, quia venisti in meum exilium, & mihi te miscuisti: & si ego fugiam à Deo, non possum fugere ab homine; adeò ut nisi sponte perdam meipsum, non possim perdere te factum Hominem, socium miseriarum, ac mortalem, ut ego sum. Bene te intelligo, Deus meus: Amor est, qui te trahit, & tu vis amorem. Tu, Domine, ardes hoc igne, & vis, ut, cùm stuppam nostræ humanitatis attingis, ardeat etiam ipsa tui amore, concipiens flammam à te, Deus meus, nec velit madere semper aquâ fæculentâ terreni amoris. Ideo tu, Deus meus, quantum est ex tua parte, omnibus amoris ignem accendis, adeò, ut etiam ii, qui pereunt, abundent effectis & favoribus tui Divini amoris; etsi postmodum omnia perdant, quia cor suum tibi non præbuerunt. Ego, Domine, animæ meæ, do tibi meum cum omni meo spiritu, & omni meo amore: quia sicut tenerè te amo, ita desidero totus in amore tuo liquescere: & si haberem infinitum amorem, infinitis modis te amarem: sed nunc amo te quantùm possum, ô bonum animæ meæ! & quia tu bonum infinitum, totus es meus, te toto te amo.

Amor & contritio. III. O si semper amâssem! ô si me semper inflammâsses tuo amore! ô si tu me semper possedisses! ô si nihil unquam fuisset, quod me potuisset à te separare! ô mi Deus Homo! etsi natura humana invenitur in te perfectissima, purissima, ac plena gratiæ; est nihilominus pars meæ, quamvis miserabilis. Non potest esse in te, sicut est in me, culpabilis & corrupta. Sed est in te velut instrumentum meæ salutis, per quam huic, in qua pereo, vis mederi. Cura me, vera salus: illumina me, lux clarissima: subleva me, magnitudo Divina: sustenta me, fortitudo suprema. Da mihi vitam æternam; quia te, Deus, quem adoro, video hominem subditum meis miseriis, absque peccato, & plenum omnibus his gratiis, pro meo remedio. Misericordia & amor, qui te cogit fieri hominem, cogat etiam compati huic humanitati, in me tam miserabili, támq; corruptæ. Voluisti, Deus meus, ostendere, quòd quidquid facis inter homines, totum facias velut in causa propria, posteaquam factus es homo. Sana ergo jam mea vulnera, quasi tua: cura me, guberna

berna me, juva me, sana me, quasi tuum; quia pro honore hujus naturæ, quam assumpsisti, vis omnes homines esse, quales tu exigis, mundos, nitidos, opulentos, beatos. Ego sum tuus, Creator mi: sum tuus de jure, & cupio tuus etiam esse ex amore, ac tota voluntate cordis mei. Vides me, Domine, tibi esse propinquum: constringo tuos sacratissimos pedes, nec te dimitto; quia totus es meus. Tuæ voluntati trado me totum, quia tu per amorem habes possessionem hujus animæ meæ. O Amor, sic me immuta, ut possis etiam tu dicere, tota es mea, ô pauper creatura. O si videam utrumque hoc impletum, ut sicut tu totus es meus, ita & ego totus sim tuus! sed tu solus hoc potes efficere, ô ignis Divine! tuum est, me urere & inflammare, ac in te convertere.

ÆRVMNA IV.

De Asperitate, qua Dominus exceptus est in sua Nativitate.

I.

CUm tempus appeteret, ut Verbum Incarnatum procedens ex utero purissimæ Virginis, appareret in mundo, tantum fuit ejus gaudium, quòd videret imminere, quæ tantopere desideraverat, ut illud Propheta animo Gigantis comparaverit, qui ad præclaram aliquam expeditionem tendit exultans. *Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Ps.* 18. cúmque venisset in terram, constrictam frigore, vocavit exercitum Angelorum de cælo, ut ob hunc tam optatum ingressum sibi gratularentur: quod utique facturæ erant etiam aliæ creaturæ, si hoc eis concessum fuisset; non minus gaudium de gratioso ejus adventu demonstraturæ, quàm postea mœrorem de tristi obitu ejus ostenderint. Sed uti statuerat in terra plantare Spiritum cælestem, & incendere modo longè diverso ab amore terrestrium rerum: ita contentus fuit hac gratulatione cælesti: etsi sacratissima Virgo non omisit suo, ac totius mundi nomine, excipere ac salutare Creatorem: quia sola digna fuit obire id munus, & supplere totius naturæ defectus.

Christus exultans animis.

II. Cùm ergo notaret imminere tempus patiendi, non ex doloribus & molestia uteri, sicut aliæ prægnantes; sed è novis ac maximis inflammationibus amoris, ac lætitiis animi gestientis videre ob oculos positum, stringere amplexibus, & collocare in gremio virginali Unigenitum Filium Dei ac suum, mansura semper Virgo, & Mater ejus, quem adorabat ut Deum; venit cum Joseph Sponso suo in civitatem Bethlehem, obtemperatura edicto Cæsaris, quô per totam Judæam jubebantur omnes profiteri nomen suum, ac pro se Filióq; datura tributum. Civitas erat exigua, homines, qui in eam convenerant, plurimi; quia omnes è prosapia David eò se debebant conferre: hinc Virgo locum non reperit, neque in hospitio, neque apud aliquem civium; sed coacta est se recipere in publicum quoddam stabulum, ubi erant aliquot præsepia, quibus viatores alligabant jumenta ad pabulum eis præbendum. Non est cogitandum, Virginem sine magna ratione delegisse hunc locum, quia in omnibus regebatur à Spiritu sancto. Etsi enim probè sciret, se proximam esse partui; quæ sola causa sufficere poterat, ne ipsamet à Nazareth eò proficisceretur: profecta est nihilominus, ut quæreret locum, quem sciebat pro sua Nativitate electum à Deo, quem gestabat in utero; sese tanquam fidelis Ancilla Dei (quod nomen pluris æstimabat, quàm Matris) magis voluntati Christi accomodando, quàm suo desiderio, ut pareret eum loco magis decēte.

In Bethlehem.

III. Ipsâ igitur seorsim in eo stabulo, malè munito contra ventos & frigora, profundissimæ & ardentissimæ orationi vacante, Verbum Dei Incarnatum, non sentiente hoc Matre in ullo effectu corporali, propria divináque virtute, salvâ ejus integritate virginea, ipso mediæ noctis articulo, (uti S. Bernardo revelatum est) prodiit è purissimis visceribus, adminiculo subtilitatis, doni corporum glorioſorum, utens pro illo momento; supráque paleam collocavit se humi ante ora purissimæ Virginis, corpusculo perexiguo, sed longè pulcherrimo. Sensit eodem momento Virgo lacte impleri de cælo sua ubera, & fixis humi genibus humillimè venerata Dei ac suum Filium, accepit in brachia sua, pannis involvit, & collocato in sinu præbuit ubera: postea, ut obsecundaret ejus voluntati, cùm locus in stabulo melior non esset, reclinavit in præsepio Deum & Creatorem suum, intuens, admirans,

Matre non sentiente.

Prodiit in lucem.

mirans, & adorans. Contemplationi piorum relinquimus, qui tunc fuerint sensus Virginis prudentissimæ, quæ alloquia Filii. verbis explicari non possunt. Fecerunt & Angeli suum officium, recognoscendo & adorando Dominum suum in carne; & ad hoc ipsum advocârunt pauperculos pastores, cælesti melodia laudes DEO canentes, & promulgantes pacem in terra hominibus bonæ voluntatis. *Et Angelis jubilantibus.*

IV. Habent hæc verba Angelica sensus diversos. 1. Finem tandem esse dividiæ ac belli, quod peccatum inter DEUM hominémque creârat; & jam omni bonæ voluntati, omni bono desiderio, omni amori cordis humani liberum accessum esse ad pectus divinum, per pacem factam, & in perpetuum firmatam à recèns nato Filio DEI. 2. Posse jam homines vivere securos ab ira & justitia DEI, sub umbra & protectione talis Advocati ac Protectoris, qualem habemus in Filio DEI nato in carne. Quia per eum divina Bonitas invenit sufficientissimas causas & merita, recipiendi eos in gratiam & amicitiam suam cum bona voluntate: ut sit sensus, pacem hominibus datam esse per bonam voluntatem ac liberalitatem DEI. 3. Alius est sensus valde conveniens amori, quem DEUS hodie monstravit hominibus. In sacra Scriptura peccatores vocantur sæpe filii iræ, perditionis & mortis, quia subjacent peccato. Sed per Christum Dominum nostrum facti sumus filii adoptivi DEI, & verè vocamur ejus filii. Atque ut hoc non provenit à nostro merito, sed ab excessivo amore ac benevolentia, quam DEUS monstravit faciendo, ut filius suus fieret homo; sic Angeli vocant homines, & filios horum viscerum divinorum, ac bonæ voluntatis ejus in omne bonum nostrum propensæ: & hinc annunciant pacem hominibus ac filiis hujus paternæ & infinitæ Bonitatis, quæ est Principium & conservatio omnium bonorum nostrorum. *Quòd pax cum Deo facta. Securos reddat homines ab ira Dei. Veluti filios adoptivos.*

V. Inter hos cantus & jubilos Angelorum non est obliviscendum Ærumnæ, quam Dominus Humanitati suæ imponit, ac mox eam docet, quod non ad quiescendum sit nata: ut gratissimus ei pro continua memoria, quam de nostra salute, nec inter plausus & festa cælestia deponit. Habebat ibi brachia sacratissimæ *Suæ tamen his gaudiis ærumna non defuit.*

Virginis parata,& hoc ipso, quòd Mater esset, obligata ad hoc, ut ei servirent, ipsúmque nascentem exciperent: sed ipse egrediens ex utero purissimo non deponit se in illa, nec finit ea facere primum officium; sed in terram se collocat supra paleas, & pro lectulo terram eligit, communem brutis ac vermibus. Ita suum corpus ab initio statim tractare voluit: quod etiam continuavit usque ad mortem, ut semper dici posset, eum non habere, quò se reciperet, cùm tamen & vulpes habeant foveas, & volucres cæli nidos; ipsius autem divina Majestas nec lapidem aut pugillum terræ proprium habeat, ubi suum caput reclinet; rem, quæ nulli animalium deest. Voluítque statim ab ortu suo apparere, quod de ipso David prædixerat, ut vermis, non ut homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Quis enim etiam ex infima plebe rationem habet vermium è luto nascentium? eandem planè rationem habuit ipse Christus sui Corporis, statim à Nativitate collocans illud in eodem loco, unde vermes trahunt originem.

Cùm ipse Rex Regum collocavit humi. (Teste S. Iustino.)

VI. Neque hoc tribuendum est ejus infirmitati vel infantiæ, quia suo arbitrio prodiit ex utero, in quo novem mensibus mansit. Imò tribuendum est æternæ Providentiæ; & ille ipse tanquam Deus & mundi Gubernator disposuit, ut Regnum ac Principatus deficeret à progenie David, à quo ipse rectâ lineâ descendebat per Virginem Matrem, & Sponsum ejus Joseph, fabrum carpentarium, utrumque pauperem; & sic ipse, quamvis legitimus hæres terreni regni Davidici, nasceretur ex paupere Matre. Atque ut non curavit impleri promissionem Davidi factam de successione perpetua in regno terreno, sed in cælesti ac æterno; unde etiam ordinavit, ut illa extingueretur omninò, & extraneus ac gentilis, regnum illud haberet; ut ipse pauper posset nasci, vivere,& mori: sic etiam voluit,ut Imperatores Romani ex alia parte Mundi domini essent Judææ, ac Augustus juberet describi omnes subditos; ut sic omnes è familia David irent in Bethlehem, eodémque tempore Virgo Domina nostra ipso gravida veniret eôdem, ubi locus ipsi ad nascendum alius non erat, nisi stabulum, quod ad hoc elegerat; ut statim ab ortu suo in terra demonstraret differentiam inter cogitationes ac studia Dei & mundi. Dum omnia

invertit

invertit hujuscemodi Nativitate, quia mundus nulla re alia magis occupatur, quàm in quærendo, ut aliquid sit, aliquid valeat, habeat statum aliquem & existimationem apud homines. Merissima vanitas. Hinc cognoscitur vilitas commodorum temporalium, quæ tanto studio quæruntur, quasi in illis magnus & sincerus aliquis pararetur amicus; cùm revera sint maximi & verissimi inimici omnis nostri boni: ut rectè dixerit S. Ægidius, socius S. Francisci, illum securiùs & meliùs vivere, qui certiùs meliúsque cognoscit, suum corpus esse capitalem inimicum omnis boni sui. Ideo Christus, qui speculum est omnis veritatis, ut nos dedoceret errorem, etsi corpus habuerit obedientissimum suæ Divinitati, & maximè conforme suæ voluntati, sine omni repugnantia culpabili, tamen docuit in seipso, quomodo nos oporteat corpus nostrum tractare; dum statim in ipsa Nativitate tractavit ut inimicum, licet inimicum non esset; ac terram, ac solum ei dedit pro domicilio, ut semper fatigaretur sine ulla quiete vel commodo.

Iam aspe[illegible] tractando.

VII. Considerandum est autem, non levem Domino hanc ærumnam fuisse, ut qui tenerrimæ complexionis esset, ac perinde imbecillis, ut alii homines. Quare non parùm sensit attritionem sui corpusculi in terra positi, nec potuit capere somnum propter duritiam sui cubilis. Nôrat quippe, quantùm noceat amor corporis proprii & pax, quam habemus cum ejus appetitibus, quibus obtemperamus promptissimè; quódque nulla sit res in mundo, quæ tam facilè inferat nobis jacturam meritorùm, & fructuum omnis sui laboris exantlati pro nobis, quàm proprius amor nostri corporis. Hinc in se velut in speculo nobis ostendit, quantùm hic hostis sit nobis timendus. Sanè si amor proprius in cælo, sine debilitate corporea, tot Angelos dejecit ad orcum, qui tantâ gratiâ prædíti erant; quid poterit in hominibus formatis è luto, qui tantùm ei serviunt? Juvabit cogitare, quod scribit S. Bernardus Epist. 2. Tantùm in cælo, quando fruemur DEO, poterimus esse securi, ab amore proprio: quia tanquam res naturalis illuc ascendet nobiscum; sed in visione DEI sic acquiescet, ut sit depositurus omnem malitiam, quà nos hîc solet pervertere. Qui autem in hac vita bellum non gerit cum eo, neque tractat ut hostem, certus sit

Tenellum & innocens corpusculi suum.

de ruina animæ suæ. Ac tantò magis timendus est hic inimicus, quantò se blandiorem ostendit: tunc enim majore cum furia, suâ malitiâ machinatur damnum animæ nostræ.

EXERCITIUM
Circa Nativitatem Domini.

I.

Salutatio Christi nati.

INflamma, bone JESU, in hac hora igne charitatis tuæ animam meam. Illumina, Amor meus, æterna luce tua cor meum. Refrena distractiones cogitationum mearum. Collige omnes sensus meos internos: pelle nebulam ac cæcitatem, in qua degit cor meum; ut possim te videre, cognoscere, amare, excipere, amplecti puro amore. O sponse animæ meæ, quàm pulcher, opulentus, & affluens omnibus bonis prodis ex hoc sacratissimo ventre! quàm inflammatus & accensus amore ingrederis terram & hoc exilium miseriarum! sis benedictus tu, qui venis in nomine Domini, ac DEI nostri, qui nunc affulges. Veni salus mea, veni gloria mea, veni desiderata & exspectata beatitudo hujus animæ! Adoro te, DEUS meus, natum in mea carne: adoro hæc membra, adoro hanc animam, adoro divinitatem hanc, adoro hunc amorem, hanc misericordiam, hæc divina bona, istas divitias, quibus plenus venisti. Apparuisti, gloria mea, in terra deserta, & vacua omnis boni, plena malorum omnium. Jam inveniris in societate peccatorum, & tecum conversantur pauperes pastores. Jam fecisti ex terra cælum, ex præsepio paradisum. Descendunt Angeli de cælo ad quærendum & adorandum te in terra. Jam plenum gloriâ est exilium nostrum, & in valle lacrimarum audiuntur cantica & laudes cæleſtes: omnis locus est paradisus, ubi tu es; quia tu ipse paradisus es divinarum, spiritualium ac cælestium voluptatum animarum te amantium. Apud te, Domine, omnia munda sunt, omnia nitida, omnia lucida, omnia suavia, omnia amorosa ac plena dulcedinis.

Bonâ voluntate nostra contenti.

II. Si non quæsitus nos quæris, DEUS meus, & non vocatus venis ad miserabilem habitationem nostram; quid facies ei, qui te desiderat, vocátque? Ego te voco, bone JESU: veni Domine, ingredere in hanc animam meam: & nascere in ea: lux divina

splendore

splendore tuo eam illumina. Da pacem hodie, DEUS meus, bonæ voluntati: scis enim quàm parum, imò nihil boni operis in nobis invenias, simúsque tam inopes virtutis, ut summum, quo pertingimus, sint aliqua bona desideria. Opus & laborem tibi reservas, & me sinis divitem esse voluntatibus ac desideriis, ut teipso voluntatem hanc impleas, dando mihi gratiam, ut possim operari cum ipsa. O DEUS meus, & amor infinitus! si quid habeo boni, inde est, quòd sim opus tuum, & filius paternæ & amantissimæ voluntatis, quam erga me geris: ab ea scaturit perennis fons bonorum. In me quoque tantùm cupis bonam voluntatem pro præparatione ad omnia bona, quæ mihi potes largiri. Si ergo, Domine mi, voluntatem petis, ecce hîc meam, quam in hac hora mihi das per bonitatem tuam, desiderantem te amare, desiderare, possidere, ac tradere se totum tibi: quod ipsi deest, ne perfecta sit, ô summa perfectio, tu supple. Quis ego sum, ut habeam aliquid boni sine te! Insuffla, Divine Spiritus, in hanc scintillam, quam mihi das, tui amoris: fac prunam vivam, ut exardescat in flammam, qua totus ardeam tui amore.

III. O Divine puso, quantùm differs ab eo, qui videris? oculi humani non sunt tam perspicaces, ut videant plus in te, quàm corpus exiguum, debile, jacens in terra, vagiens, plorans, & algens, quasi projecti à mundo, inops omnium, in luto, inter animalia, quasi vermiculum terræ. At verò tu es Filius Patris æterni, pretium & substantia gloriæ suæ, DEUS infinitus, æternus, omnipotens, thesaurus divitiarum DEI, satietas animarum beatarum, deliciæ te amantium, beatitudo te desiderantium, & perfecta opulentia te possidentium. O DEUS infans, ô summe puelle, quis diffidet, quòd possit habere te totum, quando tam parvus es, ut quilibet possit te capere? Tu, DEUS meus, admensus es te cordibus pusillis, ut omnes te capere possint: cúmque tenuerint ac te possederint, facis crescere, & ad magnitudinem tuam dilatas. Nullum rejicis, nullum fugis, acceptas habitaculum quodlibet, & ab omnibus permittis te stringi amoris amplexibus, tanquam vera vita cujuslibet animæ. Veni ergo, puso: nam qui hunc pusionem amplectitur, DEUM amplectitur, Deum tenet, Deo fruitur, in Deo

Et nostræ parvitati se accommodantis.

Ut eum amplecti possimus.

delicias

delicias habet. Tu ſumma gloria, majeſtatem tuam abſcondis, ut homines poſſint, ſine timore, familiariter tecum agere. Quis auderet accedere ad te, ſi tua bonitas tam familiaris non eſſet? veni in hoc cor meum, Divine puer, arripe brachia, quæ porrigit deſiderium animæ meæ. Diverſare mecum, quieſce & recreare mecum, oſtende mihi pulchritudinem tuam, & hac agnina manſuetudine duritiam mei cordis emolli, totúmque in amore tui conſume. Sim ego ſemper tecum, ô mi dulcis JESU! creſcat tecum cor meum: dilatetur, & acquirat robur te ſatis amandi, & obediendi, ut amore tui plenum faciat voluntatem tuam in omnibus.

Qui ſponte ſe abjecit humi,

IV. Bone JESU, Verbum Divinum, ſapientia æterna, vera vita animarum! ſi venis ad quærendos homines, cur in egreſſu ex hoc ſacratiſſimo, puriſſimo ac Virginali utero te ſejungis ab omnibus, ac tam aſperè tractas teipſum, abjiciendo tenerrima membra in hoc durum & frigidum ſolum, in loco tam vili & horrido? nónne ſaltem pro honore Matris, quæ te educatura, támque fideliter tibi ſervitura eſt, par erat, ut ſineres te natum excipi primò dulcibus ejus amplexibus? quid hoc eſt rei, Deus meus & gloria mea? Tu, Domine, non caſu decidis in terram, ſicut alius infans infirmus & ignorans, cùm ſis æterna ſapientia, portans omnia verbo virtutis tuæ. Facis hoc, quia vis: tua ſponte ſic tractaris, Deus animæ meæ! qui jam dudum, à multis retro annis ita gubernationem mundi diſpoſuiſti, & omnia ſic ordinâſti, ut cogeretur tua ſacratiſſima Mater ire in Bethlehem tali tempore, quo tanta multitudo hominum adeſſet, ut non reperiret locum, nec diverſorium aliud, quàm ut naſcereris in ſtabulo: ac tu horâ prædefinitâ, egreſſus propria virtute ex utero, tua voluntate humi te collocas, & jungens terræ loco tam vili, tam inclementer te tractans & aſperè; ac terram eligis, ut per totam vitam tuam tibi ſit pro lecto, poſsísque verè dicere, quòd non habeas, ubi caput reclines, niſi in terra communi brutis ac feris, cum tanta vexatione ſanctiſſimi Corporis tui non ſecus, quàm ſi tibi rebelle & inimicum fuiſſet, ſicut hoc meum eſt miſero meo ſpiritui.

ut nos doceat,

V. O bone JESU, quænam eſt hæc amicitia, quam habes cum aſperitate, ac rigore in proprium corpus, dum tua ſponte collocas te in dura terra, neglectis brachiis Matris; atque ut hoc

obtineas,

obtineas, mundum invertis, ac mutas ſtatum regnorum? nónne tu elegiſti ſacratiſſima brachia puriſſimæ Virginis, ut ſerviant tibi? cur igitur non exſpectas, donec te excipiant prodeuntem in lucem, ſed ea prævertis, occupans durum, aſperum, vile & contemptibile ſolum? Non ſunt hîc milites & carnifices, qui te in terram dejiciant, ſicut erunt olim, quando capient in horto. Propria voluntas, amor tuus eſt ille, qui te adigit in locum tam durum, tam fœdum, quique in præſepio te reponit. O ſapientiſſime Cognitor malorum meorum, ô verum & unicum eorum remedium: Corpus meum, & caro mea ſunt inimici, quos habeam, maximi & ſæviſſimi. Corpus meum adverſatur mihi in omnibus, & ad omnia mala me inclinat. Pro carne perdo omnia bona, quæ à te accepi. Et tu, mi bone Jesu, carnem tuam, quam habes puriſſimam, & inſtrumentum obedientiſſimum, ut in ea, & per eam tua Divinitas mihi faciat infinita bona, tractas quaſi foret rebellis, ut mea; & ſicut ego meam deberem tractare: & antequam intres in gloriam tuam, non vis illi concedere ullam requiem, ſed perpetuos labores & pugnam. Heu quàm cæcus & miſer ſum ego, qui cùm tam clarè hæc videam, non erubeſco pacem & amicitiam inire cum hoc hoſte meo capitali! ſervio corpori, tanquam Domino; æſtimo illud, quaſi magni quid eſſet: perdo ſomnum pro illo, quaſi pro amico: blandior, tanquam fideli, & pro illo te perdo, Deus meus ad ſingulos paſſus, quaſi obligatus illi eſſem, ſicut ſum tibi. O quoties te offendo, ut placeam illi! quot injuriis te afficio, ne ipſum offendam! quàm ſentio, cùm minùs bene habet! ut compatior ejus doloribus! quomodo rationes ejus tuis præhabeo, ac ſequor cæcus & infatuatus, cùm videam in te, Deus animæ meæ, humanitatem tam malè habitam! O lux cordis mei! Speculum & Magiſter puræ & æternæ veritatis, qui tam clarè me doces, quid conveniat corpori, idem ipſe amor, qui te adigit ad hos exceſſus, ut me illumines & ſanes, creet obſecro in me ſpiritum novum, qui fugiat & horreat hunc hoſtem tam pernicioſum. Tu, ſcis, Deus meus, quòd non poſſim odiſſe id, quod hucusque ſic amavi, neque cognoſcere fraudes ipſius, neque declinare, tractando id ſemper ut hoſtem, & adverſarium omnis mei boni, niſi per ignem puri ac ſinceri amoris tui, quo tibi ſoli poſſum ſervire atque placere.

Quantùm erremus, dum blandimur carni noſtræ.

Quâ nihil habemus infestius.

VI. Est meum corpus, Domine, intimum huic homini terreno: & quando id considero, méque comparo tecum, video me nimis illi adstrictum. Mecum incedit, mecum crescit, mihi adhæret, & omnibus rebus se immiscet. Ex omnibus rebus tuis quærit proventum, vult habere primas, & regnare; & quæ mea est miseria, sæpius obtinet. Quid faciam, DEUS meus? quomodo potero sufferre pondus miseriarum istarum, & legem carnis repugnantem tuis mandatis? Non invenio aliud remedium, quàm te, DEUS meus, ac Dominus meus; quia ideo natus es, ideo tam asperè tractas te ipsum. Cura ergo, bone JESU, cauterio tuo corruptionem hujus miseriæ, & robore Spiritûs tui reconcinna hunc meum. Vita & Confortatio animæ meæ, non potest hoc stabulum agnoscere tuam præsentiam, quia semper manebit stabulum, neque tu mutabis ejus naturam. Sed, ô Domine, hoc durum & molle cor meum, hoc lutum miserabilium affectuum hujus animæ, hæc vilitas desideriorum meorum, in quibus me hactenus detinui, mutabitur tuâ præsentiâ. Ergo dimitte hunc locum, & veni ad me, me potes illuminare, emollire, & mutare: veni, Domine, ut ego te cognoscam, te adorem, te complectar, te possideam, ac tecum pro te meipsum horream, & perfectè fugiam. Veni, dulcissime JESU, in hanc animam; quia hîc me humiliabis, & in humilitate mea glorificaberis. Docebis me veritatem tuam, vinces inimicos meos, & cum morte spiritûs terreni facies vivere in anima mea tuum divinum Spiritum. Pone te semper, bone JESU, ob oculos meos, mane semper in corde meo, ut pulchritudo & suavitas tua me capiat, & sic amittam gustum hujus terræ. Et quia tota mea ruina oritur inde, quòd carni contra tuam voluntatem obediam; tu, Domine, scis infirmitatem meam, & exiguas vires ad superandas occasiones, cùm ingruunt, & quia solâ potenti manu tuâ confirmare me potes, & servare contra meipsum; en me abjicio ad divinos tuos pedes, & offero me totum tuæ Divinæ Majestati, cum omnibus plagis ac necessitatibus meis: volo, quidquid à me petis, ac desidero, ut in omnibus tuam divinam voluntatem adimpleas. Et quamvis rebellis mea caro desideret aliud, tu illam mortifica, bone JESU, & ostende in me vim Spiritûs tui, qui de cælo te traxit in terram.

Et

Et quia tu scis, qualia & quanta sint desideria mea, fac meum secundùm magnam misericordiam tuam: quia ego non possum plus facere, quàm ut ostendam meas miserias involutas ardentissimis suspiriis ad te, DEUS meus, spes mea, remedium meum, in quo confido, quem adoro, laudo, ac desidero amare toto corde.

VII. O Mater & Virgo sanctissima, succurre huic misero exuli: adjuva, ut confringatur duritia cordis istius, contradictiones hujus miserabilis corporis, ut semper sim subjectus in omnibus rebus divino huic Domino. Non sim expers fructûs ærumnarum ejus, & extra ejus gratiam. Adjuva me, ut possim ei satisfacere, & me vincere, atque ita ipsi servire, & ipsum amare. O Angeli, & vos purissimæ animæ hujus supernæ Curiæ, amate & glorificate hunc Dominum laudibus infinitis, pro gratiis in me collatis. Estote mei advocati & intercessores, ut me pondus hujus carnis non opprimat: sed impetrate mihi spiritum, qui teneat eam semper subjectam Spiritui Domini, afflictam & vexatam, donec merear gaudere in vestro beato consortio, relaxatione & quiete æterna.

ÆRVMNA V.

Lacrimæ Christi pro nostris peccatis.

I.

PRima vox, quam Christus natus emisit è sacratissimo ore suo, ploratus fuit instar aliorum infantum, quibus similem se fecit in omnibus. Nec est res exiguæ admirationis, videre Filium DEI vivi abscondere suam æternam Sapientiam, ac vivere sine loquela, & in silentio usque ad tempus, quo loquuntur alii infantes, cum ploratu, in fasciis, inter brachia; tractari ut alios infantes, non minore debilitate naturali: & sicut hæc omnia proveniebant ab ejus amore, non ab infirmitate, ita magnam iis portam aperuit considerandi, qui diligunt ipsum, ut eum tractent, & inflammentur his mirabilibus eterni sui consilii. Magnum ad hoc motivum præbent lacrimæ, quibuscum ingressus est mundum, & quamvis in his fuerit similis aliorum infantum, causa tamen lacrimandi fuit ei longè dissimilis. David de illo prædixit,

Zelus honoris Dei Patris.

dixit, quòd eum zelus honoris ac domûs DEI semper interiùs ita depasceretur, ut omnia totius mundi peccata in se expianda susciperet. Primo ergo ingressu in mundum, talem habuit sensum peccatorum admissorum in DEUM, quæ æterna sapientia sua ipsi repræsentabat, ut statim cœperit flere, ac totam vitam suam expendere in lacrimis, quibus etiam est immortuus. Et earum quidem Apostolus ait, apud Patrem æternum tantum fuisse pondus, cùm per eas deprecaretur pro peccatoribus, ut exauditus sit pro sua reverentia, & remedium exorârit pro nostris peccatis. Majorem vitæ suæ partem Christus consumpsit in oratione ad Patrem; & quia tota sua Humanitas occupata erat in promerenda venia peccatorum nostrorum, anima sua sanctissima cum omnibus viribus suis semper elevata, ac defixa manebat in DEUM, quem clarè intuebatur; corpus autem continuò proluebatur lacrimis, laboribus, ac sensu doloréque peccatorum commissorum & committendorum.

Christo expressit lacrimas,

Hebr. 5. 7

II. Nec parcæ fuerint hæ lacrimæ, quando Christus ita semper fuit liberalis atque profusus, ut, cùm quondam sanguine sudaret, sudor ille in terram decurreret. Ita scilicet existimandum est etiam lacrimis immaduisse terram, ubi orabat: quemadmodum & in Psalmo dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrimis meis stratum meum rigabo.* Fuitque illi balneum lacrimarum tantisper pro recreatione, donec perfunderetur sanguinis sui baptismo, ad quem magna cum anxietate anhelabat. Neque tamen sine magna molestia, sensu ac dolore profundebat has lacrimas. Quia molestia tantò est major, quantò interior & acutior est sensus illius: ac propterea dolores externi cum internis animi comparari non possunt. Et quia sensus malorum in animo par est cognitioni eorum, Christus autem solus perfectè cognoscebat, quanta, & quàm gravia sint mala, quæ deplorabat; ideo etiam tanto sensu eorum percellebatur, quantùm merentur. Ac propterea Psalmus eum sensum nulli rei potiùs comparare potuit, nisi quæ comederet, ac perpetuò roderet viscera Domini.

tantò ulteriores,

Ps. 6. 7.

III. Quando Sancti volunt exprimere fœditatem peccati, dicunt esse talem, ut qui videret eam clarè, moreretur præ timore. Estque hæc ipsa veritas, quam in aliquibus servis DEI monstravit experien-

experientia: nam sua Divina Majestas non dedit eis claram cognitionem suorum delictorum, antequam seipsum eis ita communicâsset, ut eorum anima vires haberet ad illam sufferendam: quin etiam tunc eam sic dabat, ut duraret brevi tempore, ad eos plenè purgandos. Nam in quibusdam apparuit, quòd, si diutius durâsset id lumen, & clara cognitio fœditatis peccati, horrórque illius, non potuissent sufferre illius formidinem, quin deficerent. Quare Deus accurrit subitò, radium illum tegendo, & novam spem affundendo de sua Bonitate: qua spe denuo fortiùs eos astrinxit, ad sibi serviendum, séque amandum; & sic eos totaliter sibi univit. Quibus autem videtur hæc esse nimia exaggeratio, oculos conjiciant in Filium Dei, verum cognitorem malorum nostrorum, qui non magnum putabat, quòd pro ipsis est passus, posteaquam intellexit non minore pretio pro eis satisfieri posse, quàm suo sanguine, & meritis infinitis. Et sic etiam repræsentatio fœditatis peccati fuit una ex causis, quæ in sudorem sanguineum, & lethalem agoniam eum conjecerunt in horto.

quantò melius intellexit gravitatem peccatorum,

quàm ullus Sanctorum.

IV. Cùm ergo Christus Dominus noster totius mundi peccata suscepisset in se expianda, ac perfectissimè novisset pondus & gravitatem singulorum; quo sensu, qua affectione, quo dolore animi, quanta amaritudine illa defleverit? neque hunc sensum ei leniebat, quòd mala essent aliorum: quia ejus amor non potuit esse proprietarius, sed ita res nostras agebat, ut suas; & malis nostris afficiebatur, ut propriis: atque hoc tantò magis, quòd non tantùm doloret de malis, quæ afferebant peccata, sed multò magis de injuria, quam inferebant Majestati Divinæ; qua de causa nunquam cessabat à lacrimis. Hinc intelligitur, quòd licet infantes alii multas causas habeant plorandi, quando nascuntur, ut, quòd nascantur in peccato filii iræ, & intrent in exilium incipiendo vitam plenam ærumnis, miseriis & peccatis, procul à cælo, cum periculo id amittendi, & cum omnibus aliis malis vitæ, quæ finiuntur alio omnium gravissimo, quod est mors, absque certitudine vitæ æternæ: nihilominus, quia nascuntur sine usu rationis, etiam sensum malorum illorum non habent, & sola natura facit officium satis conveniens tam miserabili conditioni; id quod saltem postea,

eámque semper habuit ob oculos.

& maximè in fine vitæ agnoſcunt, quàm juſtas habuerint cauſas plorandi. Sed Filius Dei, ſapientia æterna, qui tantùm formâ & mole externa erat infans, ingreſſus eſt mundum lacrimans ut filius Adæ & ut ſapientia Dei, optimè cognoſcendo & ſentiendo mala, propter quæ lacrimabatur. Nam perſpicuè videbat tyrannidem carnis & mundi, effrenes impetus malarum cupiditatum, oblivionem cæleſtium rerum, averſionem à ſpiritualibus, cognitiones alienas longéque diverſas à Deo, multitudinem malarum cogitationum, verborum & operum omnium, eorum, qui jam tum nati, quíque naſcituri erant adhuc. Videbat his malis remedium non ſuppetere niſi in ſua miſericordia, & quanta ſibi incumberet propterea obligatio & onus ſatisfaciendi pro omnibus; & ſuper hæc omnia, pro quàm multis eſſet laboraturus incaſſum: quantam præterea ignorantiam inveniret in mundo; & quidquid nec lingua poteſt exprimi, neque calamo. Hæc omnia talem ſenſum efficiebant in ſua Majeſtate, ut ejus oculi emitterent fontes lacrimarum ſalientium uſque in cælum, & mitigantium iram Dei, juſtiſſimè contra nos motam. Atque ut Chriſtus non ſentiebat minùs peccata cujusque privatim, quàm totius mundi communiter, ita quisque lacrimas ejus debet reputare pro ſuis, agnoſcendo ſe cauſam earum, fructúmque ex eis capiendo, ut juvet Chriſtum in conferendo beneficio tam neceſſario ſibi miſero peccatori.

cum omni ex iis oriunda miſeria.

Ezech. 43.

V. Vidit Ezechiel Propheta in templo, ſibi monſtrato per revelationem, ex parte ejus dextera prodire aquam vivam ejus virtutis, ut ſanaret omnes illuc ingredientes. Per latus dexterum S. Scriptura ſæpe intelligit virtutem Dei, & abundantiam bonorum omnium, quæ pleniſſimè inveniebantur in vivo templo DEI, Chriſto Domino noſtro; quia in ejus Corpore, quod ipſe templum vocavit, vivebat tota Divinitas; & ex eo, cùm natus eſſet, prodiit hoc flumen aquæ vivæ, quaſi alter Jordanis, ex duobus fontibus oculorum, quo poteſt quilibet ſanare ſuas infirmitates. Hîc etiam apparet, quomodo beati ſint, qui lugent, poſteaquam habent lacrimas Chriſti pro ſua conſolatione. Hîc cernitur, quomodo Chriſtus faciat officium veri Patris, dum in ſe ſuſcepit debita filiorum, & ſolus plangit pro ipſis, mittendo Angelos, ut annuncient pacem,

Chriſtus plorat pro nobis.

pacem, & promulgent gaudium mundo, posteaquam habet præsentem sponsum, & consolatorem, cujus præsentia faciet omnes lacrimas aliorum cessare. Parentes laborant, sudant & negotiantur pro suis liberis, dum ipsi sine cura ludunt in plateis. Ita vult Christus Dominus ac verus Pater noster omnes lætos esse, dum plorat sua Majestas, & facit officium Salvatoris.

VI. Sublimis & excellens est veritas, quam tradit Scriptura, cùm dicit: *Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii:* non tantùm, quia finis gaudiorum mundi est mors ac tristitia; sed etiam, quia ex majore parte, ubi magna sunt gaudia in terra, ibi magna quoque est oblivio cæli & animæ; per quam eò dementiæ veniunt homines, ut non sint minùs turpia & erubescenda, propter quæ plorant, quàm ea, quibus lætantur. Æstimant res terrenas, prosperitatem vitæ, abominandas voluptates carnis, de quibus ait Scriptura: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ubi videbunt se fuisse deceptos, sempérque plorabunt, nemine succurrente. Flent, cùm vident sibi deesse media perditionis, nec possunt satisfacere suis desideriis, constituti in mediis adversitatibus, quæ sunt securior via ad salutem, quásque ipsi aversantur tantopere. Mala verò animæ, offensas & peccata in DEUM, jacturam vitæ æternæ, & periculum, in quo degunt æternæ damnationis, non deplorant. Nihil horum videtur in stabulo & Præsepio, in hac domo luctûs, ubi Christus plorat: sunt ibi festa Angelica, deliciæ spirituales, gratiæ cæleſtes, societas justorum, Virginis, Josephi, Pastorum. Deflentur ibi peccata, spernuntur voluptates vitæ, promeretur cælum, invenitur consolatio ab his, qui illuc ingrediuntur; illuc melius est ire, quàm in domum convivii.

Eccl. 7. 3.

Beati, qui plorant.

Job. 21 v. 13

Lacrimæ mundanorum.

VII. Lacrimæ plerumque sunt signa, vel effectus tristitiæ, quia funduntur, vel pro defectu alicujus boni, vel pro fine tristitiæ, cùm advenit bonum. Eandem proprietatem retinent lacrimæ Domini: licet enim non potuerit sentire defectum vel accessionem ullius proprii boni; nostra tamen mala sentit, ac defectus bonorum, quæ amisimus, ac reditum eorundem in seipso, qui thesaurus est verus nostrorum bonorum, Omnium lacrimarum Christus est socius; tristitiæ, per sensum, qui est in ejus corde paterno: lætitiæ,

per

per amorem, qui erga nos flagrat in sua Majestate. Quæ verò nascuntur è bonis desideriis, Christum gerunt in ulnis. Quilibet ergo diligenter consideret, quid placeat ei, quídve displiceat, ut videat, an partem habeat in lacrimis Domini, plenis amore ac pietate. Quod enim Christianus possit ac debeat maximè timere, est facilitas & incuria, quâ sinunt homines affici se rebus indignis amore animæ, tantùm propter Deum, & æterna bona creatæ. Inde fit, ut ordinariè vivant securi in suis peccatis, & negligentes purgandi suam conscientiam, quasi nihil haberent lacrimis dignum, aut nulla mors foret, ratióque Deo reddenda: credántque tunc se felicem egisse diem, quando perfecerint desideria sua terrena. At verò, si bene perpendant suos affectus, quibus circumferri se sinunt; ac tempus, quod impendunt mundo, & voluptatibus corporis, vanitati & oblectationi rerum, quibus anima perditur: invenient magnam causam cogitandi, ne fortè Christus in vanum pro ipsis effuderit lacrimas; & quòd ipsimet olim in vanum sint ploraturi, qnando lacrimæ suæ in æternum nihil proderunt amplius.

Quid maximè timendum.

VIII. O quantò melius agit servus DEI, qui ignotus mundo, reputatur indignus falsis ejus deliciis, dum associat se lacrimis Christi, gaudet spiritualibus fructibus, quos illæ producunt, quósque nobis merentur in æternitate metendos! quantò felicior est is, qui sua peccata agnoscens, jungitur sensui Christi, lacrimas fundentis pro illis, & veniam dantis per ipsas! quantò sapientior est, quicunque se recolligens rationem vitæ suæ exigit à seipso, & emendat errores, agendo curam animæ suæ, & capiendo fructum suæ collectionis; ut Deo totum se dedat, & vicissim recipiatur ab eo, suo quisque modo, in familiarem ac dulcem communicationem amoris: quadigni non sunt, qui diligunt res mundi, quámque illi soli noverunt, qui sciunt amorosè flere cum JESU, ut suavissimam ab ejus misericordia consolationem accipiant.

EXERCITIUM
Circa lacrimas Christi.

I.

O Mi bone JESU! amor animæ meæ, quales sunt hæ lacrimæ, quas effundis in primo aditu mundi! O summa consolatio, & hilaritas

& hilaritas omnium mœrentium, cur totus diffluis in lacrimas ipso die, quo ingrederis terram pauperum peccatorum, & venis, ut afferas eis solatium? Angeli canunt jucundos hymnos, & gaudium annunciant Pastoribus, quòd tu sis natus; & jubent homines lætari, quòd sit eis natus Salvator, qui es tu, unicum bonum meum; & tu solus, bone JESU, inter hæc festa cæli ac terræ fundis lacrimas? Benedictus es tu, Domine mi, qui venis adeò plenus desiderii nos salvandi & redimendi à nostris peccatis, ut neque per unam horam velis intermittere officium Redemptoris; & quod nondum agis patiendo & moriendo, facis ea deplorando tanquam propria. Non vis, ô sincere amice animæ meæ, omittere, quin aperias in omni re viam ad nostra remedia. Et quia scis multos fore, qui lacrimis spiritualiter lavent tibi pedes, ex dolore de suis peccatis, ut fecit Magdalena; vis tu esse primus, qui lacrimis perfundas pectus tui Patris, idémque nobis emollias, & sanctifices lacrimas nostras, ut mereantur admitti, & consequi veniam: & propterea sub ingressum mundi incipis Patri æterno satisfacere per lacrimas, quod es postea facturus per sanguinem.

Christus inter aliorum gaudia solus plorat.

II. O Amor animæ meæ, quid tibi dabo pro tanto ac tali amore, quem erga me geris? Tu, mi bone JESU, non es, ut alii infantes, quamvis eis te similem exhibeas, & primam vocem similem omnibus emittas plorans. Sed illi, cùm habeant causam plorandi, exilium, quod inchoant; peccatum, quod afferunt; pericula & ærumnas, quibus objiciuntur; miserias corporis, & animæ, quas patiuntur statim ab initio, tamen eas non intelligunt, naturâ faciente, quod ipsi deberent, si nôssent: sed tu, Divine & æterne Domine, meum summum bonum, & lux animæ meæ, bene intelligis, quod facis; & non fies, propter quæ deberent alii parvuli; sed æternâ tuâ sapientiâ vides peccata hominum, injurias tui Patris æterni, interitum animarum, quæ sunt in mundo, quem ingrederis; miserias & necessitates internas & incognitas hominibus; errores, in quibus versamur cæci; delectationes, quas capimus in peccatis, propter quæ damnamur; oblivionem tuæ legis, & æternorum bonorum; odium cælestium, amorem terrenorum, qui regnat in mundo; deceptionem, in qua contenti degunt alienati ac separati

Causa lacrimarum Christi.

à te; dominium peccati ac diaboli in animas; periculum damnationis æternæ, in quo mundus degit sine cura; iram tui Patris æterni justissimam contra homines; & quàm sit impossibile humanæ infirmitati, mederi tantis malis sine te, & sine amore, quem venis monstrare in terra.

Lacrimæ Christi sunt nobis causa lætitiæ.

III. Et propterea, ô vita animæ meæ, cùm te vides venisse in mundum tam perditum, vis ut gaudeat cælum, quia brevi replendum hominibus; vis ut gaudeant homines, quia jam habent unicum, summum ac verum remedium: sinúntque te solum facere tuum officium, ut inter hæc gaudia fundas lacrimas, oriundas ex inflammato amore, qui flagrat in tuo pectore, & offeras illas tuo Patri æterno cum intimo sensu malorum nostrorum, ac desiderio illa curandi. Ideo voluisti, ut ex oculis tuis, ceu fontibus emanarent aquæ vivæ de misericordi hoc pectore, quæ sanent omnia vulnera nostra, & bullientibus lacrimis consumant ac dissolvant glaciem amoris terreni, qui nos interimit: ô Thesaure divinorum bonorum, deriva in me quoque has aquas, ut saner ab eis. Adoro te, Amor Divine, adoro te Pietas immensa, adoro te Misericordia infinita, adoro te Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, quòd tam sollicitus sis de meo remedio, támque festinus ad vulnera mea sananda. Bene Isaias Propheta prædatorem festinum te vocat, quia priùs, quàm veniat tempus, quô decreviisti loqui, ut alii parvuli, prædaris his lacrimis bona cælestia, miserationes Dei, gratias spirituales pro peccatoribus, ac supernis eos cumulas bonis. O unice Salvator & Medice malorum meorum! ô felicissime sponse hujus animæ! ô amantissime Pater hujus miseri peccatoris! quàm verè dixisti, non posse filios Sponsi flere, dum est Sponsus cum eis: quia flent eo absente, quòd careant ejus felici præsentiâ: dum enim adest Sponsus ac Pater, curam suscipit levandi necessitates eorum, & solatur eos suâ præsentiâ, & filii tantùm ludo vacant, contenti curâ sui Patris de se. Sic tu, mi bone Jesu, vis, ut in tuo ingressu in mundum nos omnes læti simus; curam nostri tibi relinquentes; ac tu interim solus cum lacrimis procuras remedia dilectis filiis tuis, impetrando eis vera bona, queis carent. Benedictus & laudatus sit hic paternus ac divinus amor, quem geris, ô JESU.

IV.

IV. Sed longè plus tibi debeo, Deus animæ meæ, quia vitam tuam non solùm ordiris, sed totam traducis in lacrimis, in sola demum Cruce finiendis. Transigebas in oratione dies & noctes, lavando sacratissimam faciem, & pectus tuum, imò lacrimis ipsam adeò terram rigando: sentiebas mala mea quasi tua propria, & promerebaris mihi multa bona, quasi in tuum commodum. Quòd si totâ vitâ tuâ nihil aliud habuisses molestiæ, satis fuissent hæ lacrimæ, quibus deflêsti mala à te non commissa; & suspiria, quibus continuò procurabas nobis remedia, tibi minimè necessaria. O infinite Fons misericordiæ! ô infinite Ignis amoris æterni! quomodo non hîc abeo totus in lacrimas, & in desideria concipiendi flammam tui amoris, tibíque serviendi, cum intimo odio malorum meorum? quomodo, mi dulcissime Jesu, non te adjuvo in hoc exercitio, quô tam immensa bona mihi procuras? ô ardentes & suavissimæ lacrimæ, emollite cor meum in hac hora, ac totâ vitâ meâ, ut juvem vos in diluendis malis meis, ac totus amore vestro accendar. Si tu Sapientia æterna, in me non vidisti aliud, quàm necessitatem totâ vitâ plorandi, ut mihi afferres remedium; quanta est mea cæcitas, quâ sine sensu & agnitione meæ miseriæ, sector voluptates in hac vita? illumina, Divina lux, tenebras meas, ut me videam, agnoscam & horream. Separa cor meum à lethifero amore terræ, quæ à te me separat: tolle gustum rerum, quæ me fecerunt adeò miserabilem, ut meipsum non agnoscam, ac te compulerunt totâ vitâ flere pro me.

Christus totam vitam egit in lacrimis.

V. O pietas infinita, tam longanimis in me supportando, tam dives in me sublevando, quid me fieret, si non habuisses mecum compassionem in summis miseriis, & mea mala non respexisses cum misericordia? Quare, Deus meus, consideratâ bene vitâ meâ, tantam habeo causam timendi, ac plorandi propter ea, quæ hactenus deflevi, quantum propter ea, pro quibus non flevi. Quandonam, Deus meus, tantùm sensi jacturam tui, quantùm sensi quamlibet rei, aut voluptatis terrenæ? Fleo pro amisso patre, fratre, cognato, amico, qui me à meis malis liberare non potest, & quem necessariò tandem, seriùs aut citiùs, oportuit perdere: Te verò, & æterna tua bona, meis peccatis amitto quotidie, ac promereor

Nos deploramus, quæ non oportet.

reor excludi à cæleſti ſocietate, ad quam ſum conditus; & hoc neque deploro, nec ſentio. Doleo, ſi mihi moleſti ſint homines, ſi non faciant, quod me puto mereri: quælibet res contraria meo guſtui & voluntati, me turbat intus ac foris. Magni duco, & graviter ſentio quamlibet jacturam honoris & exiſtimationis apud homines: affligor, ſi quid jure, vel injuriâ malè dicatur de me: non fero, ſi alter pluris æſtimetur, quàm ego: conſumo vitam, ac tempus tero in recreando & fovendo capitali hoc inimico meo, qui cauſa mihi eſt omnis mali, corpus dico grave, corruptibile ac mortale: contriſtor, ſi quid mihi deſit, quo illi poſſim blandiri: pro illo, & pro appetitibus meis ſomno & quiete me privo; & quod pejus eſt, magnam partem vitæ, ad promerenda bona æterna mihi à te, bone Jesu, conceſſæ, conſumpſi in cogitationibus, deſideriis & operibus, quibus illa amitto: ac ſum ita miſer, ut ferre non poſſim, ſi tollantur mihi occaſiones te, & me perdendi, ô unicum bonum animæ meæ! Et ſic fleo pro occaſionibus meæ damnationis, & ſomnum perdo pro illis, ac ſi vera bona fuiſſent. Video me ſine virtutibus, ſine victoria tentationum, imò victum ab illis, tepidum, ſine fervore, debilem ad bonum, animoſum ad malum, ſine luce interna, ſine igne tui amoris, ſine ullo deſiderio vivo & efficaci tibi ſatisfaciendi, ſine cura tibi ſerviendi, ſine amore ac deſiderio patiendi pro te, ſine pace in terra, ſine ulla re, ex qua cogitare poſſim me habere aliquid boni, quod meum ſit. Quid dico, Deus meus? video me longè ſejunctum à ſuavibus tuis amplexibus; video me in regione umbræ mortis ſine te, vera vita animæ meæ; & tamen non plango, non affluo lacrimis coram te. Nónne tu, bone JESU, es verus Pater, amicus, frater, ſodalis, honor, theſaurus, conſolatio & felicitas hujus animæ, præ omni alia re, quæ unquam inveniatur in mundo? quomodo ergo non pudet me dolere pro rebus temporalibus; quòd autem ſine te ſim, non ſentire? O lacrimæ infiniti meriti, juvate me, & impetrate mihi bona, quæ promeremini. Date mihi æſtimare, quod æſtimandum eſt & aſpernari, quod aſpernandum. Ceſſet tandem miſeria mea, Domine, nec permaneam ultrà in hac deceptione. Compatere, Domine, vitæ meæ tam brevi ad promerendum cælum, ac tam malè conſumptæ in rebus terrenis: ſaltem ab hac

hora

hora imposterum, virtute lacrimarum tuarum tam ardentium, totus ad tuam voluntatem immuter. Pœnitet me, Domine, præteritorum, desidero te juvare in deflendis meis malis. Vestrum, ô lacrimæ, quæ cælum aperitis, est hoc facere, ut oculi animæ hujus cæcæ pandantur. O lacrimæ plenæ dulcedine amoris ac pietatis, emundate penitùs hanc animam, inflammantes mutate illam in ignem amoris Divini, & odium amoris profani. O lacrimæ, quæ penetratis pectus Patris æterni, penetrate intima hujus cordis. O lacrimæ, quæ de cælo derivatis omnia bona in terram, levate cor meum terrenum ad cælestia. O quando veniet hæc hora benedicta, quâ videam in hac terrena & miserabili anima effectus lacrimarum istarum! Bone Jesu, quod ego non scio petere, hoc petant hæ lacrimæ tuæ: audi saltem illas, quandoquidem ego non mereor audiri, & da mihi hoc, propter quod effunduntur.

VI. Mi dulcissime Jesu, verum est, lacrimas esse aut finem, aut effectum tristitiæ: quia tristitia est sensus amissæ rei charæ, & sic facit plorare pro eo, quod amat, ac desiderat; & quando id venit, finitur tristitia lacrimis propter bonum præsens, quo carebat. Ideo sancti & servi tui, qui te quærunt cum desiderio, deplorant mala, per quæ te amittunt, & flent, quando te ipsis communicas, & manifestas in eorum cordibus, propter gustum tanti boni, quo priùs carebant, quódque jam habent. Sed tu, bone Jesu, quid habes, cur plores, aut quid boni potest advenire tibi de novo, ut fleas ex ejus præsentia? Tu es ipsum Bonum æternum, tecum habes omnes tuas divitias; & sicut eis nihil potest deesse, ita nihil etiam potest accedere: quidnam ergo boni, ô vita animæ meæ, tibi deest, ob cujus absentiam fleas? O infinite Amor non jam particularis, sed communis, opulentissime in propriis bonis, egentissime in alienis. O charitas Divina tam cupida boni aliorum, quàm dives proprii, ô ignis famelice, qui nunquam satiaris, nisi omnia convertas in te. Bene apparet, Amor animæ meæ, quòd nunquam fis contentus, donec igne tuo mutes in te omnes animas, quas ut creâsti propter te, ita multùm doles earum perditione, tanquam rei tuæ, pro cujus recuperatione fundis lacrimas. Ignis videtur lætari, quando emicat in vivam flammam; tristari autem,

Amor Dei insatiabilis

autem, cùm fatiscit in cinerem. Sic tu plangis, pastor Divine, cùm, intras in hanc vallem lacrimarum, quæsiturus ovem amissam; gloriaturus cùm repertam summis laboribus, reportabis eam ad pascua cælestia. O ignis infinite, si non habes, quod inflammes, quóve te dilates, & ideo ploras; Ecce, vita cordis mei, dulcissime JESU, ecce me, perditam ovem, pro qua ploras. Noli plorare pro me, sed potiùs incende me totum, ut lætari possis, & mihi des flere.

VII. Quin si adeò voraxes, Amor Divine, ut, cùm sis bonum infinitum, quæras me nihilominus, & fleas pro me, quid obstat, quo minùs in me te saties? nónne tu es ignis, non es tu Divinus, non es omnipotens, non es infinitus? quis ergo te impediet, ne in me consumas, quidquid non placet, mutando me & transformando totum in te, ut placeam tibi, túque me læteris? Ah mi Deus, ah bonitas infinita! Sint mihi lacrimæ panis die ac nocte donec te sentiam in anima mea. Da mihi flere, quia posteaquam te reperi, iterum perdidi; flere etiam, ne te amplius perdam. Recrea me præsentia tua, & à facie tua dissipentur inimici tui. Ah Domine, desidero satis petere, satis amare, satis abstergere tuas lacrimas: sed nescio quid me retineat. Tu Domine, qui vides & nôsti me, dum fles pro malis meis, medere: & quia fles præ desiderio boni mei, da mihi, quod deest mihi, mi amor, mi bone JESU, mi Pater, mi sponse, & meum unicum bonum. O quàm verè melius est ire ad domum luctûs, quàm convivii: quia tu, qui nasceris & moreris lacrimans, in cælo absterges omnem lacrimam ab oculis justorum, dum, qui in bonis ducunt dies suos, in puncto ad inferna descendunt. Quantò melius est, ô vita animæ meæ, ire ad præsepium inundans lacrimis tuis, quàm ad palatia Regum personantia tibiis? nulla est in hac vita delectatio, quæ non sit mœrore circundata: nulla verò est è lacrimis tuis, non plena bonis & gaudiis. Justi, qui vitam transigunt in lacrimis, ac semper te videre desiderant, pleni sunt solatio. Fac, me, bone Jesu, unum ex illis. O suavis hora, quâ lacrimis proluitur corpus, anima verò intimis te stringit amplexibus! O Divine Pusio, complectere me, ut simul fleamus, tu pro me, ego pro te. Tu

me

me vinces, ego te possidebo. Tu mecum te consolaberis, & ego me tecum. O quæ deliciæ ? ô quos thesauros das tecum plorantibus? O verè beati, qui lugent. Facessant à me, bone Jesu, terrena solatia; lugeam, fleam in hac vita, ut me consoleris tuo complexu in altera.

ÆRVMNA VI.

Asperitas Cæli.

I.

CHristus Dominus noster bellum contra peccata suscepit, non tantùm ut ab iis nos liberaret, sed etiam ut relinqueret nobis viva exempla virtutis: unde perspicuè cerneremus, & mala, quæ ex illis proveniunt, & modum, quo illa vitemus. Ideo se quoque armavit in vitia, quæ regnant in mundo, & in potiores usitatiorésque occasiones eorum, dando plura & majora exempla contrariarum virtutum, ut sunt humilitas, patientia, fuga voluptatum & eorum, quæ pluris æstimat mundus. Et quoniam amor corporis, & cura id bene habendi est una ex rebus, quæ plurimùm occupant homines, ac præbent occasionem multis gravissimis peccatis; ideò Filius Dei in ipsa statim nativitate, ac tota deinceps vita sua sic tractavit suum sacratissimum Corpus, ut quisquis acriter se ipsum castigandi ac macerandi spiritum & robur habet, inveniat in hoc Domino exempla copiosissima: qui verò tantum animi non habet, saltem in eo deprehendat, quantùm timendus & cavendus sit crudelis hic hostis domesticus, ne proter illum bona æterna amittat. Una commoditatum corporis, cui multi majorem vitæ partem impendunt, est apparatus vestium & variarum inventionum ad propulsandas injurias, mutationes & asperitates cæli ac temporis, ut quod prorsus evitare non possunt, leviùs sentiant. Huc spectat curiosa inventio ædium, palatiorum, cellarum, aularum, hortorum, nemorum, fontium, piscinarum, vestimentorum, lectorum, conviviorum, musicorum, & plurima alia genera oblectamentorum, ad calorem, refrigerium, & diversionem sensuum ab eo, quod pati non possunt. Et ut ab hoste benignè habito, aliud quàm dolus in eum, cui subjectum esse oportuit, exspectari non potest; ita tyrannus

Christus ab ortu suo

Durus erga sanctissimum Corpus.

nus hic erigit caput, fitque dominus è servo, & facit ut parùm cogitetur de vita æterna, magni verò ducantur terrena & profana, pertinentia ad oblectationem & libertatem sensuum, & quidquid animam potest mancipare servitio corporis. Propter hanc licentiam & impudentiam mundi, ac grave periculum perdendæ animæ, SS. Patres, docti à Spiritu sancto, excogitârunt vitam communem in cœnobiis, ubi moderatio servatur in victu & vestitu, sublata omni superfluitate & luxu, datúrque occasio majoris asperitatis corporis, qui id volet affligere. Multi omnino recesserunt in loca deserta, ubi vixerunt sine domicilio, sine vestimento ac cibo humano. Alii totam vitam transegerunt in perpetuo jejunio; alii in æstu & frigore sub dio; omnes autẽ tam solliciti in abnegandis iis, quæ corpus desiderat, quantumvis necessariis; quàm solent homines mundani studere, ut ei satisfaciant ubicunque potuerint.

Exponit illud incommodis cæli.

II. At Jesus Christus, divinus noster Magister, nascitur nudus, ut reliqui filii Adæ, sub tecto incommodo, frigidissimo anni mense, media nocte, tremens frigore sine commoditate vel munimento. Cum ætate verò non mutavit vestem, quam ei fecerat Mater, utcunque pauperem, sed retinuit usque ad crucem. Non se recepit in æstuaria vel refrigeria, non fugit solem: & quia corpus habuit simile nostro, non minùs, quàm alii sensit hæc incommoda cæli. Dum se domi continuit, non habuit in ea, ubi vel contra æstum se tueretur in æstate, vel contra frigus in hyeme. Posteaquam cœpit agere cum hominibus, terra ipsi pro domicilio, cælum pro tecto fuit: & sacratissimum ejus corpus, barba & capilli exponebantur rori, glaciei, pluviis, ventis, solibus, æstui & aliis molestiis comitantibus hæc incommoda, quasi peccatis suis promeritus esset, ut undique malè mulctaretur: ac veluti bene habitus esset de die, nocte egrediebatur vel in aliquem montium, vel in hortum, ut eam orando transigeret, ac patiendo dilueret pridianas delicias. Erat hic Dominus auctor & Conditor temporum, qui ad utilitatem hominum distinxerat eorum varietates; sed cogitandum est, eum ab initio statim iis delectatum fuisse, propter incommoda, quæ olim erat ab iis accepturus. Pro se ipso ergo jam tum fecit ardores æstatis & frigora hyemis, cum tota inclementia cæli, sibi reservando molestias dum hominum

procu-

procuraret utilitates, per abundantiam frugum ac fructuum, de quibus ipse vix aliquid percepit in vita.

III. Pulchram hîc Societatem habent egeni, quibus desunt ea, quibus abundant opulenti. Et quamvis patiantur inclementiam temporum ex defectu munimentorum contra illam, ut etiam consueta & communia non possint habere; magnæ tamen prudentiæ Christianæ est, ex necessitate facere virtutem, recordando, quod S. Chrysostomus dixit, Deum magni æstimare amorem, & bonam voluntatem, ac proinde non pro minore obsequio acceptare, quæ quis necessariò patitur, cùm amor ac desiderium serviendi ipsi ea obtulerit. Quod quidem non sine magna ratione sic dicitur. Etenim licet ea non possim non pati, non tamen minùs proveniunt à manu ipsius, quàm alia quælibet; similiter & voluntas, ut ea velim suscipere ac pati. Ergo cùm suscipio ac patior volens, non minùs acceptat pro servitio, quàm cùm aliam quamlibet bonam voluntatem, ab eo mihi datam, adimpleo. Imò, si hi pauperes haberent Spiritum Dei, se reputarent felices, quòd in eâdem sorte sint constituti cum Deo suo; qui, licet nasceretur in populo, in quo plures erant justi, bonæque fortunæ, tamen elegit nasci, & esse inter pauperes, quales fuerunt ejus Mater, Joseph ac Pastores: quod egenis magno solatio est, cùm possint inopiam suam sociare cum inopia Christi, & quidquid ex ea patiuntur, offerre, & pati cum ipso; quod magni est meriti. Quòd si verò tanti est virtus ex necessitate, quanti erit necessitas ex virtute? sine dubio deserta, & monasteria repleta voluntariè pauperibus superflua resecantibus, & asperè tractantibus corpora sua, in Christo non solùm exemplum, sed etiam robur habent & animum ad omnia illa, quæ natura non credit se posse. Quia amor (qui, ut S. Chrysologus dicit, non solet caussari difficultatem, & impossibilitatem prætendere, ne agat, quod non placet) tantò majore animo res aggreditur, quantò sunt difficiliores, ac videntur impossibiles, ut quadam tenus similis fiat vero amico suo Jesu Christo. Hinc, ut Palladius recenset, aliquæ sanctæ feminæ multis annis inter duos muros reclusæ vixerunt, absque tecto; ac postmodum interrogatæ, quomodo potuerint hoc sustinere, non aliud respondere potuerunt, quàm

Pro solatio pauperum,

& exemplo sponte renuntiantibus commodis vitæ.

tantam esse pulchritudinem sui sponsi, ut non permiserit eas multùm sentire, quod patiebantur, ut similes ei fierent atque placerent. Sanè si illi, qui vivunt inter commoda, nossent favores ac delicias spirituales eorum, qui deserunt mundum, longè recederent ab eo, quod faciunt pro suo corpore. Sed quia hoc est inter ea, quæ meliùs cognoscuntur ex usu, quàm verbis, ex hoc uno conjiciant felicitatem piorum, qui patiuntur incommoda, quòd inter ea vivant magis contenti & hilares, quàm sint ipsi cum omnibus suis commoditatibus; adeò ut neq; unam horam, frigoris vel æstûs tolerati socio Christo, cum omnibus oblectamentis mundi mutaverint.

Imò & moderatè illis utentium.

IV. Videri posset, hîc eos non habere locum, qui non sic inhiant commodis vitæ, ut ob ea Deum amittant, neque tamen ita sunt rigidi, ut omnia dimittant ipsius amore, ut sunt Reges, Principes, conjugati, & alii boni homines in mundo: habent tamen hi quoque magnam consolationem in asperitatibus Christi, dum vident eam esse benignitatem ipsius, ut, licet exemplum dederit summi rigoris, nullum tamen obliget ad imitandum: imò, dum patitur frigus & æstum, quo mereatur remedium malorum nostrorum, sinat eos uti commodis, modò maneant intra terminos amoris, quem ipsi debemus. Et quamvis in servitiis tyranni sui, corporis, multum operæ ponant; si tamen frequenter Sacramentis expient animum, virtutes statui suo convenientes exerceant, & habeant curam animæ suæ, ne tantùm occupentur nisi in commodis corporis sui; potens est Deus ex lapidibus suscitare sibi filios, è spinis rosas, & flores ex terra inculta. Est & alius modus, quo sibi Deum obstringant, ei pergratus: ut, cùm vident tantum discrimen inter Deum & se, quoad tractationem suæ personæ, erubescant coram Deo, petántque veniam, & gratiam vitandi, quidquid impedire potest ejus amorem: quia Christus ita nos amat, ut magni faciat humilitatem cordis, & suppleat defectus nostræ naturæ abundantiâ verorum desideriorum amoris.

Et ultrò subiit judicium Adæ.

V. Debitæ gratitudinis causâ prætereundum non est, quòd cùm damnâsset Adamum, ut in sudore vultûs sui vesceretur pane suo; id est, sustentaret se ipsum non sine gravi labore & fatigatione corporis, quem laborem sudor vel maximè designat; quasi

diceret

diceret ei, si noluisti acquiescere in felici statu paradisi, obedientiam reputans pro pœna; ergo quære deinceps tuam sustentationem cum magno labore, qui sæpe sine fructu abibit. Filius Dei, cujus erat salus animarum, voluisse videtur eandem legem subire, ut cum sudore vultûs sui, quod quærebat, acquireret in multa fatigatione, æstu & frigore, sicut alii filii miserabilis Adæ. Sed ô dolor! alia super illam ærumna ipsi à nobis oboritur, dum apud multos invanum laborat, ut pro fructu vitæ metat earum damnationem æternam. Solus ille, qui scit fugere calorem & ignem amoris terreni, ac nivem & glaciem tepiditatis in amore Divino, laboribus Domini respondet fructu optato: quia, cùm hæc duo mala insederint animæ, plus Domino molestiæ pariunt, quàm fuerit perpessus in terra: quia voluit ea pati solùm ideo, ut corda nostra provocaret ad se recipiendum in anima, ubi nullum genus oblectationis recusat: quia nulla oblectatio, quam exhibeat magnus amor, terminos aut limites potest habere.

Ad sudorem vultûs sui damnati.

EXERCITIUM.

De Incommodis Domini.

I.

O Teneritudo Dei, quomodo non emollis duritiem hujus mei cordis, ut sciat amare & extollere tot inventiones, quas tuus amor Divinus adinvenit, ut demonstraret, quantus erga me sit? quomodo sufferre potes, Domine, animæ meæ, ut inter tot ac tanta incendia tui amoris, anima mea frigeat & congelet? Noli permittere mi bone Jesu, ut ingens amor tuus, qui otiari non potest, solùm occupetur in te: manda illi Domine, ut me quoque accendat, & exserat in anima mea vim suam. In hujus cordis duritie erit abundè, quod agat; etsi in illo habeat suum effectum: ego totus inflammatus ero, ac tu magis glorificaberis. Adoro te, Divine Pusio; amo te summum bonum meum, his membris opertum. In omni re magnus es, Domine, & in omnibus te mihi similem exhibes; nec possunt hæc membra tenella abscondere divitias bonorum tuorum. Solùm corpusculum est infirmum; sed quid in te non summum est & mirabile? quid facies, Jesu, animæ meæ,

Amoris Divini admiratio.

Adoratio.

quando hæc membra creverint, & robur habuerint ad patiendum, si jam, cùm natura postulat aliquid munimenti contra frigus, ipsa tam rigidè tractas? Video sacratissimum ac tenerrimum corpusculum tuum consumi frigore, Divinâ tuâ providentiâ nihil id mitigante, vel infringente ejus acrimoniam in nocte tam frigida. Video Matrem pauperculam, quæ vix habet, quo te involvat. Video tugurium ita patens & lacerum, ut nullus in eo sit angulus, quo defendaris. Non video autem scintillam ignis, quo possis foveri; sed quidquid video, merus defectus est, & inopia omnium rerum. Benedictio & laus tibi sit, opulentia cæli! Sustine jam hæc ô bone JESU; quia toto reliquo tempore deges in laboribus pro mea salute. Sed hi sunt febriles ardores amoris tui, qui nihil tibi quietis concedunt. Corpus patitur frigora, mutationes aëris, varietatem temporum: sed anima & divinitas ardent vivis flammis amoris. Neque tu similis es iis, qui paucis contenti, si quid boni cœperint, imperfectum relinquunt.

& laus.

Christus ab initio mundi sibi destinavit incommoda.

II. Tu, spes cordis mei, vitam tuam transegisti sine munimento contra frigus, aut æstum, sine mutatione vestium variante cælo, sine omni commoditate. Semper Domine tibi placuit asperitas, quam tantopere nos aversamur: quoties tibi, Domine mi, dies ortus est oculis lividis, & facie pallida à frigore noctis? quoties comparuisti manè cum sacro tuo capite, barba, veste alba ex pruina & gelu? quoties tua purissima caro præ calore suo sudore se proluit? Et quia novi omnia provenire ab infinita & æterna bonitate & amore, quem erga nos habes; cogito de his tuis visceribus charitatis, quòd, dum creares mundum pro nostra habitatione ac sustentatione corporis nostri, ac disponeres temporum vices, hyemi frigus, æstati calorem, rigorem ventis tribueris ideo, ut olim te vexarent: quia jam tum cogitabas venire ad succurrendum nostris miseriis, quas oportebat nos sentire ab intemperie locorum, ac temporum varietate. Statim igitur à tua Nativitate, quasi qui desiderat frui rebus à se factis, pateris tormentum frigidæ noctis: ac tanto cum gustu & alacritate aggrederis incommoda, quæ tibi præordinâsti, quantùm homines mundani gaudent frui hortis, & aliis recreationibus inordinatis.

III. O

III. O fideliſſime amator animarum, ô Magiſter vere ſupernæ puræque veritatis, ô fidiſſime Sodalis pauperum, & afflictorum peccatorum, quàm longè abeſt à te præceptum ſine opere? Dum tu non loqueris, loquuntur pro te opera tua. Bene vides, ô bone Jesu, quantum temporis adimat mihi cura commodorum hujus miſerandi corporis, veri hoſtis animæ meæ; vides ut impediat memoriam rerum interiorum, dum ſibi me occupat totum, útque illi ego in omnibus, quæ cupit, obediam, etiam cum periculo te amittendi, & vivens inter brachia hoſtis tam malitioſi, aſtuti, fallacis & periculoſi, nulla in re deſim ejus cupiditati, & nihil nimium reputem, quod ipſi ſit gratum. Video quàm parùm proficiam omni conatu meo, & quò plus ei præſto, hoc ampliùs mihi præcipit, inſatiabile: quantò magis id foveo, tantò magis me fatigat: cùm puto illi ſatisfactum, tum ampliùs lamentatur; & cùm peto ab eo mercedem, non aliter ſolvit mihi, quàm me ſeparando à te, ô ſumma mea felicitas & hanc miſeram animam meam abjiciendo ad indigniſſima quæque. Non poteſt ferre, ut quidquam tui ſervitii me diſtineat, quo impediantur ipſius libidines. O Cognitor miſeriæ meæ intimæ, quantum hic habeo deplorare & queri! O vera vita hujus miſerabilis animæ! Parce, Domine, & non iraſcaris mihi. Mala, quæ in ſervitio corporis hujus patitur infelix anima mea, ſolus tu ſcis: ut me irretiverint, tu ſolus intelligis: quod etſi per totum tempus meæ vitæ deplorem, habeo ſemper cauſam plorandi: utcunque me expies, habeo ſemper, quod metuam.

Deploratio ſervitiorum corporis.

IV. Adjuva me, Domine, contra me ipſum; quia ſcis quantum habeam timere pro tempore, quod magis in corpore, quàm te curando inſumpſi; quantum erubeſcere etiam pro illo, quo te cum gratia tua aliquo modo quæſivi. Nam ô bone Jesu, ſpeculum & amor animæ meæ! quando plus feci tuâ cauſâ, quàm pro corpore mundani homines facere ſoleant? Non habent modum luxûs & inventiones ædificiorum, veſtium & commodorum, ad declinandum calorem & frigus, ut defendatur corpus, ne ſentiat moleſtias temporum. His quidquid impenditur, æſtimatur modicum; licet omnia conſumantur, & egeant pauperes viduæ

& curarum pro illo.

& orphani, cultúsque Divinus habeatur neglectui. Et ego cùm aspirante gratia tua te quæro, & recipio in anima mea, quale in ea tibi cœnaculum instruo? qua te puritate excipio? ô Bonitas infinita, tam larga in me sufferendo: tam copiosa in condonando; cùm pluris sit una hora consolationis tuæ internæ, quàm omnes deliciæ totius mundi simul, quantò plus facit ille pro falsis oblectationibus, quàm ego pro veris! vita cordis mei, obmutescit & erubescit anima mea: sana Domine dolorem hujus tuæ creaturæ, quam tantùm diligis. Tu solus es, qui ex tua parte facis omnia, sed ego semper mei sum similis. Pro corpore meo facio omnia; pro te verò parùm omnino. Mala mea magna sunt ad mensuram cordis mei perversi; bona verò perexigua. Tu solus, Domine animæ meæ, magnus es in omnibus: magnus in patiendo, magnus in te affligendo, magnus in me amando, in condonando, in dissimulando, & in magnitudine tua accommodanda meæ exiguitati, dum me non obligas ad faciendum, quantum tu facis: permittis me curare corpus, tantúmque præcipis, ut amem te.

V. O quando veniet hora, quâ magno labore languorem corporis mei compensem! O Divine Amor, magnus in omnibus, accendere in isto corde, & operare in eo tua mirabilia. Da mihi dominium super hanc carnem: & si ego non tantum possum ferre in ea, quantum tu pateris pro me, saltem da mihi tantam famem tui, ut nunquam satier, & ut ego multum saltem desiderem, dum tam multum tu facis. Tolle à me omne superfluum: doce me non plus dare huic meo inimico, quàm opus est: muta in me omnes cogitationes, quia bene occupantur solùm in te. Verte ex hac hora in perpetuum, Domine, cogitationes hujus animæ: suscipe tu curam rerum mearum & da mihi, ut totus sim tibi intentus. Quid possum extra te velle, ô vita mea, quod bonum sit? quid poterit mihi deesse, si te solo me impleas? ô malè perdita vita, quam consumpsi extra te! Tu es vera quies hujus animæ, verum remedium necessitatum mearum, securum refugium in meis ærumnis; unicus & verus Pater, qui me sustentas. Igitur ô vita cordis mei, quomodo te solo contentus non sum? Aperi, Domine, hoc pectus meum: sana hanc tuam creaturam; quia, qualiscunque sim,

tuus

tuus sum. Et quia sum tuus de jure, cupio etiam posthac esse ex mera voluntate, & amore & gustu.

VI. Sed, ô Domine animæ meæ, & spes mea & vera quies mea, quid te magis cruciat; frigúsne, quod pateris, an gelu & frigus animæ meæ? Doce me, Domine, ut te intelligam, & satisfaciam tibi. Scio bene, quòd acerbitatem hujus frigoris patiaris pro malis istius cordis mei nimiùm delicati: magno cum gustu suffers incommoda frigoris hujus & intentas mihi sagittas amoris, si me cum tepido corde invenias: ô infinita misericordia, quid me fiet, qui non memini vel unam horam hujus vitæ abiisse, qua flagraverim igne tui amoris? Tu Domine toleras frigus & æstum, sicut viator, qui sperat se recreatum iri, cùm venerit domum: & quando venis ad istud cor, conditum propter te, tanquam in domicilium, ubi quiescas, velles invenire bonum receptum, cum foco & aliis fomentis. O qui te semper exciperet puro amore! ô qui suo tepore te non abigeret! & quid magni est, dum hoc petis à me, qui eâdem erga me lege es usus? Fecisti me Deus meus, propter te, & ordinâsti ut cor meum sit inquietum, donec requiescat in te: voluisti esse domus recreationis animæ meæ; misisti me in hoc exilium, ut possem tendere & venire ad te; & sic vis me durare in fatigatione hujus vitæ, sicut eum, qui facit iter per regionem arídam & sterilem: non sinas me deficere. Video, quòd me jam exspectes: mox ergo me consolare, mox me sustenta, mox ostende, quòd in te solo sit verum bonum & requies mea. Quòd si quando dissimulas, ideo facis, ut postea majore gustu ac suavitate te fruar. Tam autem es æquus, ut eadem lege vicissim uti me velis. Nam in me solo vis habere tuum receptum, in me solo quiescere, mecum solo te recreare: tantùm id sentis, si reperias cor meum, & domicilium animæ meæ, occupatum alio amore & frigidum, sine tuo. Si apud me locum invenias, omnes ærumnas bene collocatas existimas: sin occupatus fuerit, hoc tibi solùm est molestum. O mi amor, & pulchritudo mea, & gloria mea, quoties pulsâsti fores meas, & ego non aperui? quoties nolui te audire? quoties subeuntem limina mea iterum expuli? quoties, ô felicitas mea, te permutavi cum meo exitio. Cur igitur vivo Deus meus, si non propter te

Christus plùs dolet frigore cordis nostri, quàm aurâ.

vivo

vivo? Fini tandem, Domine mi, istam miseriam; & quia necdum cessas tentare aditum in hanc animam, fac, ut te excipiat, sicut oportet.

Invitatio Christi in cor hominis.

VII. Veni, spes mea! veni, salus mea! veni, gloria mea! depelle malos incolas hujus animæ, quia tua est habitatio. Accende in eâ focum tui amoris: obsera eam, nec sine me facere in ea, quod mihi placet: finge me totum ad voluntatem tuam. Non mihi fidas, Deus meus; nosti bene, quòd positus coram te, sim dives promissis ac desideriis; at in digressu tardus ad præstandum, & frigidus in te amando. Fac tu, Domine, opus tuum; quia nihil boni possum habere, nisi per te. Non pereat, vita animæ meæ, hæc opera tua per meam malitiam: restitue, quod eversum est, ac destructum: lucrare quod periit: glorificare in creatura tua: regna in regno tuo: occupa domicilium tuum, & simul me duc tecum, Dominus meus, & Deus meus, perfecta felicitas mea.

Cor nostrũ Christi fert spinas.

VIII. Fac ô unicum bonum & refugium meum, ut cognoscam perfectè, quantum tibi debeo. Tulisti sententiam in Adamum, ut in sudore vultûs sui, & labore corporis sui quærat panem suum; ac sæpe, cùm seminârit frumentum, pro eo colligat spinas. Et tu verus meus Adamus, verus pater meus, qui nunquam suaviorem cibum gustâsti, quàm cordium, quamvis bene scires ea tibi vertenda in spinas, voluisti tamen subire rigidam illam sententiam; sed laboras, sudas & alges pro me. Et quid lucraris, Domine, ex nostro amore? Sed ignosce mihi, Deus animæ meæ, quòd velim plus scire, quàm quod tu ita velis. Et si aliud non vis, cur igitur te non amo? Multum mihi tribuis, Domine, me amando; multum, à me volendo amari: & nescio utro istorum plus tribuas mihi: ô amorem, qui tantùm me amas ac tantum facis, us ameris à me; quid te impedit, quin facias id quod vis? quomodo possum amare te sine te? Jubes te diligi: da quod jubes, & jube, quod vis. Combure tribulos & spinas hujus animæ, quæ tibi creant laborem: proscinde cor hoc terrenum, insere tuum divinum amorem: absume hunc meum teporem & habebis statim, quod cupis. Posside me totum, ut aliud non sciam, quàm gemere & plangere. Aperi tu tuos thesauros: quia tu omnia potes, ô amor, ô amor, ô amor, ô verè Amor!

O Mater

O Mater DEI, mundissima hujus Domini habitatio, quæ multò magis eum foviſti interiùs, quàm potueris foris. O theſauraria iſtorum omnium; impetra mihi ab illo, quod petit à me: quia ſcis, me ſine ipſo non invenire ſalutem. O ſupernæ habitationes, ac domus cæleſtes, puriſſima corda, in quibus Deus quieſcit! recordamini, vos etiam peregrinos fuiſſe: miſeramini conſtitutos in periculo, & impetrate mihi à Domino, qui regnat in vobis, ut me quoque faciat ſempiternum ſuum habitaculum. Amen.

ÆRVMNA VII.

Circumciſio.

I.

NOluit Chriſtus Dominus noſter multos dies transire poſt Nativitatem ſuam ſine dolore & ſanguine, quo dedit primitias ejus, quem copiosè quondam effuſurus erat, & Patri oblaturus pro noſtro remedio. Atque ita octavo die vitæ ſuæ, quo præceperat olim Deus Abrahæ circumcidi omnes pueros, ei legi ſubmiſit ſe ipſum, cujus fuerat auctor. Multa erant, quibus eximeretur ab illa. 1. quia lata fuerat in proteſtationem Fidei Meſſiæ venturi, quem exſpectabat populus Iſraëliticus, per circumciſionem conteſtans, ſe vivere in Spe, Fide, & Amore Salvatoris venturi. Sicut igitur Chriſtus erat ipſe, qui exſpectabatur, ita non habebat, cujus Fidem ac Spem profiteretur circumciſione. 2. DEUS Abrahamo dedit hoc pro teſſera & nota fœderis, quod inierat cum ipſo, ut omnes poſteri ejus, deſcenſuri ab Iſaaco, eſſent populus DEI peculiaris, quem ipſe ex omnibus gentibus elegiſſet pro populo ſuo, & à quo ipſe haberetur pro Deo ſuo, ceteris ob idolomaniam rejectis. Cùm ergo Chriſtus veniſſet ad vocandas ſine diſcrimine omnes gentes totius mundi in unum ovile, & ſalvandos omnes, qui vivere & mori vellent in ſua Fide & dilectione; non erat, cur ſuſciperet notam ejus fœderis & contractûs, quem velut ejus Auctor volebat laxare & immutare. 3. Per circumciſionem corporis DEUS obligabat illos, ad amputandam duritiam cordis, & malas inclinationes,

Chriſtus circumciſus eſt non vi Legis.

adversantes amori suo, & observantiæ mandatorum. Christus autem, cùm esset infinitæ puritatis & perfectionis, non habebat in anima, quod amputaret, sed ipse purificaturus erat animas omnium: non igitur opus erat suscipere signum, quo obligaretur ad reformandum quidquam in sua persona. 4. Circumcisio Sacramentum erat Legis antiquæ, per quod profitendo Fidem ac Spem venturi Messiæ, liberabantur à peccato originali: ac proinde erat signum & remedium peccatorum. Christus autem, Bonum nostrum, quà Deus, & quà Homo peccatum habere non potuit, utpote ipse Auctor gratiæ & remissio peccatorum, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: quò longiùs igitur aberat ab omni peccato, eò longiùs etiam aberat ab obligatione suscipiendi in se signum & remedium peccati. Imò nimia demissio erat, subire Legem, quæ mederetur malo tam alieno à sua divina Majestate, sicut est peccatum.

sed mi ri amoris.

II. Sed amor divinus, cui nulla res potest obstare, non duxit alienum, istâ occasione prodere se & emicare, dum se rei, divinâ Majestate suâ tam indignæ, submitteret; quia tantò magis exserit suam vim & magnitudinem, quantò res est magis aliena, in qua suam operationem habet. Unde etiam Christus non pro magno habuit, ostendere suum amorem in operibus ac rebus sublimibus, sed multò magis ostendit eum in humilibus & abjectis, quibus se ipsum subjecit; non modò se faciendo Filium hominis, oriundi ab Adamo peccatore; sed etiam subeundo pœnas & remedia, quibus expiantur peccata. Confundit Christus Dominus noster hoc modo quoddam genus superbiæ, sparsum in magna parte hominum, qui, cùm non curent coram Deo committere peccata gravissima, maximè tamen curant, ne habeantur pro peccatoribus. Unde fit, ut sine ullo sensu vulnerum animæ (sicut ait S. Bernardus) erubescant admittere medicinam, quâ poterant sanari, ac sæpiùs eam omittant. Majorem partem ægrè agnoscimus nostra peccata; ægriùs autem ferimus, haberi pro talibus, quales sumus reipsa, & acceptamus laudes humanas, ut videamur habere virtutes, quas non habemus, ac scimus, nos intus tales non esse, quales foris videmur. Hæ sunt absurditates illorum, qui amant

Et ut confundat superbiam nolentium haberi pro iis, qui sunt.

sua

sua vulnera, & non curant vera media, quibus possent sanari. Ideo Medicus & Magister noster hanc virulentam inclinationem humanam prorsus immutat; & cùm, quidquid est in eo, sit vera, pura & essentialis sanitas ac salus, quæ sanat omnes, tegit ineffabilem perfectionem puritatis suæ divinæ & humanæ, & circumciditur tanquam peccator, & humiliatur, ut videatur esse, qui non est, assumítque remedium culpæ, quâ caret. Docet hoc palàm, non posse confundi eum, qui habetur pro peccatore, cùm non sit; nec honorari coram DEO, si non videatur esse peccator, cùm sit.

III. Est verò, cur videamur plus debere Christo pro eo, quòd in Circumcisione acceperit pœnam ac formam peccatoris, quàm cùm idem aliàs fecit. Nam in aliis actionibus ejus, & passionibus semper emicuit Majestas, quæ in eo latebat: at in Circumcisione nihil ejusmodi. Quando natus est lacrimans ac tremens præ frigore, sicut alii peccatores, Angeli, Pastores & Magi eum adoraverunt. Quando in templo est præsentatus ut peccator, Simeon & Anna prædicaverunt ejus Divinitatem. Quando baptizatus est in Jordane cum peccatoribus, vox de cælo Patris æterni, Spiritus sanctus in forma columbæ, & ipse Baptista testati sunt esse Filium DEI. Cùm tentatus est in deserto, accesserunt Angeli & ministraverunt ei. Cùm fatigatus sudaret, miracula demonstrabant ejus magnitudinem. Cùm permisit se capi, unico verbo prostravit cohortem in terram. Cùm in cruce pependit inter latrones, Sol, qui obscuratus est; Terra, quæ tremuit; Vox, quâ clamans exspiravit; Velum templi, quod scissum est; Centurio, qui eum confessus est, magnum testimonium perhibuerunt ejus Divinitati, ut, qui eum crucifixerant, abirent percutientes pectora sua, & confitentes eum fuisse Filium DEI: atque ita, dum videretur peccator, simul erat, quo manifestaretur ejus Majestas. In sola Circumcisione apparet sui oblitum; quia nullus ibi Angelus, nec Sol, neque miracula, quæ ostenderent alium esse, quàm videbatur. Tunc enim volebat explere delectationem, quam capiebat ex nostra similitudine, ut obligaret nos ad similitudinem sui, quem postea magis erat notum facturus. Unde licet postea majores dolores susce-

dum nihil admittit quo manifestetur ejus divinitas, sicut in aliis ejus perpessionibus.

perit, non tamen minùs ei debemus pro isto, quem ita susceptit amore nostri, ut sui honoris planè immemor esset.

Dolor circumcisionis acerbior Christo, quàm aliis infantibus.

IV. Quamvis in Circumcisione aliud non esset, quàm dolor, vel ob hunc solùm Dominus eam suscepisset. Venerat enim in mundum tam avidus patiendi, ut ægrè impetraret à se ipso, quin pateretur saltem idem, quod alii infantes, quandoquidem per ætatem plus non poterat. Et verò satis acerbum fuisse hunc dolorem necesse est, quòd lapideis cultris circumcisio fieret, sicut uxor Moysis fecit suis parvulis, ac Deus præcepit Josuæ, ut faceret totus populus, priusquam terram promissionis intraret, & quòd tertio die dicatur à Scriptura gravissimus fuisse horum vulnerum dolor. Et eum quidem infantes alii patiebantur ignari, per quod non parùm imminuebatur: sed hoc lenimentum in Christo non fuit; quia ætas non impediebat, ne sciret, quid ageretur; ac proinde plenè sentiebat dolorem hujus vulneris, & eodem amore tolerabat spargebátque tantillum sanguinis, quo postea omnem in Cruce profudit, quem habebat in venis.

Primitiæ sanguinis Domini,

V. Deus in Lege præcepit offerri sibi primitias omnium fructuum terræ: & quia decreverat Filium suum nasci tam pauperem, ut nihil haberet proprium, nec ubi caput reclinaret; ut lex impleretur, voluit eum sibi offerre suum sacratissimum Sanguinem pro primitiis ejus; quod in terra longè plus frugis erat allaturum, quàm aliud quidlibet. Voluit ergo à nobis clarè agnosci magnitudinem amoris, qui nec tenerâ ætate impeditur à patiendo, nec morte finitur. Nam octavo die non sine magno dolore exegit primitias sanctissimi sanguinis, quem usque ad ultimam guttam erat sparsurus, latere etiam post mortem aperto. Hæc omnia fecit Christus pro his, qui infantiam in mera ignorantia transigunt, pueritiam in principiis omnis nequitiæ, reliquam vitam in servitio corporis & aliarum rerum, quibus perimitur anima; à quibus demum in morte non alium fructum habent, quàm lacrimas, ac dolorem de vita peracta, in qua minimam partem habuit Deus, cui tota debita fuerat: ne dicam, pleramque omnem suæ Divinæ Majestati fuisse adversam. Qui haberet oculos apertos, videret hîc magnam causam erubescendi de negligentia usurpata

oblata pro cœcis & malis initiis vita nostra.

cum

cum Christo, qui nullam ætatem, imò nec diem vitæ suæ transmisit, quâ non occuparetur in nostra salute, ac demonstratione sui ingentis amoris. Quia à prima Nativitate, usque ad Ascensionem in cælum, aliud non egit, quàm ut communicaret suum amorem, tanta patiendo pro nobis.

Cur tanto pretio simus redempti.

VI. Non sine causa voluit Christus nostram Redemptionem tanti sibi constare, ut ab ortu vitæ usque ad obitum laboraret semper pro illa: voluit enim nos videre, quantò pluris eam faceret ipse, quàm alia omnia, quæ creaverat. Non plus expendit in creatione hominis, quàm formicæ; omnia fecit sola voluntate sua, sine alio dispendio vel cura; neque curâsset, si periissent alia omnia: pro solo homine, ne periret, Christus in se tantos labores suscepit, deditque pro illo tantum pretium, ne cogitaremus, eum vili pendere hanc suam creaturam, cujus creatio, si non stetit magno, certè redemptio maximo constitit. Ideo nos huic Domino S. Paulus ait obligatissimos, ut serviamus ei cunctis & animæ & corporis viribus; *empti enim estis*, ait, *pretio magno*. Verum quidem est, longè minus sufficere potuisse; sed quod redemptioni, non etiam satisfeciisset ejus amori: quidquid expendit, necessarium fuit ad explendum amorem. Sed & illud reputandum est, quod S. Cyprianus animadvertit; ideo tanti nos fuisse redemptos à Deo, ne facilitas remissionis laxaret habenas peccatis. Tam enim sumus ad malum proclives, ut hoc totum fuerit necessarium ad cognoscendum pondus, & gravitatem peccati, à quo liberandi fuimus tam pretioso remedio. Et si nihilominus tam facilè & inconsideratè peccamus, quid egissemus, si Deus non tantum laborasset & ostendisset, quantum id oderit, quantúmque in eo sit mali? Videat ergo quisque, quo animo sit erga peccata, quæ tota vita sua sine sensu commisit effusè, cùm intelligit Redemptorem suum non peperciisse sibi ab infantia, & ne in morte quidem satiatum patiendo pro nostra redemptione.

1. Cor. 6. 20.

Nomen Iesu continet omnia

VII. Solebant infantibus in Circumcisione imponere nomen: ideo Christus etiam, ut initia responderent extremis, in sua carne voluit sanctissimum Jesu nomen (quod est Salvator) scribi sanguine suo, quem pro salute nostra omnem olim erat fu-

alia nomina Christi.

surus. Quamvis S. Bernardus velit, eum id nomen secum attulisse in mundum, & hodie non recèns impositum, sed tantùm vocatum, seu promulgatum fuisse : quia Christus est ipsa essentialis, & supersubstantialis salus, ac secum attulit nomen conforme illi, quod est. Sanè omnibus aliis dantur nomina impropria, quia non verè sunt id quod significant nomina; hæc enim sunt ampliora rebus quibus imponuntur. Nomina divitiarum, Thesauri, Majestatis, Magnitudinis, Celsitudinis, Imperii & alia excellens aliquid significantia, non propriè conveniunt rebus, quibus dantur, quia revera tales non sunt. Solus Christus est vera salus animarum nostrarum, qui ex natura sua ab æterno est id, quod nomen Jesu importat, ac voluit proferri primo die, quo exiit pretiosus liquor sanguinis ejus è suo corpore, ut eo salvi fiamus ab omnibus infirmitatibus & plagis nostris.

VIII. Multa alia nomina Christi prædixit Isaias, ut Festina prædari, Emmanuel, Admirabilis, Consiliarius, Princeps pacis, Pater futuri sæculi & alia, quæ omnia includuntur in sanctissimo nomine Jesu, ac sunt totidem declarationes ipsius. Quia ut verè esset Jesus, debuit esse alacer ad eripiendas animas è faucibus diaboli, peccati, cæcitatis & omnis mali, per quod ruebant in exitium: debuit esse Deus agens cum hominibus: Magister & Consiliarius admirandæ doctrinæ, quâ salvamur à nostris erroribus: debuit facere pacem inter cælum & terram: debuit esse Auctor & Pater vitæ æternæ, aperire januas cæli his, qui merentur ingredi: denique debuit regnum ejus durare in omnia futura secula: quæ omnia nomen Jesu importat.

Et nobis magno est honori.

IX. In eligendo hoc nomine fecit Christus alium excessum amoris. Nam ut olim Deus non alio nomine voluit agnosci, quàm quòd sit Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob, fidelium amicorum suorum, eo modo illos & posteros eorum honorans: ita Filius ejus videns defeciisse in mundo amicos, nomen assumpsit ab inimicis, quos in amicitiam suam pertrahere & salvare volebat. Et ut priùs paucos illos servos honorare dignatus est, accipiendo cognomen ab illis; ita nunc sacratissimo nomine Jesu voluit honorare omnes, quamvis magnos peccatores, quos venerat salvare, & reci-

& recipere in amicos, nominando se Salvatorem illorum. Ut jam neque Moyses gloriari possit, quasi solus esset amicus DEI, quòd viderit eum à facie ad faciem: neque Patriarchæ illi, quòd cum DEO egerint familiariter: majore nos peccatores favore dignatus est DEUS, qui in nostra forma tanquam peccator vixit, & mortuus est inter peccatores, & in cælo & in terra voluit nominari noster Salvator: fecitque, ut nomen hoc sit inferno terribile, gloriosum in mundo, adoratum in cælo, justis oblectationi, peccatoribus saluti; in periculis securitas, in requie jucunditas, in necessitate remedium, in peregrinatione spes, in frigore fomentum, in timore animatio, in mœrore lætitia, bonorum fons, malorum liberatio.

EXERCITIUM
Circa Circumcisionem.

I.

VEnit, ô bone JESU, amor animæ meæ! prima hora tui desiderii, ut fundas in ea sanguinem pro peccatoribus. Ostende mihi, amor mi, hoc cor, hunc ignem, quem pateris; hanc anxietatem, qua exspectas hos primos dolores, tolerandos pro nobis. Tantum tibi debeo, Domine, pro amore & voluptate, qua id facis, quantum pro ipso opere & gratiâ, quam mihi facis. Quis est sicut tu Deus amoris? quis te tanto amore mei succendit? O si cor meum ad te veniret tam ardens, quàm video te venire ad me. Ego, Domine, semper sum tardus ac negligens: & tibi vero amico meo, octo dies videntur multi anni, præ desiderio, quod habes patiendi pro me dolorem Circumcisionis, ut mihi des primitias tui Sanguinis; méque trahas ad te, non per vim, legem, aut minas: & cùm, Dominus meus & sapientia Divina, non tenearis lege, te subjicis illi; quia est lex aliquid patiendi: ut ostendas legem amoris, quâ teneris obstrictus pro peccatoribus.

Ardor amoris Christi.

Tepiditas nostra.

II. Conficere, cor meum, amore hujus Domini: pandere, ac recipe illum in intima penetralia animæ. O mi dulcis amor! O secura & perfecta amicitia mea, tu non invenis difficultatem in demonstrando mihi tuo amore: non te impedit tenera ætas,

non

non infinita Majestas, nec austeritas legis, cui subjectus non es: sed quantò liberior es, ac Dominus absolutus, tantò ampliùs te submittis ad ostendendum amorem. Et ille est, quem habes pro lege faciendi quidvis pro meo remedio. Tu, mi bone Jesu, omnia facis, quia amas; pateris, quia amas; & amas, quia amas. Et, ô Jesu, quis est ille, quem amas? Amas me, in quo nihil invenitur dignum amore, nisi quòd mea peccata dent tibi occasionem ostendendi magnitudinem tui amoris, ac divitias bonitatis tuæ, & thesauros misericordiæ tuæ. Parum fuit amori tuo, fieri hominem, nasci infantem, pauperem, obsitum lacrimis, subditum nostris miseriis; quando etiam voluisti videri peccator, & in sanctissima Carne tua suscipere remedium peccati, quod tam longè abest à te, ut si posses peccare, Deus non esses.

III. Et quid hoc est rei, ô vita animæ meæ! si tantùm abhorres à peccato, quomodo sustines te videri peccatorem? Fœditas peccati abominabilem facit infernum; & macula eius, quam habemus in anima, separat, ô Deus meus, à te & à cælo. Quomodo ergo tu, divine Salvator peccatorum, non tantùm suffers, sed etiam quæris formam peccatoris, non modò nascendo, ut Filius peccatoris Adami, sed etiam subjiciendo te proprio remedio, quo voluisti homines expiari à peccatis? Permittis te circumcidi, cùm Sacramentum id fuerit ordinatum à te, ut eo peccatores profiterentur fidem in te Deum meum, & sic obtinerent remissionem peccati Originalis: & voluisti, ut ea professio fieret cum sanguine, quia nondum tuum effuderas; & peccatores id patiebantur, tanquam filii Adami, similes suo parenti. Sed tu, ô Puritas infinita, & verus Deus, qui es ipse supremus Dominus, in quem credimus, & cujus fide amoréque salvamur, es ipse misericordissimus Deus, qui mundat ac remittit peccata; quid habuisti causæ, cur acciperes remedium peccati? Amo te, Pelagus infiniti amoris: adoro te, Sapientia infinita: laudo & extollo tua consilia incomprehensibilia.

Christus ut salvet nos, non horret tractari, ut peccator.

IV. Odisti peccatum, & amas peccatorem; & sustinet Amor tuus fieri te similem amato in pœna, quamvis careas culpâ: voluisti te obligare ad solvendas meas culpas, ut haberes causa-

sam

sam subeundi pœnas, quas ego promerui, & in hoc majorem rationem habuisti mei remedii, quàm tui honoris. Tu, Divinum meum Bonum, es tam altus, ut malum non possit tibi appropinquare: tam purus, ut nullum peccatum te possit maculare: tam sanctus, ut nec figura, nec umbra peccati te possit incusare: & tamen tantopere discrepas à te ipso, tantopere amas, ut malis adire periculum tui honoris, quàm declinare meum remedium. Quid inveniſti in me, Deus meus, ut tantùm me ames? O infinite amor, sicut omnia feciſti propter te ipsum, ita amas excessivo amore solùm propter te ipsum, Deus meus. Ut satisfacias tibi & ostendas, quo incendio flagret cor tuum, ad ultima extrema descendis, ut videaris esse, qualis esse non potes: ut cùm te videro mihi similem per amorem tuum, cogitem te esse, qui es.

V. O magne Deus, inspector animæ meæ, quantùm fuit necessarium ad illuminandas profundas tenebras meas, ad humiliandam stolidam dementiam meam, & revocandum me in bonam viam! quantò altiorem te video, & occupatiorem in humilitate mea, tantò magis intelligo, non minore virtute, perfectione, & excessu infiniti amoris, quem mihi exhibueris, potuisse erigi & sanari animam meam. O divinum speculum bonitatis, illumina oculos meos, ut videam me in te, & videndo me humiliem, humiliando tibi placeam, ac placendo novo splendore tuæ lucis adimplear, atque ita purificatus & illustratus amor meus occupetur totus in te, sicut tu totus occuparis in me. Si in te est notabilis magnitudo amoris, velle videri peccatorem, qui esse non potes; quàm intolerabilis erit superbia mea, delectari esse peccatorem, & videri non velle; delectari plagis, pro quarum sanatione tu fundis sanguinem; & erubescere, quòd me sanes; fugere omnem virtutem, & studere, ut videar qui non sum? sana, Domine, istam diversitatem adeò irrationabilem. Non possum negare, quàm fœda res sit peccatum, quandoquidem erubesco id in me videri; & è contrario tantùm eo delector admittendo, ac si boni quid esset ac pulchri. Pudet castigari, ne videar malus; & delectat peccando meam facere voluntatem; morior pro recuperando honore, quando publicatur, qualis revera sum; neque alia in re magis occupor, quàm ut sim, qualem

Homo diligit peccatum, nec tamen vult haberi peccator.

pudet videri. O infernalis confusio! amo malum, ut id faciam; & per id peream; & nolo id sciri, ut salver. Me totum vincit inordinatus amor malorum meorum, quibus infeliciter delectationis gratiâ subjaceo; & odi fœditatem eorum, ne applicetur mihi remedium: éstque tam malum ea sic odisse, quàm est amare; quia amo ea, ne emender; & odi, ut diutius amem. Denique totum hoc oritur ex amore plagarum mearum, intima delectatione culparum mearum, & summa voluntate mei exitii.

Homo plus vis facit oculos hominum, quàm Dei.

VI. Ex hac inordinatione, Deus meus, nascitur alia non minor. Credo, quòd tu sis ita sublimis, & me videas: scio & experior, quàm viles & miserabiles sint homines, qui me vident: intelligo, tuo judicio vero condemnari me posse, humano verò posse potiùs perdi, quàm sanctificari. Scio, Domine, me verè talem esse, qualis sum in oculis tuis, non autem qualis in oculis hominum. Scio etiam, quòd meliorem facere me non possim; & cum omni hac certitudine, ac scientia, non erubesco in oculis tuis esse, qualis sum; & studeo in oculis hominum esse, qualis non sum, attestante mihi conscientia mea. Et quamvis in corde meo sit hęc inordinatio, ostento foris mansuetudinem corde intus vipereo: fingo honestatem cum desideriis inhonestissimis: simulo contemptum vanitatis, cum arrogantia superbissima: præfero zelum sanctum, opertum ambitione terribili: sanctifico vitia mea mantelo virtutum, & quando plagæ meæ videntur sanatæ, sunt maximè incurabiles. Omitto illud tempus, quo ita serviebam vitiis, & pravis inclinationibus, ut etiam non puderet me peccatorum, deridendo emendationem eorum; ac publicè profitebar meas miserias ac vitia, jactando ea, & habendo pro decore; surdus ad veritatem redarguentem mea mendacia, cæcus ad sanctitatem reprehendentem mea probra, sine respectu ac timore omnium, quæ me potuissent refrenare: quia gloriabar in meis vitiis, & in illis reponebam honorem ac vitam meam. Si quando, uti Christianus, cogebar quærere sacra remedia, relinquebam vivas radices, ne unquam deessent mihi initia perditionis, quam miser amabam præ salute animæ meæ.

VII. O.

VII. O divina misericordia, quæ scis hæc omnia, & vides dum pro me pateris, & jam nunc te paras ad me tolerandum, exspectandum & recipiendum; videris desperâsse, quòd ego sim permissurus curari mala mea, & ne condemner, ideo curationem suscipere in te. Absorbeat, ô Domine, animam meam nunc immensum hoc pelagus misericordiæ tuæ. Sed quid agam, quando submersa jam est inordinatis & miseris infelicitatibus? Tu scis, Domine animæ meæ, nulla re magis pulsari Divinas aures tuas, quàm malis meis. Olim similes clamores audiens, igne delebas civitates ac populos, & peccatores detrudebas ad inferos. Jam, Deus animæ meæ, liberas illos; in te recipis pœnas eorum; respicis eos misericorditer, piè remittis eis, juvas amanter, & ita unis te nobis, ut nostram similitudinem assumens virtute tuâ nos liberes. Cur igitur, bone Jesu, te pro me castigato, ego remaneo saucius? O viscera paterna, sanate hunc filium prodigum & infirmum. O vita superna, resuscita hunc mortuum. Tangat me virtus sanguinis hujus, ut omnes creaturæ te glorificent, cùm viderint potentiam & majestatem absconditam in hac tua infirmitate & infantia: intelligant, te in figura peccatoris, posse peccatores mutare in Sanctos; & eos, qui sunt egentiores, in te esse ditiores, sanctiores, inflammatiores in tuo amore. Memineris, Domine, salvare multùm, quia pateris multùm, & amas multùm; dixisti enim, quòd, qui multùm amat, multum ei dimittatur: & quia in te suscipis adeò acerbam pœnam, ut mihi dones dulcem amorem, dona copiosum, ut etiam multum mihi condones. *Oratio peccatoris.*

VIII. Quare, Domine, cum dolore & sanguine ac desiderio mortis accipis nomen Jesu, si surdus es ad meas voces, & clamores mei non movent, quos exprimunt necessitates meæ? priusquam nascereris, jubes ab Angelo præcipi, ut voceris Jesus, quia esses remissurus peccata. Ecce igitur, mi bone Jesu, peccatorem! Si, ut multum pati & remittere possis, octavo statim die incipis pati, ut ad patiendum, quantum desideras, sufficiat tempus; & Jesus vocaris, ut statim possis salvare; incipe in me, ô mi Esu. O Jesu, jam nihil à te petam: tu nôsti meam necessitatem: fac quod vis, mihi sufficit tuum sanctissimum Nomen. Cum Jesu ibo quocunque volueris. Scribam hoc sanctissimum Nomen in oculis *Affectus erga Nomen Jesu.*

meis, in auribus meis, in omnibus sensibus meis, & in corde meo. Fugiet à me infernus, trement dæmones, cognoscar in cælo, & tu etiam, mi bone JESU, cognosces me. Possúmne ego esse peccator, quin tu sis verus meus Salvator? quid est ergo Jesus, nisi Salvator? O Jesu mi, ô mi Jesu, ô Jesu mi! Jesus, quia tu Salvator es; meus, quia ego peccator. Canta, ô peccatrix anima mea, *IESVS meus*: ne verearis ullam creaturam, imò nec ipsum: canta cum amore, dum est infans parvulus, sicut tu; ut plangas postea cum ipso, quando major erit in Cruce. Noli jam dicere de tuis peccatis, ne sis ei molesta; canta solùm id Nomen, quo tantopere delectatur.

IX. O Jesu, Jesu, Jesu! Jesu dulcis, Jesu suavis, Jesu pulcher, Jesu dives, Jesu amorose, Jesu Divine! Amice Jesu, Jesu Pater, Jesu Sodalis, Jesu Rex & mihi omnia! Quiesce Jesu in isto corde, quod te desiderat, & ardet tui amore. Si est cor peccatoris, tu Jesu Salvator es: si est cor humanum, etiam tu Jesu humanus es. Deficit, mi Jesu, lingua & cor in tua præsentia: & quia ego non possum, loquatur amor meus, ô mi suavissime Jesu: vel loquere tu, ut audiam, & te cognoscam, ô mi dulcissime Jesu!

O Mater Jesu, tam dives cum Jesu, dita cum illo inopiam meam. O cælestis Curia Domini Jesu, quæ non habes majus bonum, quàm illum, recipe me in Societatem tuam, ut potiar & gaudeam semper meo Jesu. Amen.

ÆRVMNA VIII.

Persecutio Herodis & Exilium.

I.

CHristus Dominus noster spatio triginta annorum edidit perfectissima virtutum exempla, tacendo interim cælestem suam doctrinam, quam sub finem vitæ, verbo, opere & passione suâ erat mundo propalaturus, ut eo modo veritas Evangelica fieret clarior, & quatenus repugnabat naturæ ac sensui, gratior ac sapidior; doctrina verò carnis & mundi manifestior, & humana tepiditas esset inexcusabilis. Sicut enim errores humani non poterant corrigi, ac revocari in via

viam salutis, nisi homo imitaretur auctorem suum Deum, quem non videbat, ac proinde conveniebat, ut ipse fieret similis hominibus; ita Deus, ut S. Augustinus ait, factus est homo, ut homo haberet hominem, quem videret, ac Deum, quem imitaretur. Et quia ad imitandum plus valent opera, quàm verba, ideo Deus factus homo accepit 30. annos ad operandum, & decimam partem, sive tres annos, ad prædicandum: neque conveniebat officio Salvatoris, ut ulla pars vitæ abiret, quâ illud non exerceret. Propterea ab infantia cœpit facere opus suum, per exempla contraria falsis dictaminibus mundi.

Lib. 7. de Trinit. c. 3.

Christus 30. annis opere, decima vitæ te verbo nos docuit,

II. Communior & ordinarius ferè ingressus errorum in mundum est, quòd, cùm primùm perveniunt homines ad usum rationis, insistant viæ, quam inveniunt magis tritam, ea probando, vel reprobando, quæ pleriq; probant vel damnant. Incipiunt statim accomodare se, & instituere res suas, ad honorem, divitias, quietem, oblectationes corporis, hilaritatem, & ut careant omni molestia sensuum, accommodare se ad placitum potentiorum: & hinc se excusant, quò minùs exerceant virtutem, & vitam contrariam moribus receptis. Inde pro complemento errorum nascitur tepiditas in amore Divino, & oblivio cæli, aliáque vitia, quibus plena est hæc miserabilis vita. Atq; hoc ita inveterata consuetudine, ut non ampliùs sentiatur: quod est initium & fundamentum omnium peccatorum, ac periculorum nostræ salutis: quia licet via ad cælum circumdata sit inimicis ac periculis; nullum tamen majus potest esse periculum, quàm inchoare vitam cum securissima negligentia, quâ homines tractant se ipsos, corpus, mundum & omnia negotia vitæ humanæ; quia sub hæc struuntur doli inimicorum, qui non dormiunt, & priusquam sentiantur, faciunt maxima damna.

homines ab initio vitæ studia mundi sequuntur.

III. Propterea Speculum veritatis æternæ Christus Dominus noster antequam perveniret ad ætatem, quâ homines incipiunt habere usum rationis, qui in ipso jam perfectissimus erat, dedit exempla diversissima à communibus aliorum sub initia suæ vitæ. Nondum bimulus voluit esse extra patriam, sine oblectamentis domûs maternæ, teneræ illi ætati præquam alteri totius vitæ, concessis & opportunis: Sed fecit se deportari in exilium procul à favore cognatorum, Herode priùs eum persequente,

sed Christus ab initio statim contraria.

quàm nosset. Occasionem persecutioni dedit adventus Magorum in Jerusalem, inquirentium Regem nuper natum. Nam ut natus in Bethlehem Christus, ad exhibendam sibi debitam venerationem, ex pauperibus pastores: ita ex opulentis excivit sapientes quosdam, qui creduntur fuisse reges: ac pauperes quidem, velut minùs implicitos rebus terrenis, vocavit expressa voce cælesti per Angelum; sed potentes, utpote minùs apti ad Divina, vocandi erant per ea, quibus erant assueti: cùm enim dediti essent Astrologiæ, misit eis stellam, cujus ductum libentiùs sequerentur. Neque id novum est, ut se Deus accommodet nostro modo, & ex quacunque re in nobis reperta sumat occasionem nos attrahendi ad se, & velut amantissimus Pater, conscius debilitatis, ac miseriarum horum filiorum extorrium, quærendi viam ad nos salvandos. Nisi enim per misericordiam suam uteretur inventionibus hujusmodi, domus ejus vacua maneret à propriis habitatoribus, & nativis hæredibus. Sic apparuit his Astrologis nova stella; (sic enim vocari solent ejusmodi res cælestes, licet stellæ non sint, sed cometæ aut planetæ) multùm tamen ab aliis differens: utpote non cælestis naturæ, sed aëriæ vel igneæ, neque fixa in firmamento, sed in regione aëris; neque ab ortu tendens in occasum, ut aliæ: imò, cùm longè minor esset omnibus aliis, multò tamen major apparebat, quia propinqua visui: talis autem splendoris ac pulchritudinis, ut provocaret ad videndum, quid portenderet. Et adjuvit eos, uti credendum est, Christus ipse, ut agnoscerent natum esse in Judæa Regem, qui Divinos mereatur honores.

Deus accommodat se nobis, & nostris defectibus utitur pro sua gloria.

IV. Ergo positis in via tanquam ignaris Divini consilii, nihil aliud venit in mentem, quàm ut quærerent natum Regem in urbe regia, ubi non dubitabant magnis solennitatibus publicam celebrari lætitiam. Permisit Dominus noster hanc opinionem de se adeò vilem, ut Jerosolymis ac per totam Judæam publicaretur Christi adventus in terram, & sic omnes bonæ mentis tantum bonum inquirerent, desides autem excitarentur à somno sui interitûs. At Magi Jerosolymam ingressi viderunt omnia frigere, nullúmque de nato rege ferri sermonem, cujus ipsi signum in cælo se vidisse

vidisse ajebant, Possidebat tum Judæam Herodes Rex alienigena, sicut Patriarcha Jacob sub adventum Messiæ futurum prædixerat: erántque omnes tam procul ab exspectatione tanti boni, & sic oppressi à tyranno, ut parùm res suas attenderent, sed potiùs omnes turbarentur his novis, cum timore, ne forsan hæc esset nova regni affectatio, & causa seditionis, quâ everteretur publica pax & prosperitas. Major pars hujus perturbationis Regem concussit, ex tam nova & inexspectata interrogatione de nato novo Rege. Nôrat enim ex multo Judæorum usu, illos exspectare Messiam, ac per eum libertatem patriæ, quam ipse exterus tenebat tyrannide, ac proinde timebat, ne hoc principium foret suæ ruinæ, malitia sua persuadente, ut Magis fidem haberet. Nihilominus callidè dissimulavit se his moveri, & Magis humaniter exceptis, consulit sapientes Judæorum, quidnam de hac re perhibeant Scripturæ, ne tam illustres hospites in errorem venirent. Responderunt illi ex prophetia Micheæ, exBethlehem oriturum dominatorem in Israël; sed malitiosè reticuerunt, quod præcipuum erat: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis:* quibus verbis indicabatur, eundem fore Deum, contra quem utique nihil poterat Herodis potentia. sed ne viderentur lætari novis, quibus posset deturbari à regno, adulati sunt ei, reticendo partem divini oraculi.

Dolus Herodis.

Adulatio Scribarum.

Mich. 5. v. 2

V. Constituit Herodes occidere Christum in infantia, & absque strepitu prævertere illa, quæ possent oriri postmodum ab his initiis. Atque ita sub prætextu religionis ac pietatis, clàm locutus est cum Magis, quia non fidebat Judæis, qui studebant apud eum manere in gratia. Sic Deus permittit, ut in vanum abeant studia humana, quæ declinant à recto tramite; nec habeant majores adversarios, quàm eos, quibus utuntur ministris contra justitiam & virtutem. Diligenter exquisivit à Magis, nullum dolum cogitantibus, modum, tempus, & alia, quæ adjuncta fuerant signo novi regis, & causas, cur ad eum quærendum venissent: fingénsque dolere se, quòd non esset tam felix, ut in sua terra videret eum, quem ipsi in regione tam longinqua cognovissent; rogat, ut ocyùs profecti in Bethlehem, revertantur ad se Jerosolymam, certiorem facturi de re; interim se adornaturum omnia, ut cum tota sua aula

aula se conferat ad honorandum tantum Regem, ac serviat ei, & educet eum in suo palatio, sicuti convenit. Profecti sunt Magi in Bethlehem, nihil suspicati insidiarum sub ea simulatione, ne uno quidem ex aula vel urbe regia, saltem curiositatis gratia, ipsos comitante; adeò cæci & incurii erant omnes in re, quæ ipsorum tanti intererat. Digressis ab urbe mox iterum apparuit stella, tantò magis eos exhilarans, quantò minùs votis responderat regia; & eos antecedens usque ad locum, ubi Christus erat, deduxit & stetit.

Magi Christum repertum colunt muneribus.

Audito venientium strepitu sanctissima Virgo infantem accepit in ulnas, conservatura suum thesaurum. Magi verò interiùs illuminati à Verbo Incarnato, cognovere Divina consilia, & in ea domo paupere, & in infantilibus membris agnoscentes Majestatem immensam, adoraverunt Deum suum latentem in ea specie externa, & prostrati in terram obtulerunt sacro Infantulo aurum, Thus & Myrrham. Deus autem, contra cujus consilia nihil potest humana malitia, in somnis mandavit Magis, ne redirent ad Herodem: & ipsi consolatione pleni, delusâ Herodis astutiâ, per aliam viam regressi sunt.

VI. Dum Herodes exspectat reditum Magorum, aut quid iis actum sit, ac distinetur aliis negotiis regni, Deo sic disponente, ut superna sua consilia proveheret, intercesserunt dies satis multi; inter quos Christus pacificè potuit præsentari in Templo, ac deferri in Nazareth: ubi Angelus apparuit Joseph. Herodes autem non dimisit ab animo propositum occidendi Christum proxima occasione, priusquam excresceret in suam ruinam. Ideo Pater æternus, qui videbat cogitationes illius, misit Angelum, qui in somnis diceret Joseph, suæ voluntatis esse, ut cum Matre ac Puero fugiat in Ægyptum, subducens eum insidiis Herodis; maneátque ibi, donec moneatur de reditu: quod contigit mortuo Herode, cùm Nazarethum reversus est, præteritâ Judæâ, quia audierat, fratrem Herodis Archelaum ibi regnare. Habent revelationes factæ in somnis adjunctum cæleste lumen, quod facit certiores de rebus, quàm si oculis cernerentur. Ideo Patriarcha dicebat tam asseveratè: *Verè locus iste sanctus est: verè Dominus est in loco isto.* Hinc & Joseph de revelatione voluntatis divinę nihil dubitans, illico surrexit noctu & abiit.

Christus in Ægyptum defertur.

Gen 28. vers. 16.

VII.

VII. Jam redeundo ad initium hujus historiæ, clarum est quàm citò incipiat Christus subire persecutionem mundi, & eâdem occasione docere verum, ac securum ingressum in vitam humanam, ut certi fiamus de cælo: videlicet ut vitam ordiamur tanquam peregrini, non habentes hic civitatem permanentem, sed ad aliam tendentes, quæ semper durabit. Fundamentum, quod jacimus in hac vita, destruit penitus fundamenta cæli, utpote prorsus illis contrarium. Quia æternitas vitæ cælestis habet suum initium, in moderato usu rerum hujus vitæ, veluti evanidarum & apparentium, per quas cursim transeundum est, anhelando semper ad vitam cælestem: & ruina vitæ mundanæ pro fundamento habet usum rerum transeuntium, quasi forent æternæ, insistendo illis quasi perpetuis cum oblivione & incuria vitæ semper durantis. Unde & Apostolus commendat Patriarchas, quòd demorati sint in terra promissionis, tanquam in aliena, mapalia habitantes: quia exspectabant civitatem habentem fundamenta, cujus artifex & conditor Deus; & confitentes, quia hospites sunt & peregrini super terram, significabant se patriam inquirere; quod Deo sic placuit, ut non dedignatus sit vocari Deus illorum. *Hebr. c. 11.*

VIII. Peregrini paucis content sunt, neque procurant sibi superflua, quibus abundat patria: sed exilium vertere in patriam, semen est omnis peccati, & occupationis radicatæ in terra, dum tuti sunt in oblectationibus superfluis corporis, quibus magnam partem vitæ insumunt, cum gravissimo periculo salutis. Christus, qui more nostro voluit exulare, in ipsa infantia experiri dignatus est omnia incommoda itineris longi, & inopiæ satis magnæ parentum, quæ & adjumenta profectionis adimebat, & in terra aliena cogebat acu & securi quærere sustentationem: qui labores, etsi parentibus ejus dulces erant, ex præsentia talis Filii, non tamen desinebant esse corpori graves ac sensui. *Vt peregrini semper anhelemus ad patriam.*

IX. Christum in prima ætate persequuntur potentes in seculo, & ita quidem, ut cupiant eum tollere de mundo, qui mundo tam necessarius erat. Nempe voluit ipse facere præludium ejus, quod perpessurus erat sub finem, tacendo, sufferendo & permittendo suis inimicis, ut facerent in suam Majestatem, quod vellent; *Christum ab infantia persequuntur Potentes.*

lent; quàm etiam ideo occultabat. Quamvis ergo facilè posset se his annis abscondere in cælo, maluit tamen peregrinationis incommoda subire in terra; maximè cùm suâ præsentiâ sanctificanda esset Ægyptus, tot olim Sanctis abundatura. Ita semper è malis Dominus colligit bona, illa in instrumenta donorum suorum vertendo pro mundo: mundus non fert vitam ipsius, ideo ab infantia quærit eum occidere, nec cessat eum persequi usque ad ultimum, adeò, ut cùm aliquid ab eo Dominus vellet accipere solatii, ipse felle & aceto illum expediat. Talis est mundus, cui servimus, & propter quem interimus. O cæcitas!

Deo serviendum ab infantia. Thren. 3. v. 27. Cantic. 7. v. 13. Psal. 58. v. 10.

X. Clarè probat hic exemplo suo Christus, rectè dictum esse à Propheta, quòd bonum sit homini, si portaverit jugum ab adolescentia sua, quia sufferet omnia tranquillè & cum patientia, quippe à rebus terrenis elevatus in considerationem cælestium. Ideo Sponsa dixit: *Omnia poma, & nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*: & David, *Fortitudinem meam ad te custodiam*: non exspectando, donec per ætatem deficiat. Vera sapientia docet locupletare vitam multis meritis in exercitio virtutum, & laboribus exantlatis amore Dei. Valde autem grave est, ut juventus mala assueta desinat in bonam senectam.

XI. Noluit verò Christus ire in exilium, nisi priùs in templo oblatus fuisset patri æterno, & benedictionem accepisset ab eo; sic & nos debemus cum Christo sistere ad obediendum Patri æterno totósque offerre nos ipsi.

EXERCITIUM
Circa Vocationem Magorum.

I.

Deus est major spe nostra.

ERigam spes meas, ac desideria mea in te, Deus meus, ac Dominus meus, clara lux mea, splendor, & unicum lumen tenebrarum mearum, quia in te habeo, quidquid possum desiderare certúmque & perfectum remedium omnium necessitatum mearum. Non potest spes mea comprehendere immensam multitudinem bonorum, quæ à te possum sperare. Multum sperat, sed hic multum non intelligit: Totum sperat, sed assequi non potest, quia

sit hoc Totum. Sperat res supernas & infinitas, sed longè abest à cognitione immensitatis bonorum tuorum. Major es, DEUS animæ meæ, quàm sit totum hoc Multum: ditior es, quàm Totum, incomprehensibilior quàm Infinitum; quando me extendo ad multum cogitandum de te, reperio te sine comparatione majorem, quàm sit tota magnitudo, multitudo, & immensitas, quam de te imaginor. Ergo, Thesaure mi superne & infinite, nolo scire, quantus sis, quia non possum: audeo tamen desiderare ac sperare hanc abyssum æternorum bonorum, & magnitudinum incomprehensibilium! Satis est mihi, Domine, credere, quòd quantuscunque sis, meus sis & ego sim creatura & servus istius Majestatis & Magnitudinis. O si absorbeatur hoc nihilum quod ego sum, in hac abysso tuæ infinitæ Essentiæ! O si hæc cæcitas mea submergatur in hoc splendore infinitæ lucis tuæ! O si mea ignorantia suffocetur in hoc pelago æternæ sapientiæ tuæ! Mors mea in hac vita vitali, tepiditas mea in sempiterno incendio amoris, & quidquid ego sum, & non sum, in hoc toto, quodtu es, ô DEUS meus, & omne Bonum meum! in te finem habebunt meæ miseriæ, lucem meæ tenebræ, emendationem infelices imperfectiones & culpæ. In te mundabor, sanabor, instruar, ducar, ut possim comparere coram te.

II, Facile erat, mi Domine, venire ad te, nisi me culpæ meæ separâssent à te. Sed ego ex una parte me retraxi, & tu ex altera, tam es immensus, tam purus & sanctus, tam sublimis, ac tam divinus, ut, nisi tu me asportes, non possim venire ad te: sicut ipse dixisti: Neminem posse venire ad te, nisi Pater tuus traxerit eum. Quomodo ergo te potero videre in tenebris meis sine lumine tuo? Quomodo poterit te amare tepiditas mea, sine igne amoris tui? quomodo possum ex profunditate mea venire ad te, nisi magnitudo tua me sublevet? & nihilum quid poterit sine eo, qui fontem habet omnis Esse? Trahe me, Domine ad te, quandoquidem ideo in terram venisti. Vidisti me errare, & venisti me reducere in bonam viam. Vidisti me perire, & venisti me salvare. Vidisti me fugere, & venisti me trahere: vidisti me non posse venire ad te sine te, & descendisti me quærere. O mi Salvator, ô mi bone Pastor, ô mi sapientissime Gubernator, ô mi Reparator dilectissime!

Dei est nos ad se perducere.

Ego sum ille egenus, ille improbus, ille destitutus omni bono, ille languidus ad omnia, ille totus convulneratus peccatis, ille vinctus omni malorum genere, & super hæc omnia non agnosco meum statum miserabilem, nec sentio meam necessitatem, & incedo in vanitatibus ac mendaciis, sempérque in meo luto volutor. Et tu, DEUS meus, totus occupatus in me, totus incensus amore hujus animæ peccatricis: omnes cogitationes tuæ versantur in quærendis inventionibus me vocandi, illuminandi, ac trahendi ad te. Vix natus in mundum vocâsti pauperes Pastores, & misisti stellam Magis in Orientem. Noluisti vel uno puncto temporis esse in terra sine me, ut caperes me supersubstantiali tua pulchritudine, ut me ditares bonis supernis, ut teneres me semper in tua societate, vita, divitiis, & gloria infinita; ut non quiescas, donec me habeas tecum.

DEVS gratiâ suâ nos prævenit.

III. Non exspectas, ut ego prior te amen, desiderem, & quæram: non exspectas, ut ego prior tibi serviam, & aliquid apud te merear; neque curas quidquam invenire in me, sed quia scis nihil te inventurum boni, quod à me proveniat, ex te suppeditas omnia, me excitando ad consentiendum & cooperandum bono, ad quod mihi præbes auxilia potentissima. Me amas ex gratia, ac trahis sine violentia: petis hoc tantùm, ut te recipiam, ac sinam me duci ad te. O si hæc surditas mea te audiat! ô si in amando saltem sim secundus, posteaquam primus non sum! ô si me sinam trahi, posteaquam re-apse non quæro! si te sinerem agere, si annuerem ea, quæ petis à me, quàm tu faceres me conformem desiderio tuo, ac talem, in quo delectari possent purissimi oculi tui! Tu, lux divina, per materialem lucidúmque cometam movisti animos Magorum, ac divino lumine tuo docuisti eos intus te quærere: sed præsentiâ tuâ, quantumvis amictâ tenuibus membris, vilibus pannis involutâ, in paupere domo, docuisti eos omnia, ut sic te agnoscerent & adorarent, ut DEUM ac Dominum suum. Ibi deposuerunt humiles cogitationes de rebus, ibi erexerunt sua desideria, ibi totum amorem suum transtulerunt in te, ibi subjecerunt spiritum & libertatem suam tuæ legi & obsequio, ibi te apprehenderunt pro cælesti suo thesauro, & tu cœpisti in illis

illis tanquam in primitiis, possessionem omnium animarum, quas veneras quærere in terra. Tu, mi Domine, vocâsti eos, tu duxisti, tu docuisti eos tua arcana, tu implesti omnia desideria; exhilarâsti spiritum, tranquillâsti corda eorum.

IV. O Utinam possem gratus tibi esse, Deus meus, pro favoribus: quos exhibes nobis, quando minimè promeremur, aut cogitamus! quoties fit, ut per stellam bonæ inspirationis voces animam, ipsáque tacta unâ scintillâ tui amoris accedat ad te? Jam te invenit, jam te amittit: aliquando te tenet, aliquando coram ipsa dispares: jam videtur tibi placere, jam repellis eam à te, & in hac varietate jam hanc, jam aliam viam ingreditur, cogitans se tandem perventuram ad tui conspectum: & sicuti parum scit, ambulat in obscuro, ac frustratur, quia nescit ambulare; te desiderat, & nescit desiderare; amat, & nescit amare, nec verâ viam invenire. Et sic desperat de se ipsa, & non cessat sperare in te: quia, quamvis velit, nescit tamen id exequi. O mi Deus oculi tui vident istam confusionem, & tu dissimulas usque ad illam felicem horam, quâ anima fessa sibi prorsus diffidat: tunc aperis ei oculos, ut videat viam veræ pacis ac vitæ. Ibi te videt sibi proximum; videt, quàm fuisset facile pervenire ad te. Videt, nescio quo modo, sine dubitatione, se vocari à te; doces eam subitò sine voce: & illa corpus, quamvis adhuc sibi sociatum, relinquit post se. Nescit anima se moveri, & semper procedit, & accedit ad te; habet te secum & quærit, & quantò magis quærit, tantò minùs te invenit. Si jubeas eam ingredi, paret; & si jubeas egredi, non discedit à te. Videt, nec ipsa scit quid; audit & nescit quid: solùm hoc scit, quis sit ille, quem audit. Et quia ille, quem videt non est res corporea: ille, quem audit, loquitur sine voce, amat, & amat, & semper amat magis magísque: & cùm videat, audiátque tanquam peregrina à cælo, non potest dici verbis humanis id, quod amor, à te solet accipere etiam in hoc exilio. O mi Iesu, ô pusio animæ meæ, Rex meus, ac Deus meus, qualis est illa hora, qualis lux illa, qualis communicatio bonorum est illa? quale sit hoc donum tu scis, & scit etiam creatura tua, quæ accipit: sique esset fidelis nec recederet à tua consuetudine, conservans donum, quod accepit, re-

Vocatio Dei est sicut stella.

nunciando aliis omnibus, quæ hoc non sunt, esset felicissima; quantumvis tamen multum id sit, quod accipit in illa hora, non plus habet, quàm exiguam stillam infiniti maris bonorum, quæ olim daturus es illi.

Homo miser sine Deo.

V. O Anima animæ meæ, quid habet anima, quid boni habet, si tecum non sit? O vita vitæ meæ, quid est vita? quomodo vivit, si tecum non vivat? potéstne cor meum habere te totum in toto, te solum in te solo, ac te solo gaudere? potéstne dilatari & extendi in te, quantum vult, & tamen plenum esse miseriarum extra te? potéstne creatura tua oblivisci suæ vilititatis, & requiescere in brachiis tuis & tamen à te discedere? Excavat terram, ut talpa; fodit, ut vermis, & in telis aranearum occupatur, quisquis procùl bonis, quæ tu animabus piis largiris, suas cogitationes habet ac sensus. O Amor Divine, qui potes ac desideras hæc dare omnibus, ideóque tot genera escarum ex te facis, quis tecum agit, quem non totum inflammes? & quis impedit, ne agas: quod cupis? quis disturbat hoc, quod moliris tanto conatu? Imple, Domine, omnia stellis, si debeamus ab his perduci ad te: inunda omnia exercitu Angelorum, si debeamus ab ipsis deduci ad te. Mi bone Iesu, ego desipio, nec scio quid loquar. Nascere tu; in his terrenis cordibus, & appare his cæcis spiritibus; ostende pulchritudinem tuam his animabus errantibus? solve ignem tui amoris, ut spargatur per omnes, & sic eas perducas ad te. Quid mihi prodest libertas arbitrii, si ita malè id occupem, ut te per ipsum non quæram? Nescio loqui, Deus meus; loquâtur Amor tuus, & cum eo loquatur mea necessitas, & misericordia tua. Interveniat Gratia tua, & Bonitas tua, intelligamus nos mutuò, consentiamus & faciamus fœdus perpetuum. Vive tu semper in me, & vivam ego semper in te, propter te, & in tuo servitio.

Dolor de lapsu aterna.

VI. O infelix anima peccatrix, quæ semel recipit lucem, ac postea redit in suas tenebras; recipit ignem amoris, ac postea redit ad frigus; accipit veniam, ac postea ad peccata revertitur; fuit elevata ad interiora tuæ suavitatis, & opulentiæ; capta tuâ pulchritudine, redit ad oblivionem, & exit inde, quò intraverat; sicut animal immundum revertitur ad volutabrum luti, & ut canis

nis ad vomitum ! Deplorabo coram te, Deus meus ruinam hanc infelicem ac miserabilem: amplectar sanctos pedes tuos, ac debilitatem, quam in te suscepisti pro meo remedio. Meritò me tradis inimicis meis, vitiis & pravis inclinationibus meis, & justè permittis me flagellari & confundi ab eis, posteaquam admissus in cellaria tuæ dulcedinis, redivi ad bibendum aquas turbidas, ac plenas veneno: & quia nolui manere in domo tua, meritò mendicabundus domos alienas oberro, in quibus nihil boni sum reperturus, & quia refugi suaves tuos amplexus, meritò nunc jaceo sub pedibus pravorum meorum affectuum, & vilitatum: quia infidelis in servando, quod mihi dedisti, jure mihi jam negas, quod peto: clamo, & non audis me: voco te, & non respondes. Nihilominus, Domine, cum hac tota perfidia mea, manes fidelis amicus meus, & amans Pastor hujus ovis errantis. Nondum misisti me ad inferos, nondum tradidisti in manus dæmonum, nondum condemnasti me, ut semper sim separatus à te, neque me deseruisti omnino; pro quo tibi infinitas gratias ago. Non supplico jam pro gratiis paternis, quas exhibes servis tuis fidelibus. Id oro, Domine, ne è domo tua ejicias me: recipe me in societatem tuorum: da mihi lacrimas, quæ sint mihi pro pane diu noctúque, donec invenias in me puritatem, quam petis, & ego denuo revertar ad videndam faciem tuam, ac pulchritudinem tuam, & tu amanter dicas animæ meæ: *Salus tua ego sum*, fortitudo tua & constantia tua: quia humiliata sibíque diffidens denuo quæret te, & tu glorificaberis lucro hominis perditi, illuminatione voluntariè cæci, & recuperatione ejus, qui merebatur expelli.

VII. Ego verò qualis qualis sum, prosterno me coram Divina tua Majestate, abscondita in hac infantia, & una cum sanctis istis Regibus tibi trado in servum perpetuum, ut una cum eis me recipias. Ego, Domine, pauper sum; nec aurum, nec thus, nec myrrham habeo, quam offeram tibi, tanquam Deo Homini, & Mortali, qualis amore mei es: sed quidquid mihi dedisti & quidquid tu es, offero tibi. Offero tibi pro peccatis meis dolorem de ipsis, quia cupio te non amplius offendere, & plurimum doleo, quòd te offenderim. Offero confessionem cordis & oris mei, sentiens, *Oblatio sui.*

tiens, me ictum à viperis peccatorum meorum, quæ commisi; quia me separavi à te, verâ Salute animæ meæ. Offero voluntatem tibi satisfaciendi, vel ut tu de me satisfacias tibi, ut subjectus tuæ divinæ voluntati tibi possim placere. Offero tibi tres facultates animæ meæ, quas mihi dedisti: intellectum meum, ut illumines eum cognitione tui, ac purissima veritate tua: Memoriam, ut impleas eam te ipso, & purges ab omni cogitatione & imaginatione aliena à te. Voluntatem, ut eam tuo amore purifices, egóque totâ illâ te amem. Offero tibi tres virtutes, quas in baptismo mihi dedisti: Fidem, quâ me dilato ad omnia bona, quæ possum desiderare à te, credo & adoro pro unico DEO meo, Domino, Creatore, Redemptore ac Bono meo: Spem, quâ me dilato ad omnia bona, quæ possum desiderare à te: Charitatem, quâ desidero tecum uniri amore perpetuo. Offero tibi, bone JESU, quidquid tibi gratum est, & quidquid tu es propter me. Sanctissimum Corpus, purissimam animam tuam, ac Deitatem tuam, in qua sunt omnia bona & omnis sapientia. Offero me Patri tuo per pretiosum sanguinem tuum: Tibi per viscera misericordiæ & amorem, quo te Pater misit in terram. Offero me etiam Spiritui sancto, quia est amor infinitus, qui ardet semper in te, & in Patre æterno. Rogo te, Domine, ut sicut accepisti munera Magorum unà cum cordibus eorum, & illuminasti eos tui cognitione, & fecisti ne redirent ad Herodem, inimicum tuum; ita me illumines, ô Lux divina; ac dirigas me. Veritas suprema; & resuscites me, Vita mea! Separa me ab omni eo, quod displicet tibi: non ducas extra domum tuam: non propellas me à divinis tuis pedibus. Hîc, hîc, hîc, ô bone JESU, est totum bonum meum: hîc in pace, & in temetipso dormiam, & requiescam.

VIII. O Mater Virginea, ô Virgo perpetua, Mater sanctissima, plena his divinis thesauris, qui sunt recluſi in hoc Domino, ac Patrona eorum; fac, oro, participem istum pauperculum, non dico auri, thuris, & myrrhæ, sed opum cælestium, quarum es Thesauraria; ut habeam tuo munere, quod offeram huic Domino, & quod ei sit gratum, ut & me recipiat, & capiat suo amore. O curia cælestis, quæ adstas & semper adoras hunc Regem supremum

mum, eique semper places; quid potes unquam petere, quod negetur, posteaquam vides clarè ipsum id velle dare, suis miseris exulibus? Impetrate mihi à sua divina Majestate, ne differat miserationes suas, & me trahat ad se, ut in vestra Societate ipsi assistam, Amen.

Oblatio Christi in Templo inter brachia Simeonis.

I.

QVadragesimo die à partu Virgineo, voluit Christus, ut sua sanctissima mater duas Leges impleret: quibus non tenebatur: una, ne intraret in Templum, nisi diebus illis peractis, quibus mulier, quæ peperisset masculum, habebatur immunda, & offerret pro sui purificatione Agnum ac Turturem, si dives esset; vel si pauper duos Turtures aut Columbas. Sed Lex ipsa Mosaica eam absolvebat, cùm expresè loqueretur de his, quæ genuissent operâ viri. Virgo autem conceperat de Spiritu sancto, sed ut vera Imitatrix Filii DEI, ac Domini sui, gloriosius putavit ei similem esse in humilitate, quàm credi Virginem, quod mundo erat ignotum: posteaquam suis oculis vidit ejus Majestatem divinam in omnibus ita humiliatum, ut haberet similitudinem peccatoris sine peccato: pluris enim fecit ejus esse ancillam & imitatricem, quàm Matrem. Altera Lex erat, ut omnis masculus primogenitus post 40. dies offerretur ac dedicaretur servitio DEI in Templo; ac si de tribu Levi, quæ erat Sacerdotalis, fuisset, semper in Templo serviret: à quo liberabatur, si esset ex alia tribu, redemptus certâ monetâ argenteâ. Sed & hac lege Christus non tenebatur, quia erat natus è Virgine, de quali partu lex lata non erat.

Præsentatio Christi.

B. Virginis humilitas.

II. Oblatio ista facta est, velut à pauperibus: licet enim Reges Virgini reliquerint aurum, thus, & myrrham; tamen omnia mox distribuit in pauperes, ne discederet à sancta paupertate, quam Filius DEI volebat sequi, ac docere in terra. Et si fortè Mater DEI adhuc aliquid habuit ex illis muneribus, quo Agnum posset emere, & integrè satisfaceret Legi, dedit tamen Agnum

& amor paupertatis.

Dei pro peccatis mundi, quo solo dives erat: ac pro se obtulit par turturum, vel duos pullos columbarum, Agnellum verò suum redemit ære præscripto pauperibus, quo reciperet Redemptorem ac Salvatorem mundi. Et hic licet observare sanctum certamen inter Matrem & Filium, de humilitate ac paupertate, dum utérque studet haberi, qualis non erat. Quod totum oriebatur ex amore, à quo nascebantur Iesu omnes ærumnæ.

Simeon justus, non Sacerdos.

III. S. Simeon non fuerat Sacerdos; quia Evangelium tantùm vocat eum hominem justum, timentem Deum, & avidè desiderantem redemptionem mundi. Gravabant eum anni, at sustentabat spes promissionis à Spiritu sancto sibi factæ, quòd non esset moriturus, antequam vidisset Filium Dei factum hominem. Et eo ipso die, quo Mater Dei erat ventura in Templum, ascendit eôdem, ut præstolaretur. Exspectabat avidè, oculis ad portam intentis cum suspirio attendens, quis intraret. Sed Spiritus ei dicebat, non esse ullam eorum, quos videret, donec Virgo & Joseph accesserunt cum infante, sine alia pompa, & apparatu, quàm strictissimæ paupertatis ac simplicitatis purissimæ: sed qui ignotus erat aliis omnibus, non potuit abscondi oculis ardentibus amore divino. Ut primum sanctus hic Senex vidit Virginem, statim illum agnovit; & renovatus ut aquila in ardore solis divini, qui totum inflammabat, & refrigerabat aquis divinis è pectore suo æterno scaturientibus, despolians eum terrenis & antiquis plumis, accepit infantem divinum in ulnas, à quo regebatur interius; ac cœpit vetulus cygnus, hactenus raucus, præ desideriis alta voce cantare sibimet dulcem lessum, quo suaviter finiebat hoc ærumnosum exilium, quòd suis oculis vidisset Lucem mundi, & supernam salutem, ad quam anhelabat.

EXERCITIUM
De Oblatione Christi & Simeone.

I.

Oratio pro humilitate.

O Speculum veritatis æternæ, Bonitatis divinæ, Sapientiæ incomprehensibilis, Fili Dei vivi, Jesu Magister & Redemptor meus, aperi oculos meos, ut cum S. Simeone te quæram, te viedam, cogno-

cognoscam tua divina consilia, & vias, quas tenes: & sicut ille, te inveniam, te complectar & in te quiescam. Et quia tantopere tibi placet humilitas, humilia meam superbiam, & tolle à me amorem mundi, & quia pro te elegisti paupertatem, perfectè me subijce tuæ obedientiæ, quando tam accuratè servas leges, quibus non obligaris. Non multùm confidis meæ debilitari & tepori, & ideo parum exigis à me: sed divinus & immensus amor tuus in nulla re te eximit, etiamsi tuæ magnitudini ac potentiæ videatur contraria. Doce me, Domine, legem hujus amoris. Non cedit amor timori pœnarum, sed si purus ac verus est, te invenit, Deus meus, tantum ac tam dignum omni obsequio, ut omnia velit in eo consumere. Nam leges, & obligationes omnes ei videntur exiguæ: quia amor obligat ad omnia, pro levibus habendo hujus mundi maxima quæque, præ magnitudine divina, quam diligit Cùm tuus amor me fecerit humilem, potero, ô Contemptor omnium, amator vilium, æstimator contemptus proprii, me totum dedere tuo servitio, & corpore crucifixo cum anima, subijcere me quantus sum tuis pedibus & obedientiæ. Mater tua sanctissima te solo prædives est: sancto Joseph, tibi serviendo, cum sua paupertate bene est; ac Simeon senex tantùm ad tui conspectum anhelat: cúmque hæc omnia credam, quæ hi contestantur, nescio quomodo sic extra viam oberrem, sejunctus à te.

II. Sed quomodo possum videre me, divina lux, si tu me non illumines, ut me cognoscam & horream; O Deus animæ meæ, si tu vis infantes, antequam habeant usum rationis, & quidquam intelligant, offerri tibi, ut cùm ratione utentur, cognoscant se tuos jam esse; quomodo volo ego, ut feras, me, ratione & cognitione tui jam præditum, tuum non esse, nec tibi servire; muta hoc, Domine, per misericordiam tuam: amas me tu, ut me sanes; horream ego me, ut saner. Doce me sentire ac dolere, quòd amiserim tot annos infantiæ, quibus te non cognovi, neque dilexi: licet enim tunc te non offenderim, tu me tamen amabas, & ego non reddebam vicem amoris. Multò magis autem, pie Domine, doce me plangere primitias intellectûs mei & voluntatis, quas tibi non dedi, nec fui memor, ut tibi servirem: multa quoque peccata, *Deploratio annorum peditorũ.*

quæ commisi; perversas inclinationes, quas fui secutus, cùm veni ad ætatem, quâ potui te offendere usque ad hanc horam, quâ ego miserabilis peccator me invenio ante purissimos oculos tuos. Quid ô bone Jesu, si meminero totius vitæ meæ præteritæ, mensium & annorum, quos in peccatis gravibus transegi sine te, Vita, cordis mei? Clamabam hîc coram te, ut me audias: vocabo te donec respondeas: plangam donec me recipias. Ego te sequar, ô bone Jesu, adjungam tibi me proximè, tecúmque Patri æterno me offeram, ut me videns tecum non me despiciat. Et si agni, quos offerebant in sacrificium, non revertebantur ad matres, ego non sic faciam; sed offeram te, divine agnelle, pro me, tecúmque immolabor, vel tecum revertar: non amlpiùs recedam à te,

Offertur DEO Patri Filius.

III. O Pater misericordiarũ, ac Deus totius cõsolationis hîc offero tibi Unigenitum. Respice illum, Domine oculis misericordiæ, ut mihi per ipsum ignoscas, ac me recipias in gratiam. Vide illum hîc factum pro me infantem, agnellum mitem & humilem pro me. Et quamvis taceat, cor ejus, Domine, loqitur pro me. Ille se hîc sistit pro omnibus peccatoribus, ut nullus excludatur ab hoc remedio: ille tibi exhibet obedientiam pro omnibus. Ille pro omnibus implet legem, se offert pro omnibus. Purissima ejus mater est, quæ illum præsentat pro me. Aspice, Domine, hæc duo corda purissima, sanctissima & acceptissima tibi. Cùm igitur nôris ignem, quo ardent; remedium peccatorum, quod flagitant; divitias, quæ inde nobis proveniunt, tu ipse suppedites; quomodo ergo, Domine mi, possibile erit, ut despicias amorosas voces horum inflammatorum spirituum, qui pro nobis à te petunt misericordiam? simul cum ipsis tibi, Domine, offero meam paupertatem, meas miserias, tempora, vitam cum suis ærumnis & solatiis, Corpus cum omnibus sensibus, Animam cum suis facultatibus, Mortem, & quidquid invenitur in me boni aut mali, bonum, ut crescat, dum tua res erit; malum, ut deficiat, te illud curante. Et sicut Christus noluit progredi in suo servitio, nisi præstita priùs tibi solenniter obedientia, & accepta tua benedictione paterna; ita ego, qui nec volo, nec valeo quidquã, peto humillimè hanc benedictionem, & hanc gratiam paternam, & ab hac die in perpetuum subdo me obedientiæ tuæ. Da mihi, Domine, spiri-

spiritum, qui docuit sacratissimam Virginem tuam sanctam voluntatem, & qui senem Simeonem duxit in Templum, ac fecit, ut cognosceret suum Salvatorem. Crea in me cor mundum, & spiritum novum, qui me ducat ad te, & renova eum quotidie in visceribus meis: licet enim exigua sint merita mea ad tantam gratiam, magna tamen & immensa hujus Agni divini merita eam merentur: Per ea me recipe in tuum, ut des mihi gratiam, & in ea me perficias cum perseverantia.

Soli amantes noverunt IESVM.

IV. Quæ dissimulatio & simplicitas est ea, quâ compares Jerosolymis, & in templo? quomodo non omnes creaturæ te agnoscunt, & obviam procedunt cum festo & lætitia? David canit, quòd mare & Jordanis fugerit à populo tuo, cùm educeres eum ex Ægypto; & quòd montes & colles exultârint præ lætitia, & petræ conversæ sint in fontes aquarum, quia sentiebant te, Domine, incedere in societate illorum; omnésque creaturæ festa celebrabant, cùm aliud non transiret, quàm virga, quâ Moyses tuo mandato tanta fecerat miracula, & Arca testamenti, cum qua transibant Jordanem: quæ omnia erant figura veritatis reclusæ in te. Et tu, Domine, jam transis per medium populum tuum, & nemo te novit, præter justum Simeonem, & sanctam Annam Prophetissam. Infinitas tibi gratias ago, Deus meus, pro hoc privilegio, quod pauperibus facis, ac te amantibus. Cùm disputares in templo inter Doctores, & superbos, faceréque divina miracula palàm in tota Judæa, non es agnitus. Hîc dum es infans sine verbo, pauper, & egens auxilio Matris, non potes latere illos, qui te amant. Ut te videant, libenter sufferunt exilium suum; hæc vita videtur eis tolerabilis, donec te conspiciant & in tui conspectu desiderant eam finire.

Desiderii videndi IESVM.

V. O mea salus, divitiæ meæ maximæ, Vita, per quam vivo sine qua morior; quare te non vident oculi mei? ubi lates, Bonum meum, & Salus animæ meæ? Si adhuc durat ea sententia, non posse vivere hominem, ac te videre; concede mihi paciscí cum morte, ut perimat me, modò te videam. Ah appare huic meo pauperi cordi, ut te videam, quantum in hac vita interiùs potes videri. Sentiat te anima mea, & in tua præsentia mutentur omnes

mei sensus interni, ut capti à te, abhorreant ab omni eo, quod tu non es. Suspirat ad te, Deus meus, anima mea. O quàm bene est mihi, cùm te desidero, cùm tibi placeo, te amo, tibi satisfacio, cùm omnia nauseo præ desiderio te videndi! Agnosco te qualiscunque mihi appareas: si infans, te magnum invenio; si pauper, te sentio divitem; si confixus, reperio, te suavem. Sed quando per meam infelicitatem recedit cor meum à tui amore, non amplius te cognosco, neque in operibus, quæ facis, neque in magnitudine tuæ Majestatis: Uni me tecum, Deus meus, fac ut reflectam oculos à vanitate, ac solam tuam veritatem cognoscam. Ostende huic meo cordi proscripto, quòd sis mea salus, & omne bonum meum. Concede mihi, ut in te solo mihi bene complaceam, qui es verus amicus & gloria animæ meæ. Adime mihi gustum rerum terrenarum, vel da mihi, ut cognoscam quis ego sim, ne excæcer ac deludar falsis bonis, & miseriis meis; sed ad te, summum, cæleste, ac perpetuum bonum meum semper aspirent viscera mea. Veni jam, Domine mi, noli differre tuum adventum; quia cum eo venient omnia bona, quæ desidero. Veni, ô bone Iesu, ad hanc animam peccatricem; libera eam à vinculis, quibus tenetur; mitte illam in libertatem spiritûs, ut liberè propter te renunciet omnibus; te sequatur, te amplectatur, te possideat, tibi cantet cum hoc sancto sene cupiditatem suam ardentem, ac magnum desiderium, quo tenetur, æternùm in te quiescendi. Amen

Explicatio Cantici Simeonis.

I.

Nunc dimitis servum tuum, Domine,
secundùm verbum tuum in pace.

Tristis vita sine IESV.

PRocul à te, bone Jesu, duco vitam meam, etsi te amo; semper in pœna sum, quia te non video. Dum hoc mihi differs, omnia terrena desipiunt; quia sunt falsa & apparentia bona: habent nihilominus tempus suum, ac tamdiu à verò bono meo me distinent. Gaudet corpus suis voluptatibus, sensus petunt suas recreationes, gloriatur mundus in suis vanitatibus, & unusquisque, ut videtur contentus, mihi dicit. se jam habere, quod desiderat. Sed

anima

anima mea, cui solus tu sufficis, & quæ alia omnia habet pro ludibrio cum magno dolore suspirat ad te; & dum differtur hoc bonum, vivit in perpetuo mœrore, donec tu verum bonum ejus advenias, eámque exhilares. Libera me, Domine ab his laqueis: non me videam ita constrictum & in angustia. Ingredere, Domine, si es tu ipse; si te ego non video, tu me vides, & tu ades. Hoc est tempus meum, hæc hora mea jucunda. Adoro te, Salvator mi, felicitas mea; adoro te, vita animæ meæ: audisti vocem ejus, qui te desiderat ac diligit. Et quia pax venit, cur diutiùs vivo in periculo eam perdendi? non amplius cupio vivere. nec esse in mundo. Jam teneo pignus cæli: tempus est solvendi hæc vincula, & in pace emittendi me de carcere corporis.

Quia viderunt oculi mei Salutare tuum.

II. Quia illuminatis oculis animæ meæ divina salute, & suavi sua potentia, tota flagrans amore tui, jam non habet ultrà, quod desideret; tantùm cupit te clarè videre, & amare securè extra carcerem carnis. Quia hîc, ô Salus mea, proscriptus & captivus in corpore terreno, & hac miseria, dum te clarè non videt spiritus meus, & tamen agnoscit suo modo; te solum esse, meam supersubstantialem salutem, captúsque tua pulchritudine, fastidit alia omnia: quid ergo potest amplius desiderare, quàm ut videat eum, à quo sanatur, à quo rapitur, stringitur & inflammatur? Tu non alia causa venisti in terram, quàm ut animas amore tuo corripias. *IESV præsente spernunt alia.*

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

III. Ideo te Pater æternus dedit hominibus, ut justi & peccatores Judæi & Gentiles, & omnes absque discrimine te habeant semper in oculis, Magistrum suum, Lucem suam, Gloriam suam, Thesaurum, & quidquid unquam possunt optare. Et quia oculis humanis non poteras conspici, factus es homo, ut semper nostro modo habeamus ob oculos in conversatione nostra eum, quem amor noster desiderat, & ad quem anima inflammata suspirat. *IESVS versetur semper ob oculos.*

Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

IV. A te, Domine, diffugiunt tenebræ, ac deteguntur nostri errores. Tuo splendore spiritui nostro revelas tuam pulchritudinem, *ut dispellat omnes tenebras.*

tudinem, & & eâ nos capis. In te populus Isrăelis accipit gloriosa promissa, ac tecum habet coronam gloriæ suæ. Sed omnes animæ cum divina luce tua, quæ ipsis te præsente refulget, evadunt insignes, opulentæ, ac plenæ tui, tuorúmque bonorum. Illumina me, Lux mea: sana me, Salus mea: exalta me, gloria mea: bea me, Felicitas mea. Videat te semper mea fides, amplectatur te amor meus, desideret te spes mea, possideat te, ut potest, anima mea, usque dum abeam ad te clarè videndum in illa vita immortali, in illa unione inseparabili, in æterna illa requie cælesti.

V. O Mater Salutis ac Lucis divinæ, per illum amorem, quo obtulisti hunc Dominum Patri æterno pro toto mundo, & te simul ad serviendum ei semper; offer & me suæ divinæ Majestati, ut maneam semper in domo ejus, occuper semper in servitio ejus, ac, dum vivo in hoc exilio, ardeat semper in me amor ejus.

O curia superna, jam accepta in mansiones æternas, & secura de illis; qui clarè videtis, & securè possidetis eum, quem desideraftis, priusquam essetis in gloria; ne sitis proprietarii verorum bonorum, rapite illuc cor meum, donec veniat hora, quâ dissipentur nebulæ hujus miserabilis vitæ, & liber ab eis associer vobis, & vobiscum laudem hunc Dominum, & gaudeam charo ejus aspectu in æternum.

EXERCITIUM
Circa Fugam Domini in Ægyptum.

I.

Admiratio cur fugiat IESVS.

QVem fugis, Domine mundi? quem, Filî Dei vivi? quò fugis, qui es verus locus refugii, in quo tuti sunt omnes rei, qui ad te confugiunt? Fugit te mors, quia es vita æterna, in qua illa finitur: Fugit te tyrannus, quia es verus Judex, à quo ille condemnatur: Fugiunt te peccata & malitia, quia tu illa confundis: Fugit te cæcitas inimicorum tuorum, quia tu es lux divina, quæ illos manifestat: Fugit te omnis afflictio & ærumna, quia tu es verus consolator afflictorum, & corroborator debilium: Ipsa fuga te fugit, quia tu es Deus æternæ Majestatis, qui es in omni loco, & nihil potes timere. Quòd si convenit te fugere, Deus

animæ meæ, veni ad me; abscondere in corde meo; quia cùm quærant infantem occidere, videndo me tam inveteratum peccatorem, non credent, te esse in corde tam vili; & tunc, mi bone Jesu, mihi dabis veniam, renovabis me tuâ præsentiâ, ac ditabis bonis spiritualibus, & tuo divino amore.

II. O me miserum, si talis sum ante oculos tuos, ut videns in me tanta peccata, malis fugere in Ægyptum, quàm in corde meo abscondi! Vis priùs impetrare mihi misericordiam tuis ærumnis: vis priùs ire in exilium, ut obtineas remedium omnibus meis miseriis. Duc me tecum, Domine; sim tibi comes, ac discam à te veritatem, quam doces; & sic me præparabis, ut etiam associer tibi in gloria. Tu es Dominus totius mundi, & non vis in eo degere, nisi ut peregrinus: non vis in tuo habere certam patriam, nec ostendere, quòd placeat tibi propria & constans habitatio in terra, quæ est opus manuum tuarum. Esné tu fortè, Deus meus, proscriptus à beatitudine? Si anima tua beata est, ac semper videt tuam divinitatem, quid mali in terra potest inferri tuo corpori & humanitati, quia tractas eam, quasi peregrinam? mihi convenit gerere me pro peregrino, qui sum proscriptus à cælo: me decet non esse stabilem uspiam, quia nusquam te video; & necesse habeo vivere sine affectu ad ullam rem terrenam, ne perdam ea, quæ mihi promittis in cælo, sed tibi, Deus meus, qui præsentiâ tuâ sanctificas omnia, res nulla potest nocere; non potes discedere à te ipso, neque ullo loco peregrinari, qui tuus non sit: & nihilominus abis peregrè adhuc in tenera ætate, nec vis quidquam de mundo, nisi per transitum, & velut in fuga. *Docet nos vivere, ut peregrinos.*

III. Aperi, Deus meus, viscera misericordiæ tuæ: sparge thesauros tuæ pietatis, ut sufferas & condones malæ vitæ meæ errores; quia licet claræ sint mihi ejus continuæ mutationes, nihilominus ego rebus ejus insisto, quasi non essent mutabiles. In me ipso experior, quòd extra te non inveniam ullam requiem: quia, ut me creasti propter te, ita non possum quietem invenire in alio. Versantur ob oculos meos mutationes, & revolutiones mundi, ubi susque déque velut in viva rota feruntur omnia sine quiete, nec aliquid certius ista veritate vidi oculis meis, ex quo sum natus. *In solo Deo quies.*

In te, Deus animæ meæ, video, quòd nolis aliquem locum in mundo constantem ac fixum: tuo exemplo disco, quòd nolis me ullâ re, etiam divinâ, quam in hac vita largiris, uti, nisi ut instrumento, quantumvis vera, certa ac tuta sit; & ut medio ad alia meliora ac beatiora, ut vel ea ipsa mutes meliore modo in cælo, vel alia substantia magis perfecta & immutabili. Et cum tanta institutione, cum tot experientiis, degit meum cor cæcum & miserabile in tanta oblivione rerum æternarum; habétque cogitationes ita sparsas, distractas, ac defixas in terrenis, ac si cælum cum terra suam conditionem mutâsset, & non hæc, sed illud variaretur. Quæ cæcitas est hæc, Deus meus, tam sine ratione ac fundamento? Video corporeis oculis hanc veritatem, & ago quasi nihil viderem. Quid me non finit videre, quod video? O detestabilem affectum, sic adhærentem ei, quod sub manibus deficit; sic affixum ei, quod præterit; sic radicatum in eo, quod clarè videt consumi! Vides hic, Bonitas infinita, mala cordis istius, quod omni ex parte ostendit errores tam contrarios; quantis, & quàm parùm fundatis affectibus feratur in res, quæ à te sejungunt.

IV. Posita pauper hæc anima inter promissiones bonorum æternorum ac cælestium, quæ credit, sperat ac desiderat; & inter bona terrena, vilia & mutabilia, quæ tam efflictim cupit, ut nullo eorum satiari possit; ut mereatur vitam æternam, & illa perpetua bona, omne tempus nimis longum, & omnem operam nimis gravem existimat; opera sunt frigida, desideria languida: sed ut gustet res terrenas & corruptibiles, vita, cura, & omnis occupatio videtur illi brevis & exigua: quin ipsam sæpe æternitatem brevem putaret, si haberet eam ad indulgendum suis vitiis. O quanta hinc peccata nascuntur in anima mea! quanta jactura bonorum verorum! quot affectus inordinati, quot radices aguntur, postea fructus venenosos laturæ! Quomodo convenit Fides, ac Spes mea Christiana cum his falsis affectibus & perversitatibus?

Nostri affectus non conveniunt Fidei nostræ

Pie Domine, Redemptor misericors, qui me nôsti, & æquâ lance ponderas errores & illusiones meas; tu vides, quàm meritò dubitare possim de mea Fide, mea Charitate, mea Christianitate, quando opera eis tam sunt contraria, quæ credoa c probo. Eja, qui vides

des hoc miserabile cor meum, respice tuum, ut sic medicinam facias meo. Considera, Domine, pro quo peregrineris; recordare, pro quo labores; & quia te non possum decipere, qui clarissimè vides omnia, medere tua virtute meæ miseriæ. Si mea peccata clamant ad te pro tua justitia, multò magis clamant vulnera animæ hujus, quam redemisti. Quare, Domine, venis, ut mecum exules, si in his paternis tuis visceribus non possum invenire remedium, ne perdam Patriam cælestem? Non possum esse tam magnus peccator, quàm tu es misericors: non possum, nec scio tam flagitare meum remedium, quàm tu id mihi conferre desideras. Aperi ergo, Deus meus, hæc divina & misericordia viscera huic pauperi creaturæ. Da, Domine, huic exuli vivum desiderium, & jugem cupiditatem te videndi, uti te clarè ostendis tuis amicis. Et quia es omnipotens ingredere in cor istud, ejice foras tuos inimicos, planta in eo arborem tui divini amoris, & extirpa â me omnem terrenum affectum. Ad te, ô divina Misericordia, suspirant meæ miseriæ: ad te, ô Æternitas bonorum, diriguntur desideria mearum mutationum: ad te, Bonum animæ meæ, referuntur omnes meæ imperfectiones, ut me sanes. Eia, qui me detines in exilio inter viles has res terræ, fac, Domine, ut ijs agnitis, amor, ac desiderium hujus animæ semper feratur ad te, suspiret ad te.

V. Quomodo non sperabo, Domine, quòd sis me salvaturus, cùm video te tam amantem peccatorum, ac tam libenter vivere in regione ipsorum, támque cupidum, eis ubique faciendi gratiam, ut etiam in fugam actus ab eis non recedas in cælum, domicilium tuum pacificum, ubi adoraris, cognoscaris ac diligeris pro eo, quies: sed abis in Ægyptum, ut spiritu tuo exuras ac purges illam terram corruptam & idololatricam: ut ingens numerus fervorum tuorum, & ovium tuarum, qui puro amore te olim quærent & imitabuntur, inveniant auram salubrem ac suavem; ibique cognoscaris, ameris & honoreris, ubi nomen tuum blasphemabatur, colebatur diabolus, & scelera dominabantur. Apparet, Deus meus, te non fugere, ut serves tuam vitam, sed ut consecres locum, in quo victuri sunt multi ex tuis Electis, pleni bonis spiritualibus, ac gratiis cælestibus, in quorum cordibus pacificè es regnaturus,

IESVS Ægyptũ sanctificavit suâ præsentiâ.

gnaturus. Quis dubitet, Domine Deus meus, te impetrâsse â tuo Patre æterno spiritum, gratiam, amorem & robur pro illa immensa multitudine servorum, quos in ea regione quondam eras habiturus? quis dubitet te unumquemque eorum habuisse præsentem, quasi jam esset natus, ubi postea invenerunt tuum spiritum, & tuam virtutem, quam eis ibi meritus es ferventissimo amore & precibus. Ah, mi Deus, cùm videris maximè otiari, tu maximè es occupatus in procurando nobis remedio. Adhuc parvulus ingrederis Ægyptum, toleras incommoda viæ, videris quasi vermiculus terræ, qui quærit foramen, quo se recipiat, ne conculcetur: interim autem tu, Fili Dei vivi, absconditus & ignotus consecras in ea regione paupertatem spiritûs, fugam rerum terrenarum, nesciri & contemni â mundo, perpetuum silentium, continuam orationem, mutam ac cæcam obedientiam, puritatem animæ, flagrantia desideria cæli, amorem incomoditatum, & necessitatum corporalium, sanctam simplicitatem, pugnas & victorias tentationum, vitam puri amoris, castitatem angelicam in corpore terreno & mortali. Et ea, quæ initiâsti in his regionibus, facies postea sequi magnum numerum servorum tuorum, quos ad hoc æterna Sapientia tua elegit. Quibus peractis reverteris in terram Judæam, ut ibi Mysteria Redemptionis nostræ adimpleas: quo facto redis in cælum, & mandas, uthæc bona toto mundo spargantur.

JESVS est semper occupatus in nostra salute.

VI. O divitiæ animæ meæ, inter tot electos, quorum recordaris, ut eos sanctifices, & inflammes tuo amore, ubi ego remaneo: Nónne tu, Domine comparas tuam doctrinam sagenæ missæ in mare, & omne genus piscium colligenti? quomodo ergo, mi Deus, ego circumnato extra ipsam? non vident oculi tui purissimi, omnia pro me perdita esse, si maneam apud me solus? non vides, aquam non posse scaturire extra suam originem? ô Fons sanctitatis, sanctifica me: ô fons omnis lucis, illumina me: ô fons omnis bonitatis ac perfectionis, muta meam improbitatem: ô fons omnis esse & omnis vitæ, da vitam, & esse huic nihilo: ô fons ignis amoris, accende me & combure in me totum, quod displicet tibi! Ah bone Jesu, qui non habeo robur contra me ipsum, desidero, quod non habeo, quod abominor; sed omnia sic in me constituta sunt,

Affectuosa petitiones.

sunt, ut neque desiderium boni faciat me perfectè detestari mala, neque detestatio mali faciat me efficaciter desiderare bonum. Omnia in me sunt misera, & nihil est quale videtur. Sed quidquid est, ut ut est, tu solus vides, & pensas. O medice divine, cura me, quia nota est tibi infirmitas mea, & fac ut velim sanus fieri, sicut tu vis.

VII. Magister divine, doce me meliùs; Lux divina, doce me ampliùs veritatem tuam. Tu fugis unum inimicum, ut olim venias in manus multorum, qui te perempturi sunt; & me doces, ut fugiam eos, qui me persequuntur; at cum mihi faves, ita ordinas, ut non possim fugere, quin occurrant mihi ærumnæ majores, quàm fugiam. Quid est hoc rei, Deus meus? nónne melius est ferre mala præsentia, quàm fugiendo incurrere majora, nec habere spem effugiendi sive hos, sive alios crudeles, qui te exspectant? O quantùm me decipio, Deus meus, juxta consilia tua, cùm fugio crucem quietis causa! ubi hanc inveniam, Deus meus, in hac vita? cur igitur vis ut fugiam, si inveniendo non sum inventurus quietem? Ah mi Deus, si scirem te nosse & amare, ego te intelligerem. Vis enim fugere peregrinum, ut ubique reperiat peregrinationem, & ubique suo exilio consecret suam sanctam patientiam & impleatur totus obsequio & amore tuo. Aut forsan vis, Domine, ut non curem ærumnas, nec alia, quæ de me facturus es, neque aliud cogitem, quàm ut nusquam consistam in rebus terrenis, sed in omnibus studeam tibi servire, & sinam te facere tuam divinam voluntatem? O Domine, qui vis esse Dominus cordis istius, cur illud non plenè se tibi conformat? cur non animadvertit, quòd sic me liberare velis à servitute, quæ me seiungit à te; quando videbo me in libertate secura, eróque tuus tantùm captivus, qui es lux hujus animæ? O summæ divitiæ, si tu solus esses meus thesaurus, ego viverem in hac regione terrena cum solo desiderio patriæ supernæ: si me viderem inter amicos, aspirarem solùm ad amicitiam tuam, si inter inimicos, haberem te mecum; in carcere liber essem in tua societate, in libertate, essem vinctus tuo amore; ubique crux mihi esset amica, & tu esses socius meus; & quantò minus quietis haberem in terra, tantò plus invenirem in te. Cur, ô Deus meus, cupio patriam? cur delicias in hac vita? cur desidero videre mundũ, nisi ut

IESVS hac fuga servat se majoribus malis.

Fallitur homo fugiens crucem.

ubique crucifigar, ubiq; cor meum te laudet, adoret te anima mea desideret te spiritus meus, & amor meus te complectatur? Ah Domine, nescio loqui! Vive, Domine in me: peregrinare in me: veni semper mecum, ut sanctifices me totum, & ego amem te solum.

VIII. O Regina Angelorum sanctissima, cui nulla ærumna gravis, nulla peregrinatio laboriosa fuit, nulla regio extranea, in societate tui JESU: cum hoc thesauro omnis regio tibi patria fuit, omne servitium suave, omnis obedientia levis. Quid boni possum habere sine societate hujus Domini? Recordare Domina nostra, & Advocata peccatorum, fructum ipsius ac tuorum laborum esse, acquirere multos filios, trahere ad se errantes, & recuperare oves amissas. Adjuva, Domina, hanc ovem errantem, quam persequuntur inimici in hac lacrimarum valle: reduc me ad gregem suum, ut sequar & audiam semper vocem hujus divini pastoris.

O cives cælestes ferte opem huic exuli, constituto in tantis periculis, ut dimisso amore terrenorum, mereatur semper esse in vestra Societate. Amen.

ÆRVMNA IX.
Sensus Domini ex Cæde infantum.

I.

Crudele Tyranni Consilium.

IUgerat Christus Dominus noster in Ægyptum, & jam duo anni erant elapsi à sua nativitate, cùm tyrannus Herodes non potuit pacare suspicionem haustam, de nato in suis terris rivali, & naturali successore sui regni: & uti statuerat mox Christum occidere, ubi esset sibi manifestatus à magis; ita certò sibi persuasit sua consilia prodita esse, cùm videret illos non reverti, sicut convenerat: cúmque se videret ab eis delusum, confirmatus est in sua suspicione ac timore; & dissimulatione versa in iram & indignationem, adinvenit crudelitatem terribilem, necandi omnes infantes; inter quos Christus non posset elabi. Neque fidebat Judæis, ut auderet indagare solum puerum JESUM, quem cupiebat sublatum, ne fortè alio substituto, ipse maneret superstes, si occidisset unicum tantùm

tantùm. Expeditis ergo negotiis, quæ executionem funestæ cogitationis impediverant, cùm jam sopitum putaret rumorem, quem Jerosolymæ concitârat adventus magorum, de jam nato Messia, & ne quis offenderetur sua crudelitate, computavit tempus, quo Magi viderant stellam, prout ex eis secretò cognoverat, & judicans, illud ferè excurrere ad biennium, pro majore securitate finxis aliam caussam, cur juberet in unum locum deportari omnes infantes, qui à duobus annis nati essent in Bethlehem, ac tota circum regione; quos ita collectos jussit omnes occidi ad unum per milites eo fine adductos, existimans fieri non posse, ut inter tot Redemptor mundi evaderet. Atque ita per hanc immanem ferociam tota illa regio repleta est sanguine pleræque domus lachrimis, & lamentis Matrum, quas impia crudelitas prole sua orbaverat: quam ætas cum innocentia, & ingenti numero, reddebat tanto diriorem acerbiorémque.

II. Nihil mitigabat hîc, quòd aliàs solet, multitudo ejusdem cladis consortium, quò enim ille matres afflictiores erant, eò major etiam erat dolor, ac sensus, quem excitabant. Nec sine caussa crudelitas hæc in ea regione creabat magnum terrorem; & quantò minùs poterant resistere barbaræ tyrannidi, tantò infelicior apparebat sors eorum, qui se videbant subditos jugo talis tyranni. Murmur, perturbatio, sensus, quem similes casus in populo movere solent, noscuntur experientiâ; & S. Jeremias prædixerat, ploratum fore consolabilem. S. Augustinus & alii Doctores, hoc loco repræsentant lamentationes matrũ, & valde exaggerant earum dolorem, & conatum servandi filiolos suos, & abscondendi, sed irritum, ut facilè cogitari potest. Neque sine ratione hoc dicitur, quia tot lactentes vix poterant in unum locum deferri sine matribus; atque ita in earum aspectu debuit peragi tanta crudelitas: quod qualia dicta, & actus miserandos eis expresserit, nullus sanè calamus assequi potest. De felicibus istis infantibus cogitant aliqui, eos tunc divinitus consolatione spirituali perfusos, cùm viderent sua nece frangi furiam tyranni, & servari Salvatorem ab ulterioribus insidiis: unde quantum laboraverunt matres eos abscondere, tantò ipsi magis prodiderint se ipsos vagitu, ne tanta felicitate

Jerem. 31. v. 15.

Infantes ultro se prodederunt desiderio moriendi pro JESV.

licitate exciderent, glorioſa morte defendendi vitam innocentis Agni, Domini ſui.

IESVS ſemper plenus compaſſione.

III. Quod fiebat in Judæa non latebat æternam ſapientiam divini Infantis in Ægypto : accidebant auribus divinis clamor & vox ſanguinis, qui manabat ejus cauſſa ex corpuſculis Innocentum: & ſua ſacratiſſima Humanitas, quæ videbat omnia in DEO, ſentiebat dolorem omnium parvulorum, qui occidebantur; & omnium matrum illorum. Erat enim Dominus naturâ ſuâ admodum tener, & valde compatiebatur omnibus, quos noverat aliquid pati: quod in vita ſua multis oſtendit exemplis. Nam quando ſequebatur eum turba in deſertum, dixit; *Miſereor ſuper turbam; quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent.* Cùm occurreret ei prope civitatem Naim vidua, plorans filium ſuum defunctum: qui efferebatur, compaſſus eſt ei, & illum reſuſcitavit. Cùm videret Martham & Mariam plorantes pro fratre ſuo, compaſſione commotus, & ipſe eſt lacrimatus. Cùm ingreſſus Jeroſolymam eſſet magna cum ſolennitate, & exceptus cum ramis palmarum & olivarum, recordatione civitatis ejusdem funditus evertendæ propter ſua peccata, cœpit flere, & magno cum ſenſu dicere, quid eſſet eventurum. Plura exempla ſunt, quæ oſtendunt ejus compaſſionem in malis alienis: multò igitur magis compaſſus fuerit his Infantibus, quos ſui cauſſa ſciebat occidi. Optabat ipſe mori pro illis, & ſi conveniens fuiſſet, libenter fuiſſet occiſus, toties reviviſcens, quos occidit Herodes, ut moreretur pro ſingulis. Sed quia oportuit eum tunc vivere, & reſervari in mortem magis atrocem, pro bono totius generis humani, & ut hac rabie reſtringueretur Herodis ira, quâ flagrabat in ipſum, patiebatur cor ejus ingentem dolorem, quòd ſui unius perimendi cauſſa paterentur tot Infantes & matres, cùm ipſe ſervatus eſſet per fugam. Verum quidem eſt, quòd copioſè hanc eis mortem eſſet remuneraturus glorioſâ coronâ Martyrii, quam poſt aliquot annos erat promeriturus viciſſim moriendo pro illis: hoc tamen, quod ut Redemptor & juſtus Remunerator erat facturus, non imminuit humanum ſenſum compaſſionis, quem à nativa teneritudine ſua patiebatur,

IV. Et

IV. Et extendendo amplius hanc compassionem Domini, habeo pro certo, quòd unum è magnis tormentis, quæ sustinuit in sua peregrinatione Filius Dei, fuerit sensus malorum, quæ filii Adæ proscripti à cælo, meritò quidem patiebantur, & passuri erant; quæ omnia sigillatim erant ei præsentia. Poterit hoc meliùs intelligi, considerando intentionem, quâ Deus initio creavit naturam humanam adeò perfectam: ea certè non fuit, ut esset creatura subjecta miseriis; sed ut immunis esset ab iis etiam eo tempore, quo nondum admittebatur in cælum. Omnem aliam creaturam terrenam fecit morti vel corruptioni obnoxiam; solam humanam, quæ quoad corpus naturaliter erat iisdem obnoxia, præservavit in loco voluptatis, & in Paradiso terrestri ab omni dolore, fame, frigore, æstu, labore, morte, & quidquid poterat illi esse molestum. Voluerat enim, ut inter naturam spiritualem & incorruptibilem, intérque corpoream & corruptibilem, esset media, partim angelica, partim terrena, quæ & immunis esset à malis corporeis, & particeps bonorum spiritualium, capax gloriæ cælestis: in qua creatura velut in compendio, & summa mundi cælestis ac terreni, Deus ederet actiones supernas, extenderet suas perfectiones divinas, & haberet spiritualem suum paradisum voluptatis. Sed amisso per peccatum hoc statu felice, Deus necessariò mutavit intentionem, ut, ne perderet hanc creaturam, quam fecerat ad suam delectationem, ei mederetur per miserias, quam viderat inter delicias non potuisse servari.

IESVS compatitur miseriis hominum,

quia eos ad felicem vitam creaverat.

V. Hoc impedimentum, quod peccatum opposuit intentioni divinæ suam in homine oblectationem quærenti, meritò gravem Deo dolorem attulisset, si natura divina esset capax doloris. Uti, cùm vellet mundum punire diluvio, dicit Scriptura, tactum esse dolore cordis intrinsecus, non utique, quòd dolorem sensérit, aut pœnitentiam ejus, quòd ab æterno decreverat; sed quòd justa fuerit causa dolendi, cùm cogeretur tanto malo afficere creaturam, quam in tantam felicitatem produxerat, nunc autem videbat, suâ ipsam culpâ promeritam, ut diutius toleranda non esset. Quod autem natura divina in se cum dolore sentire non potuit, hoc ei multùm doluit in humana, quam Personæ Filii sui univit; nam in ea sic sensit nostra mala, quasi fuissent sua propria. Ita

DEVS non libenter nos punit.

Christus erga homines perfectissimè explevit utrumque officium: ut Deus, ordinavit miserias nostras ad suum honorem & gloriam, fructúmque nostrum spiritualem, quem æterno consilio suo decreverat: ut Homo, socius & amicus fidelissimus, graviter sensit easdem: ac tantò graviùs, quantò libentiùs eas non inflixisset, nisi cogeretur à justitia & gubernatione universali. Quia verò tantoperè sentiebat nostras calamitates, ita ordinavit res nostras, ut plus nobis possint prodesse, quàm profuissent deliciæ Paradisi, quas culpâ primi nostri parentis amisimus: ac propterea magnam earum partem suscepit in se, ut sanctificatæ ab ipso, forent nobis semen gloriæ; quâ ratione restaurabat primam suam intentionem, quæ erat, ut in perpetuum bene esset nobis cum ipso, ac ceteris Electis ejus, sine ulla ulteriore molestia.

IESVS vertit nostra mala in bonum.

VI. Duæ sunt considerationes præcipuæ ad solatium ærumnarum hujus vitæ, quas, si fideles amici, ac servi Dei sumus, deberemus habere semper in animo. Prima est S. Augustini, quòd Ecclesia, ex quo cœpit in Adamo & filiis eius, laverit se semper in sanguine divini sui Sponsi. Primus Abel justus, cadens manu invidi sui fratris Cain lotus est suo sanguine innocente. In adventu Christi electi innocentes rigarunt sanguine suo civitatem & viciniam Bethlehem. Ipsemet Christus consecravit Ecclesiam sanguine proprio, moriendo in Cruce. Innumeri Martyres fuderunt vitam suam pro ipso, & qui sine sanguine obierunt, non fuerunt sine ærumnis & crucibus: quia sub vexillo Crucifixi militare, & in regno ejus honorati esse non possunt, qui passi non sunt, quo bene perpenso apparet, duo quædam habere hominem, quæ indigna sunt alii impendi, quàm Deo, Amorem & Sanguinem sive Passionem, Amare & Pati. Quia Passioni Christus Dominus noster contulit tantum valorem sanguine suo, & Electorum suorum, ut omni alteri rei, etiam bonæ ac dono cælesti longè præponderet: malè ergo impenditur in res illas, quibus perit pretium ejus, & anima trahitur ad interitum. Cùm David desiderio teneretur aquæ ex cisterna Bethlehem, quam circumcederant hostes, ac tres viri fortissimi per medios hostes attulissent ei cum periculo vitæ, ut gratiam sui Regis inirent; ipse rem altiùs perpendens, judicavit esse aquam

Ecclesia semper se lavit sanguine Domini.

Amore & sanguine nostro dignus est solus Deus.

quam adeò pretiosam, ut non nisi Deo digna esset; ideóque non bibit eam, sed Deo libavit, cui soli omnis labor, cura, & periculum nostrum debetur. Quod si facerent homines, longè faciliùs exhaurirent omnes labores, neque adeò magnam partem vitæ suæ amitterent. Sed causa hujus jacturæ est, quòd amorem suum impendant rebus, quæ illum non merentur, cùm soli Deo debeatur, qui ejus adeò est appetens, ut ferre non possit, si alius eum delibet. Quia amor post se trahit omnia, delectationem, cogitationem, occupationem, laborem omnem, qui destinet hominem intus & foris. Unde, si amor & passio nostra impenderetur ei, cui debetur, qui solus est Deus, rem faceremus ei gratissimam, & probaremus nos esse de numero fidelium membrorum Ecclesiæ, & Electorum, qui sunt illi magis accepti, & honorati in regno ipsius.

VII. Altera consideratio est, quòd, cùm Deo sic displiceat intentionem suam impeditam, quâ volebat oblectari nobiscum, non contentus id assequi demum in gloria, invenerit modum, quo id obtineat, etiam in hoc exilio nostro inter miserias. Ideo pro deliciis paradisi terrestris, confert filiis Adæ plus gratiæ inter suas miserias, quàm habuissent in illis deliciis, & vi operum æterni sui amoris, ita eos accendit, & inflammat desiderio ipsi satisfaciendi, serviendi, & ipsum solum amandi, ut velut ebriis appareat eis jucunda omnis miseria vitæ hujus, & amara omnis voluptas; nec minùs contenti sint in mediis ærumnis, quàm si forent meræ deliciæ. Justinus Martyr in oratione ad Romanos de fide Martyrum, inter alias causas, cur à vita philosopica & gentilismo se ad Christianos contulerit, refert hanc fuisse præcipuam, quòd viderit alacritatem, quâ Martyres patiebantur tam dira tormenta; quia non poterat sibi persuadere, quòd ea, à quibus humanum corpus tantopere abhorret, tolerari possent, cum tanto gustu, nisi alia secreta & interna delectatione acerbitas tormentorum verteretur eis in delicias: Posteaquam autem factus est Chrrstianus, ipsamet experientia se clarè cognovisse, quòd nulla pœna corporis tam potens sit, ut possit interiorem delectationem corrumpere, quam Deus largitur patientibus pro Christo, & cum Christo. Sanè S. Paulus recenset suos conflictus & ærumnas, quas pertulit, quasi

Paradisus crucis Deo glorioſior paradiſo voluptatis.

totidem glorias. Hinc illa Davidis admiratio; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum;* hoc est, in cognitione tua, & in abundantia bonorum tuorum eos abscondes, non ut eos dura non tangant, sed ut eorum acerbitas diluatur in suavitate ac pelago dulcedinis, quæ est in amore, conversatione & communicatione cum DEO, ferè, ut sal in cibo suavi, cujus acrimonia non sentitur, sed cibum facit sapidiorem. Ex quo DEO longè major oboritur gloria, cùm suos videt ita jucundos in adversis, quàm si fuissent in paradiso voluptatis? quandoquidem ipsas miserias reputant pro paradiso: qnod quidem purus amor in eis efficit. Quamvis autem non omnes eò perveniant; omnibus tamen afflictis hoc datur solatii; quòd, quidquid patiantur pro DEO, cedat in ipsorum bonum, sique cum patientia tolerent, magni sit meriti; & si non in delectationem spiritualem vertatur, saltem cedat in coronam & gloriam sempiternam.

EXERCITIUM
De Sensu Domini ex Cæde Innocentum.
I.

Gratiarum actio.

OFfero tibi, Domine JESU Christe, Salvator ac redemptor meus, gratias, quas debeo tibi pro gratis mihi factis, non quantas mereris, sed quantas potest mea tepiditas: tu spes mea, per tuam clementiam supple, quod deest meæ infirmitati: Tu es mea beatitudo, & finis intentionis, omnisq; desiderii mei; & quamvis non sim dignus te amare, quantùm mereris, amo te tamen, quantùm debeo. O Lux mea, tu vides meam conscientiam, & coram divina majestate tua adstat desiderium cordis mei, quod mihi largiris; & inspiras mihi, ut amem te; hoc est, quod convenit mihi; da mihi at amem te, quantam à me vis amari. Doce me extollere gratias, quas impertis mihi, tantùm quia amas, ut in me sine fructu non sint. Tua me Bonitas creavit è nihilo: tua gratia me sanctificavit in Baptismo: tua misericordia me sustinet, exspectat, recipit, & mihi ignoscit: tuus amor te traxit è cælo in terram, ac fecit participem miseriarum, quas ego jure perpetior. Quid habeo,

beo, Domine, vel quid ſpero, quòd non debeam tuo amori & gratiæ? quid ſine illa poſſum habere? In te dilator, in me ipſo deficio: in te ſum alius quiſpiam à me ipſo, & mergor in abyſſo magnitudinis bonorum tuorum; in me ipſo ſum ſemper nihil & miſerabilis. Laboro & fatigor, feror antrorſum & retrorſum, occupor & inquietor in rebus, & pro rebus, quæ ſunt extra te, ac ſemper minor, ac vilior fio, & excido à tua ſuavitate, ac bonis tuis. Quando, ô Salus mea, huic pauperi creaturæ porriges opem? ſine te, quidquid eſt in me, pura miſeria eſt. Regnant ſupra me tenebræ, quæ tegunt & eripiunt mihi viſum cæleſtium, infra me eſt duritia terrenorum, circa me perturbationes affectuum, ante me fames vanitatis, retro oblivio bonorum tuorum, intra me inopia tuæ cognitionis & amoris; & inter hæc omnia tam ſum inſenſatus, ut cogitem vivere ſine te, ac bonis tuis. O bonum meum, ſine quo dego in omnibus malis: ô Vita animæ meæ, ſine qua vivo in continua morte: ô Lux mea, ſine qua in his miſerijs meis falsò beatum me duco; adjuva me, ſuccurre, curam mei habe, & illumina me!

Ieſum delectat eſſe ſocium pœnarum noſtrarum.

II. Tu ſcis me ſine te nihil poſſe, & propterea veniſti de cœlo me quærere, ut habeam te mecum, ſine quo pereo. Recepiſti in te miſerias meas, ut habeam te ſocium: paſſus es dolores, quos ego merebar, ut meos ſentiam minùs, & ut aperiam oculos, ac videam in te, quantò majores pœnas meruerim, & quantum amare te debeam. Adoro te, mi Conſolator: & quid ego tibi proſum, aut conſolatio mea? num fortè non ex merito agitur mecum, quando circumſtant me undique infirmitas, deſolatio, mœror, faſtidia, tribulatio, inquietudo, & fatigatio vitæ? ſentiam ergo pœnam, qui admiſi culpam; & quia juſtè me caſtigas, cùm affligis, par eſt, ut patiar ſolus. Et tu, bone Jæsu, quid habes cauſſæ, ut venias in ſocietatem mearum pœnarum? ô dulces & vere Amator hujus miſeræ creaturæ! Quomodo verum eſt te non delectari pœnis, & infortunio creaturarum tuarum? quomodo verum eſt, te illas creaſſe ad felicitatem, & non ad ſupplicia? quomodo verum eſt, te illas affligere pro neceſſaria cura malorum noſtrorum, & viciſſim conſolari, atque exhilarare eaſdem, quandoquidem ad gaudia eas crea-

sti? Ideo venisti in mundum, ut fleres, fatigareris, sudares, tentareris, sustineres persecutiones & injurias, malè acciperis, haberes falsos amicos, patereris inopiam, exularis, torquereris, morereris, ac tolerares omnia, quæ patiar ego, iisque majora, non tantùm ut adjutor meus in sufferendis, sed etiam socius esses. O quàm verè dixit Apostolus, me habere pastorem, de quo non possum cogitare, quod non compatiatur mihi, cùm tribulationes immittit; quia fuisti tentatus ac probatus per omne genus miseriæ, ut credam te omnes meas sentire, & compati, ut qui per experientiam noveris, quàm acerbæ gravésque sint. O mi bone Jesu, quando peregrinabaris in mundo; semper habeas ob oculos omnia, quæ permissurus eras totâ vitâ meâ me pati. Jàm tum dolebas de illis, ac veluti bonus Pater ac Pastor, sentiebas omnes ictus, quos inflicturus eras mihi, & gratiam impetrabas eos ferendi cum fructu. Quomodo ergo, mi bone Pastor, ego lamentor, cùm videam dolorem, quem sentis ex ictibus meis? quomodo non agnosco, quantum prosint mihi, quandoquidem cum tanto sensu illos infligis?

III. O mi Domine, in me sunt omnia extra viam. Monstras mihi, ô pulchritudo cœli, teneritudinem cordis tui, & sapientiam providentiæ, qua me gubernas, viscera paterna, quibus me amas, quando castigas; & divitias liberalitatis tuæ, qua quidquid justè patior, mihi convertis in tanta bona & gloriam. Quis est, sicut tu, mi amantissime Pater? plectit mundus latronem, & eo mortuo nihil amplius facit: tu verò crucifigis malefactorem, & sic sentis ejus dolorem, ut & gratiam des ei patiendi, & pro patientia vitam æternam. Cædit mundus reum, & miser habet infamiam: tu verò flagellas nostra delicta rebus adversis, & cum pœnitentia, quam ipsi largiris, das suavissimas & intimas consolationes. Dejicit mundus, ut evertat: tu verò dejicis, ut erigas; onerat mundus, ut fatiget: tu oneras, ut subleves. O sublevatio mea, ô dulcis confortatio! quare non ardent viscera mea vivis & efficacibus desiderijs tibi serviendi, & satisfaciendi? Non es contentus juvare me, ut ex meis pœnis acquiram gloriam, sed ut appareat, quàm sis liberalis erga animas, quas affligis, illas eò usque perducis, ut non sint contentæ, quando sunt sine afflictionibus. Aperi mihi,

Aliter punit mundus, quàm DEVS.

Domine,

Domine, hæc tua secreta: doce me gloriari in tribulationibus, & invenire ac degustare, quod his abscondisti in eis, qui in ipsis gloriantur. O mi amor, quare patior ego, nisi propter te, ac per te? Cùm attrahis animam ad te, cùm hæreo in tuis amplexibus, cùm in amore tui ebullio non sentio injuriam, non disgratiam, non paupertatem, non defectum, non contemptum, non falsos amicos, non ullam ærumnam. Omnia suffocantur in te. & tuâ præsentiâ mutas omnia in dulces & sapidos cibos. Quid hoc est rei, Deus meus? vis ut omnia sint paradisus? Aperi, Domine, cor hoc, & intra in illud; vel aperi mihi tuum, & ingrediar in hanc pacem, in amorem tuum, in dulcem cognitionem tuam. Tam cupidus es, Deus meus, largiendi mihi gloriam tuam, ut non possit exspectare amor tuus, donec eam in domo tua mihi conferas, ubi me exspectas; sed hîc jam das pignus illius, & primitias, quando exhibes mihi tuam divinam præsentiam. O divine amor, ô fidelis amice, audi cor meum, quod jam obliviscitur sui exilii, & tibi suaviter cantat. Audi, quod loquitur cum solo te, hoc dicit tibi soli:

Dul. è pati pro Christo.

O quàm suavis est amor meus, quàm pulcher est Amicus « meus, quàm dulcis est Pastor meus! Colliquescit tota in te, Deus « meus; te solum desiderat anima mea, Thesaure meus, dulcedo « mea, spes mea, gloria mea. Ah Deus meus, ah Deus meus, ah dul- « cis amicus meus! ô si hic desinat in te, quidquid non es tu. Vivat « amor, vivat in me, & ego solus vivam in te, ô Deus meus, ô amor « meus; ô Jesu rape cor meum!

IV. O bene Jesu, doce me excessus tui amoris, & angustias, quas facis in hoc dulci corde. Quid est, mi Domine, quòd in morte horum Innocentum sentias majorem dolorem, quàm ipsæ matres, quæ tam crudeliter amittunt filios; & quàm ipsimet parvuli, qui immaniter deturbantur è vita, ut tuam vitam eorum morte conserves? Dolor matrum non excedit fines amoris naturalis, puerorum autem est adhuc sine usu rationis; sed tuus, ô amantissime Jesu, est ab amore divino, infinito, sapientissimo, flagrantissimo, cum desiderio moriendi pro singulis. Quomodo pateris, clementissime Domine, ut hi moriantur tuæ vitæ servandæ causâ, cùm tuum proprium officium sit vitam omnibus dare tua morte? Ah Domine, amor tuus invidet passionem parvulis, & omnes istæ sunt inventiones,

IESVS plus doluit ex cæde Infantum, quàm ipsi.

ventiones, ut tu plus pati possis, quàm ipsi infantes. Omne vulnus, quod eis infertur, transfigit cor tuum, quasi tibi esset inflictum omnis mors eorum est mors tua, quòd non moriaris pro quolibet eorum. Sic amor satiabatur, quo invidebas quodammodo passionem istis infantibus, sententiam ferendo contra carnem tuam, ut pro illis tota convulneretur & crucietur: sic vitam eorum compensabas, qui morte sua tuam servarunt, dando eis vitam æternam, ac proponendo mori suo tempore pro illis. Moriebaris in quolibet eorum, patiendo tunc in ipsis, ut postea pati posses pro ipsis. Ita, Domine; noluisti, ut ullus Martyr patiendo te vinceret. Ita etiam ordinasti, ut in se vivendo moriatur, quisquis cogitat mori pro te: ac fecisti, ut quod patimur aut pati cupimus pro te, redundet in bonum nostrum æternum. Benedictus sit hic thesaurus tuæ liberalitatis. Quis potest tecum esse pauper, cùm ditetur thesauris hujus tui infiniti amoris.

IESVS à nullo Martyre vincitur patiendo.

Fugimus pati.

V. O me miserum, in quanta damna incido, dum ut parcam, aut blandiar corpori, fugio molestias! me contristat jejunium, cruciat oratio, gravat solitudo, affligit silentium, doleo in tribulatione, non possum ferre tentationes, timeo dimittere pro te grata corpori, puto mihi deperdi, quidquid impendo tuo amori. Non audeo resistere meis cupiditatibus, reformido quidquid me potest restringere, quidquid coërcere meam libertatem, id me dejicit. O gelu cordis istius infelicis! quàm longè absunt hæc à desiderio moriendi pro te? quàm procul ab invidia pro te exponentium vitam? quomodo respondeo fidelitati & amori, quem erga me geris? antequam videam strictum supra me gladium, ac Martyrium, fugio molestias hujus inimici mei, corporis: quomodo ergo pro te dabo corpus ac vitam? Hoc est, Deus meus, quod amas, pro hoc tu cruciaris, pro hoc interficeris, pro hoc desideras vitam impendere. Miserere mei, Domine: conforta meam ignaviam, corrobora pusillanimitatem; erige, Domine, hanc dejectionem: da mihi spiritum, ut supponam humeros cuicunque labori, cuicunque bono exercitio, cuicunque mortificationi corporis, & magnitudini amoris, quem erga me habes. Recordare, Domine, quòd dixeris, *Sine me nihil potestis facere.* Tu, Domine, vides interiora mea;

Joan. 15. v. 6.

mea; quoties mihi ostendis pericula, in quibus versor, & inspiras, ut vigilem & fugiam à me ipso, & recedam ab oblectationibus, quæ me separant à te; ego me reperio sic addictum passionibus meis, sic obstrictum appetitibus, ut timeam ab eis recedere: & quamvis videar eos velle relinquere, vellem tamen id fieri non tam citò; & cùm omnino decrevi id facere, majore metu corripior dolorum, quos imaginor mihi ex ea derelictione secuturos, quàm damnorum & malorum, quibus me sibi adhærentem afficiunt. O miseranda deceptio, ô magna cæcitas mea! quis unquam timuit salutem? O fortitudo mea, da mihi vires: frange modò hæc vincula: arma me tua luce, & tuo amore: noli tardare, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum. Qui majores me vires habet, prævalet mihi. Tu, Domine, qui aperis manum tuam, & imples omnia benedictione, emittis virtutem tuam, & facis ex debilibus fortes, ex victis victores; recordare, quòd ego tam debilis & miserabilis, æquè sim tuus, atque omnes aliæ creaturæ. recordare, quòd veniens ad quærendam perditam ovem, non jusseris eam redire ad ovile, sed acceperis eam in humeros, & reportaveris, quia sic aberrans ægrè poterat redire. Talis ovicula sum ego: quære me, divine Pastor; quia erravi: recollige me, quia perii: porta me, quia sum debilis: reduc me ad suavem amorem, ac dulcem societatem chararum ovium tuarum.

VI. Sed quid est, Domine, quòd Herodes cogitat regnum servare, te perempto, vúltque tollere tot infantes, inter quos non possis non esse? Nec vitæ, nec regni socium te vult, qui es omnipotens, ac potes dare vitam & regnum. Domine, quò magis admiror Herodem, & ejus tyrannidem, eò magis cogor damnare me ipsum: an ego sim ei similis, tu scis. An tu fortè in me non agnoscis eandem qualitatem, & easdem circumstantias culpæ, licet ego non occiderim pueros? Quoties, Domine, cogitavi servare meam existimationem, perimendo honorem proximi mei, quem jusseras à me servari illæsum? Quoties contra tuam legem ac doctrinam, studeo servare amicum, adulando ei, ut per mendacium satisfaciã desiderio meo, & opinioni meæ, persequendo virtutem? quot virtutes ac vera bona perimo in anima mea, ô Bonitas infinita!

Peccator Herodi similis.

quot ejuſmodi res vides in mundo, ac toleras! & cùm hoc ſit totum negotium mundi, ut cum tua tuæque Legis injuria perdat animas, in eóque ſita ſit tota ejus ſapientia, gubernatio, & occupatio, ego proximè ſector ipſum, tui oblitus, & major homicida fui, quàm ipſe Herodes: nec doleo, quòd, cùm hæc ago, tu à me fugias. Cogito me vivere, eſſe, ſapere, agere, florere, & hoc totum ſine te, qui es vita, potentia, & vera ſubſtantia animæ meæ. Tu cum paupertate ſpiritûs vis me regem facere, ac ditare; & ego illam, ut diter, interimo: tu vis me facere magnum per humilitatem; & ego, ut magnus fiam, illam repudio: vis me honoratum facere per adverſa; & ego patientiam ſervandi honoris cauſsâ refugio: in omnibus facio tibi contraria, ac tuam ſocietatem formido. Et, ô Domine, ſine te qualis remaneo? quàm pauper, miſer, abjectus, infamis, & remotus à vita æterna, & veris bonis? Miſericordia, Domine! per hanc te rogo, ut potiùs des mihi mortem Innocentûm, quàm vitam Herodis. Sit hodie finis infelicis mortis meæ, ac principium vitæ in te. Da mihi amorem tuæ legis, & obedientiam tuæ ſanctæ doctrinæ & voluntatis. Mea prudentia & ſenſus eſto, vivere ſemper eo, quod me doces, & cum gaudio impendere vitam ei, quod jubes. Terminentur, Domine, mala mea, quia ſolùm in te ac tua virtute poſſunt finiri. Da mihi, ut poſthac non velim habere nec membrum, nec ſenſum, nec vires, nec vitam, niſi ad ſerviendum tibi, te amandum. Non minor eſt gloria tua, Deus animæ meæ, implere domum tuam peccatoribus converſis, quàm SS. Martyribus & Innocentibus. Age, glorificare in me, Domine, trahendo me in odorem unguentorum tuorum, virtutum tuarum. Ille penetret interiora mea, incendat animam hanc amore, & faciat odiſſe amorem mundi, détque vivum ac perpetuum deſiderium te poſſidendi.

DEO gloriosum eſt, replere cælum pœnitentibus.

O Mater Dei, Domina mea, quæ per hunc Dominum ſemper vixiſti, & per quam nos mortui poſſumus impetrare vitam; reſuſcita per tuam interceſſionem ſpiritum meum in amorem purum & inſeparabilem. O Curia cæleſtis, qnæ per vitam, potentiam & magnitudinem hujus Domini regnas cum illo, impetra mihi, ut ejus ſanctus amor regnet in me, & ego tandem veniam ad ſocietatem regni veſtri. Amen.

ÆRVMNA X.

Obedientia & Subjectio Christi.

I.

MOrtuo Herode, & aliis, qui Christum cogitârant occidere, monitus ab Angelo Joseph, cúmque Puero & Matre ex Ægypto reversus in Judæam, cùm cognovisset Archelaum regnare pro patre suo, abiens in Galilæam, Nazarethi consedit; quòd prudenter timeret, ne cum regno etiam crudelitatem patris & consilia accepisset Archelaus, sive ex ambitione propria, sive monitu patris vel adulantium. Cúmque quotannis irent Jerosolymam in templum, juxta DEI præceptum, Anno duodecimo ætatis JESUS profectus cum ipsis, remansit in templo insciis Parentibus, ac tertio die repertus, rediit cum illis. Quid autem egerit usque ad trigesimum annum ætatis, non scribitur, nisi, quòd fuerit *subditus illis*. Et hæc subjectio & obedientia Domini est compendium totius vitæ, doctrinæ & operum ejus. Ex hac arbore nati sunt omnes ejus labores: huic Apostolus. Phil. 2. tribuit totam gloriam Domini: *Factus est obediens usque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Hoc significabat & nomen Messiæ, hoc est missus, ablegatus in terram à Patre. Primum verbum ejus, quod in scripta relatum sit, fuit de obedientia: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt*, quæ Pater vult, *oportet me esse?* nec voluit aliud nobis de vita per annos 30. peracta constare, quàm quòd fuerit subditus illis, quos Pater sibi præfecerat. Cùm autem cœpit agere cum hominibus, communis sermo ejus erat, se venisse, ut faceret voluntatem sui Patris: hunc esse cibum suum; doctrinam suam esse Patris, non suam; *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam?* Et ut ultima responderent mediis ac primis, exspiraturus dixit; *Consummatum est: In manus tuas commendo spiritum meum*, & cum eo omnia mea, etiam merita & applicationem eorum tuæ dispositioni relinquo.

IEsus subditus Parentibus.

Io. 18. v. 11. Io. 19. v. 30. Luc. 23. 46.

II. Quàm gravis fuerit hæc ærumna, in qua Dominus vixit & obiit, explicari non potest. Ideo obedientiam 30. annorum

Lucas uno verbo perstrinxit, reliqui præterierunt omnino, quia capi non potest perfectio trium horum in præcipiendo, parendo. Humilitas ac reverentia Virginis erga Filium ac DEUM suum, parem in cælo non habuit. Mortificatio, quam habuit in imperando, minor non fuit: imperavit tamen ut Mater, quia Deum sciebat hoc velle, & sic præcipiendo Filio paruit Patri. Joseph ut Patertamilias observabatur ab utroque, & in hac superioritate se intus humiliavit infra omnia. Christus tacens obtemperavit reverenter, & alacriter ambobus, ut præpositis sibi à Patre. Hic fuit triumphus, hic thronus humilitatis & obedientiæ, quo nullus unquam sublimior. In publico dissimulabantur hæc omnia; illi se ut parentes gerebant, hic ut filius morigerus. Privatim servabant accurate legem divinam, etsi non obligarentur, & juxta conditionem suam mechanicam faciebant opus, quo sustentarentur, Filio collaborante strenuè, & Josephum adjuvante in omnibus, pro ratione ætatis ac virium: quæ omnia, quo sensu tulerint parentes à Filio, quem sciebant esse suum Creatorem, novit solus Deus, cui obsecundabatur ab omnibus tribus. Mirabantur parentes obedientiam Filii, & observabant ejus alacritatem ac demissionem tantæ Majestatis, nihil ex familiaritate remittentes de interna reverentia, sed magna cum veneratione incedebant coram eo, cui ex timore DEI imperitabant. Nonnunquam ex ejus ore divino audiebant secreta cælestis doctrinæ, quam libenter is impertiebat, ut eis obsecundaret in hoc ipso. Cùm cessarent ab opere, magna pars temporis orationi dabatur: ô qualis fuerit ea Oratio in conspectu Filii ac DEI sui! Quid illis in ea donorum tribuerit sua divina Majestas! Nec tamen ideo minus ei debemus, quòd hilariter obedierit, etsi fatigaretur nonnunquam. Amor nostri hanc alacritatem præstabat, ut Deus fabro serviret sine ulla spe mercedis, aut cessaturæ tandem hujus operæ & subjectionis: quia graviora sciebat sibi parata, ut hæc præ illis ei videretur esse recreatio quædam. Neque tamen in hac privata subjectione minor fuit ejus voluntas, fervor, efficacia, & humilitas: esto majora in dies virtutis signa foris monstraret. Illo verò triennio, quo ex voluntate Patris mundo se manifestabat miris operibus ac doctrinis, ita se gessit, ut nullo verbo indicaret

Triumphus humilitatis & obedientiæ.

dicaret suâ potentiâ ac sapientiâ illa facere, sed Patris sui; ut homines etiam in dignitate positos, doceret meminisse subjectionis, & potentiæ DEI, cui serviunt in suo officio. Denique Judicibus iniquis, Præsidi gentili, Ministris crudelibus eâdem voluntate obediit, veluti pro eo tempore superioribus sibi datis à Patre: ut discamus obedire Superiori qualicunque.

III. Si bene intueamur hoc speculum, videbimus, quemadmodum Deus omnium mandatorum suorum observantiam restrinxit ad amorem sui & proximi; probationem amoris constituisse in obedientia. *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui servat ea, ille est, qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Nemo igitur cogitet se DEO placere, si non amet; nec amare eum, si non obediat. Idem effectus ac præmium utriusque, idem damnum ex utriusque defectu est, idem utriusque defectûs remedium. Amore crescit obedientia, & hâc amor perficitur. Amore sanctificatur anima, unitur DEO, ac percipit influentiam favoris divini: obedientia hæc stabilit & assecurat. Per inobedientiam perditur amor, incurruntur pœnæ temporales & spirituales: per obedientiam reconciliatur amor perditus, & curantur mala commissa: ut adeò in obedientia consistat tota sapientia Christiana. Ideo videtur arbor illa in paradiso vocata *arbor scientiæ*, non quòd ex ea comedendo Adam futurus esset sapientior; cùm à Deo satis esset instructus scientiâ necessariâ: nam scire peccata, & experimento discere damna peccati, non est scientia, sed cæcitas vel contumacia; & sapientior est, qui sine experientia mali novit bona, quæ Deus docet; in qua scientia sine damno includitur cognitio mali, ut caveatur. Hæc scientia Adamo non deerat, etsi non comederet ex arbore prohibita. Ergo *arbor obedientiæ* vocatur *arbor scientiæ*, quòd obedientia sit clavis, sub qua servabatur scientia, homini tributa à DEO in illo statu felici. Et quia mandatum hoc primum erat ei datum extra legem naturæ, ne comederet ex hac arbore, Deus illi nomen imposuit à scientia, per ejus mandati observationem servanda, forsan daturus id nomen alteri rei, si in altera voluisset exerceri Adæ obedientiam. Quia sublimior sapientia, ac prudentia major in creatura esse non po-

Probatio amoris Obedientia Ioan. 14.

Obedientia est arbor scientiæ.

test, quàm ut obediat Creatori: quidquid sine hoc scit, cæcitas, ignorantia, perditio est. Hinc & S. Augustinus dicit, non potuisse meliùs ostendi præstantiam hujus virtutis, quàm per prohibitionem rei de se non malæ: quia bonitas obedientiæ non sita est in impediendo malo, sed in faciendo bono; nec est minùs perfecta in omittendo bono ex mandato, quàm in agendo eodem: non enim aliunde tanti æstimatur, sed tantùm per se ipsam. Ideo verum est, totam sapientiam hominis Christiani in obediendo consistere; quam David petebat: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, tanquam servus bonus, qui scit voluntatem Domini sui, & facit.

Psal 142.10
Psal. 26. 4.

Radices Inobedientiæ.

IV. Inobedientia tres habet venenatas radices, 1. est *Existimatio propria*, quæ est cæcitas animæ, non agnoscentis suam infirmitatem, & propterea ægrè ferentis superioritatem in alio, quam sibi putat congruere: hâc præcipitatus est Lucifer; contraria humilitate exaltata Virgo in Matrem Dei. Contra illam sancti armârunt se obedientiâ, subjiciendo se aliis quibuslibet, huc dirigentes sua consilia, ut subigerent naturam indomitam alteri, etiam cui non erant subditi. Ad quod obtinendum, agnoscebant se indignos habere locum inter alios Dei servos; quorum proinde quilibet meritò sit eorum superior. Quæ quidem agnitio multis precibus à Deo efflagitanda est. 2. Radix est *Confidentia in proprio judicio*, quam comitatur *Contumacia & arrogantia*: quæ quidem à paucis, nec paucorum annorum labore exscinditur, vero lumine difficulter vincente, ac dissipante spissam caliginem. Hinc hæreses, hinc omnis Religionum turbatio. Deo Sancti etiam voto obligârunt se ad obediendum alteri, tametsi non meliori; ut hoc freno tenerent furiam proprii judicii, & hac purgatione quantumvis amara id virus ejicerent. Et hoc donum à Deo impetrandum est: juvabit reprimere libidinem contradicendi, & silentio severo continere propriam rationem, utcunque conetur prorumpere: interiùs autem irasci suæ superbiæ, neque se comparare cum aliis tanquam minùs scientibus; sed cogitare, Deum occultè communicare suam lucem superioribus, neque deesse suo succursu & protectione:

se ipsum

se ipsum verò subijcere potiùs voluntati alienę ex amore DEI, quàm exponi erroris & gravioris mali periculo. 3. Radix est *affectus inordinatus erga rem aliquam*, qui non finit obedire, ne privetur proprio gustu, vel displiceat alteri. Sic Adam est lapsus, qui non ita desipuit, ut vellet esse sicut DEUS; neque contrariam opinionem habuit DEO minanti mortem; sed ne displiceret uxori, & ut satisfaceret appetitui gulæ, inobediens fuit. Hæc non rarò est tinea corrodens obedientiam Religiosorum, qui neque affectant Prælaturam, neque volunt omnia regi suo judicio, sed per varios respectus amicorum aut aliorum, comitatos tepore divini servitii, defectu orationis, intentione aliqua mundana &c. sunt immorigeri. Contra quæ munierunt eos Fundatores paupertate, castitate, clausura, ne quidquam retinerent affectûs terreni. Efficacissimum remedium dedit Christus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; qui in hac vita nullam habui oblectationem aut requiem, nisi in obedientia. Unde mirum non est, omnia obedientiæ bona tribui: quia sine illa nec in naturali gubernatione mundi, nec in politica belli, reipublicæ, navigationis quidquam rectè procedit. Unde David quærens, *in quo corrigit adolescentior viam suam?* respondit, *in custodiendo sermones tuos. Et lætabor super eloquia tua, quasi, qui invenit spolia multa.* Atque his laudibus bonorum obedientiæ plenus est Psalm. 118.

Matth. 16. v. 24.

V. Sunt autem tria genera obedientium, sive obligatorum ad obediendum. 1. qui simul ex officio imperant aliis: 2. qui nemini præsunt, neque etiam ulli obediunt, nisi ex generali præcepto Dei. 3. qui speciali obligatione Voti tenentur obedire. Primi sunt in majore periculo, sed habent maximas occasiones merendi. Secundi securè vivunt in sancta libertate. Tertii habent paradisum in terra, modò cum gustu servent promissa. Omnium Cynosura est voluntas & lex DEI. Primi tenentur imitari DEUM, quem repræsentant; magis utendo vi bonitatis ac vrtutis, quàm rigoris. Nihil enim in utramque partem est efficacius exemplo superioris. Et ubi rigor totus pendet à justitia sine intentione benefaciendi, subditi magnam caussam habent minoris faciendi Superiorem, & minùs ei parendi. Igitur externa demonstratione bonitatis debent omnia

Tria genera obedientium.

omnia referre ad obedientiam Dei, cujus voluntatis ministri sunt, non proprietarii suæ superioritatis. Nullá enim re magis errant Superiores, quàm exercendo Imperium tanquam rem suam, non ut obedientiam Dei. Hinc dicitur eis, *Et nunc reges intelligite: servite Domino in timore*: in gradu, quo vos posuit, & tunc poteritis in conspectu ejus exultare, si aliis imperetis tanquam ipsius voluntati servientes, non quia ipsis præpositi. *Apprehendite disciplinam: veneramini Filium ejus,* quem constituit regem universorum, in omnibus eum recognoscentes. Caveant sibi à vitio, quo plerique præsides obliviscuntur humilitatis, & volunt omnia sua laudari, omnia sibi deferri; quidquid non fit propter ipsos, reputant sibi derogari: unde porrò fit, nullum ut consilium admittant, quasi per hoc haberentur minùs prudentes; & erubescunt aliquid facere ex aliorum judicio. Qui si per officium suum aliud non quærerent, quàm voluntatem & obsequium Dei, omne bonum consilium à quocunque datum acciperent, ac desiderarent juvari ab omnibus. Sæculares carent istis periculis, ac tota salus eorum consistit in obedientia mandatorum Dei. Sed jam, prô dolor, eò deventum est, ut legis divinæ nulla apud multos ratio habeatur, & qui per eam regi velit, æstimetur austerus, rigidus, exoticus, quasi in extremis versetur. Dimittamus, inquiunt, tantisper legem Dei, quia inter nobiles & aulicos, in puncto honoris & sui interesse quisque tenetur sequi stylum mundi, & rationem statûs. Sed hæc ratio statûs, hic stylus mundi, & curiæ est à prudentia carnis, quæ mors est: à sapientia mundi, quæ stultitia est apud Deum. Caro occidit, mundus illudit, quia omnis ejus discretio videbitur olim esse fumus & ludibrium. Prudentia vera est, vivere ex lege Dei: multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ. *Eccles.* 1. *c.* 4. quia qui Deo obedit in omnibus, se ipsum facit holocaustum gratum in odorem suavitatis.

Psal. 2. 10 *v.* 12.

In textu Hebraico.

Obedientia perfecta.

VI. Religiosorum obedientia perfecta non est, nisi ad executionem accedat voluntas & judicium. Cùm enim prælati sint homines, qui ad eam puritatem & simplicitatem obedientiæ veniunt, ut eorum præcepta accipiant tanquam voluntatem Dei, gaudent perpetua pace. Obediens non est, qui procurat ut jubeatur,

tur, quod ipsi lubitum est: nec qui observat, aut judicat defectus Prælati: nec is, qui obediendo potiùs alterius voluntati satis facere studet, quàm Dei. Quare consultum est, ne quæras consolationem in amicitia Prælati. Deus enim sæpe vertit hanc spem in contrarium; & magnæ inde perturbationes in communitate nascuntur. Nam errores Superiorum imputantur eorum amicis, à quibus reguntur, vel in quorum gratiam ita res gerunt: omnes alienantur ab illis: & amicitia sæpe exit in inimicitias. Sicut autem hæc falsa obedientia fundatur in amore proprio; ita parit murmurationes, factiones, partes; quibuscum intrant in domum Dei omnes perturbationes mundanæ. Optimum est subjici indifferenter cuicunque Superiori, qui si mihi non faveat, meritum obedientiæ crescet. Et profectò melius est Monasterium plenum vere obedientibus malo Prælato, quàm sancto Prælato malè obedientibus. Quod etiam Christus *Matth.* 23. docuit, *&* 1. *Petr.* 2. jubemur subditi esse non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis: quod quidem summi est meriti. Apponam hîc duas regulas. 1. quisquis in Religione vult omnia fieri ad suum arbitrium, non est quietus, nec obediens: & omnis inobediens vult præscribere modum & ordinem in omnibus rebus. Unde in Religione nec sanctus Zelus, nec sancta prudentia est, nisi quæ fundatur in perfecta obedientia Regulæ & Prælatorum, quantumvis per se malorum. 2. Qui vult semper esse quietus in Religione, perfectè obediat ex amore divino; qualis etiamsi ipse gubernare debeat alios, errare non poterit.

Falsa obedientia.

Quis sit quietus in Religione.

EXERCITIUM
Circa Obedientiam Christi.

I.

DIvina, æterna & summa Majestas, omnipotens Deus, Dominus & Creator meus! quid est hoc commercii, quod habes cum tua vilissima creatura, ut non feras me habere alia mandata, aliam regulam aut regimen, quàm tuam voluntatem? Quid sum ego, Deus meus, in tui comparatione? & quomodo possum levare oculos ad te, ut præsumam velle scire tua consilia, & voluntatem,

Magnus favor est, regi voluntate Dei.

ut regar per illam? Sufficeret mihi, si mandares, ut vivam inter vermes terræ, & à formica discam, quid mihi prosit, & à vermiculo humilitatem, ab asino verberato patientiam, ab onusto & frenato animali obedientiam; ab aliis creaturis, ne audeam levare oculos ad te videndum. Hi forent magistri mihi magis convenientes, & meæ vilitati: quibus, si me conformarem, non facerem parùm, & tu fores contentus hoc meo servitio. Quare vis, Domine, ut oculos levem ad hanc Majestatem? Ita lapsus est Adam, & perdidit innocentiam; ita ceciderunt Angeli, quia voluerunt tibi æquari: ita periit & Judas, quòd non esset tua societate contentus. O Deus meus, terra mihi propriè convenit: hæc est mater mea, è luto formaverunt me manus tuæ: ibi est locus meus proprius & habitatio. O Sapientia vera & infinita, qui formâsti me ex luto, propter te me fecisti; sumpsisti me de terra, non ut hærerem in ea, sed ut tu viveres in anima mea, quam inclusisti in hac miserabili terra. Ideo vis tu esse Sapientia mea, & Lux mea, vis manifestare mihi bonitatem tuam, ac docere me, quæ sit tua voluntas; ut imitando, quod video in te, non maneam semper in mea terra & luto. Vis habitare in me velut in domo tua; & propterea non vis aliquid esse in me, quod tuum non sit, nec placeat tibi. Adoro te, divine Magister, doce me, quod vis me scire; nec permitte, ut aliud sciam. Rege sensus meos, membra mea, vires animæ meæ, affectus ac desideria mea, intellectum meum. Fiat in me, Deus meus, voluntas tua, sicut in cælo fit. Fecisti, Domine, corpus mihi terrenum, animam cælestem, & ordinâsti, ut utrumque pariter tibi obediat. Non minùs tibi subiecti sunt Angeli, quàm vermes terræ; nec terrena elementa, quàm corpora cælestia. Sit, ô Domine, idem ordo in me: exultet in te caro mea, & spiritus meus, & omnia subiecta sint tibi, & prostrata ad tuos pedes divinos: & quia exigis à me perfectam obedientiam, ne permittas, ut hæc terra sit contraria illi, quod requiris ab anima.

Deploratio nostra inobedientiæ.

II. Et est ea quidem voluntas tua, Domine, & in hoc ordine perfecto creâsti nostram naturam: sed ego, Salvator mi, & unice Sanator plagarum mearum, recitabo & deplorabo infirmitates meas. Vivit in me lex peccati, tuæ voluntati prorsus contraria:

ria: & licet fide credam, quod me doces, sum tamen ita infelix, ut me vincat contradictio hujus corporis. Vocat me mundus, & ipso clamore suo monstrat omnia esse vana, & tamen hunc sequor: Vocat me vanitas & mendacium, & ego huic credo: vocat me caro cum sensualibus appetitibus, & me excæcat. Vocat me mala propensio ad res terrenas, tibique contrarias, & me trahit post se. Vocas me tu cum pura veritate & doctrina, & ego reformido, fugio te, nec obedio. Vocas me, & licet audiam vocem tuam, non tamen venio: instigas me, nec ego me resolvo: animas me, & ego non audeo: assecuras me, nec ego dimitto timorem: trahis me, & ego recedo: video me cecidisse, nec surgo: video meum periculum, & non relinquo. O tristis mea conditio, ô miseranda miseria! Et à te formido, & à me ipso. Mala consuetudo, & lex tua me gravant; quod tu exigis à me, & quod ego hactenus volui, stimulat me, nec tamen relinquo me ipsum, nec te quæro. O potens pacificator bellorum, libera me ab his angustiis: dirumpe, Domine, istas catenas; & ego consecrabo tibi simul totam meam naturam, ut tibi serviat & obediat. Et quia, Domine, tu das mihi agnoscere meum periculum, etiam illumina me, adjuva me, da mihi vires, ne amittam hoc lumen, & recidam in hunc somnum, ac cæcitatem lethalem, nec obdormiam in vitiis meis, ubi nec auditur, nec videtur, nec gustatur venenum hoc mortis, & separationis à te. O Deus meus, quando sic eram, quàm fui miser! Vivebam non de te, qui es vera vita, nec in tua obedientia, sed in terrenis cupiditatibus, profanis desideriis, appetitibus perversis ac vilibus, & in iis abominationibus, quas misericordia tua videbat ac tolerabat. O Salus mea, ne discedas à me: sanâsti me in Baptismo, dedisti mihi legem tuam: aperi ergo Domine, oculos meos, ne aliud videant: eurrant pedes mei ad serviendum tibi: laborent manus meæ, ut tibi satisfaciant: cognoscam veritatem tuam, & amplectatur cor meum, quidquid me doces. quando, Domine, & magister meus! quando, sapientissime Restaurator meorum damnorum, quando perfectissime Corrector meorum errorum, purgabitur memoria mea ab omni distractione? quando trahes me post te in odorem unguentorum tuorum, captum tua pulchritudine, illustratum tuâ

doctrinâ, astrictum tuæ voluntati? quando componēs pacem inter carnem & spiritum? *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de tua lege docueris eum*, quò tibi semper obediat: & tu mitiges ei in diebus malis belli hujus, donec veniat tempus, quo fodiatur huic peccatori, corpori, fovea pro sepulchro. Ah felicitas mea, perfice tandem, ut tollas hæc mala, hos terrenos appetitus à me, ut totus tu regnes in hac anima. Ah Domine, nescio loqui, sed quantus quantus sum, ex intimo corde meo ad tuam Majestatem suspiro; & totum corpus meum terrenum cum omnibus suis vulneribus, & spiritus meus cum omnibus vinculis suis faciunt hoc ipsum: omnia invocant misericordiam tuam. Apprehende, Domine, manum meam, & sana me, ut non vivat in me aliud, quàm obedientia tua sine omni contradictione: quia cupio semper esse tuus; ut, qui jam das mihi hanc voluntatem, des etiam vires.

Psal. 61.

III. Domine mi Jesu Christe, speculum veritatis æternæ, illumina miseram hanc animam, ut videam in te emendationem omnium meorum errorum, & peccatorum miserabilium. Infinitas tibi gratias ago, quòd in te mihi monstraveris, quid debeam sequi, ne excusem ignorantiam. Tu es verus Deus meus, & tua propria est sublimitas ac Majestas: omnia naturaliter tibi subjecta sunt, omnia subjacent pedibus tuis: & hinc ad humiliandam meam superbiam ac duritiem abscondis Majestatem tuam, subdis te creaturis tuis, & obedis operibus manuum tuarum, illorum voluntati te accommodas, quos tu sustentas ac regis. Num Beatissima Virgo, quòd Mater tua sit, fecit, ne sis ejus Creator? quidquid habet illa, non est à manibus tuis? an est in ea quidquam, quod magnitudini tuæ divinæ possit æquari? vel sola ratio Matris abstulit à te supremum dominium, qui es ejus dominus sempiternus? Quomodo ergo cogis eam tibi præcipere, & habere te sub obedientia sua per annos triginta? Aut quam necessitatem habes, ut ab ea regaris, qui es vera Lux & Sapientia, quâ diriguntur, & qui imperant, & qui obediunt. Nam Virgo quidem non ausa fuisset jubere quidquam, nisi tu intus hoc facere eam compulisses. O Speculum summarum virtutum & errorum meorum, versare semper ob oculos animæ meæ, ut in te discam me cognoscere, & horrere, imitari

Christus nos docet obedientiã.

tari, & sic restaurare meas jacturas. Quare non omnibus obediam? quomodo me non totum subdam tuæ voluntati & arbitrio, cùm hoc video? quid mali mihi potest evenire, si amore tui semper jaceam sub pedibus omnium? In humili, in vili te inveniam: ibi assimilabor tibi, qui te tantopere humilias. Si verò me exaltem, te perdo, quia tu odisti superbiam; vel tantùm me perdo, quia recedo à te. Frange, Domine, in me superbiam meam, quia nimiùm præsumo, nimiùm me æstimo: hinc fido meo judicio, & sequor voluntatem meam, nec subijcio me illi, quod mihi mandas; ideóque semper sum inquietus, & plenus mille erroribus. Fallit me proprium judicium modò cum affectu, modò cum sensu, aliquando cum indignatione & cholera, aliàs cum appetitu vanitatis, jam cum invidia, jam cum interesse, & aliis pravis inclinationibus, quæ oriuntur ex infelici ac terreno meo homine. Cùm volo tibi servire in eo, quod intelligo, jam tibi non placeo; quia meo judicio satisfaciens non submitto me alteri: hinc oritur, ut meæ culpæ sint inexcusabiles, cæcitas magis errans, vulnera minùs curabilia: quò enim plus mihi fido, eò minùs me cognosco, fióque damnabilior. Tu me vis in pace vivere obediendo; & ego me converto retrorsum ad bellum, agendo pro meo arbitrio. Tu vis me protegere, si me submittam; ego me ictibus inimicorum objicio per inobedientiam. Tu, cùm sino me regi ab aliis, recipis curam rerum mearum; ego non obediendo malo reddi obnoxius reddendæ rationi, & contendere tecum in judicio, Deus meus. At si intrem tecum in judicium, quid me fiet homuncione paupere, terreno, referto malis & peccatis, & qui non possum fallere purissimos oculos tuos, sicut fallo me ipsum? Converte me, Domine, & humilia in me hanc superbiam, priusquam veniat dies rationis reddendæ. Tu, qui nôsti, quantum damni faciat homo, suo arbitrio vivendo, noluisti filios Adæ fidere suo judicio; & omnes, qui se subjiciunt, illuminas, adjuvas; quia superbis resistis, & assistis humilibus. Cùm tui amore me submitto, scio me tibi placere: cùm studio te imitandi non sequor meum judicium, sed aliorum, etiam minùs intelligentium & sapientium, scio, quòd me non sinas errare. Cùm autem pudet me subijci alteri, & meum judicium præfero,

Proprium judicium fallax.

DEVS habet curam obedientiæ.

quis, ô humilis & obediens Jesu, dicet mihi, quòd satisfacerim tibi? Quando æstimo meum judicium, scandalizo, neque curo, & sperno proximum, & mihi applaudo; arrogo mihi discretionem, nec me cognosco; videor mihi securus, nec video meos errores; maneo solus absque te, & tuo lumine, & omnia tuta existimo. O Deus ac Dominus meus, qui dignaris esse meus Salvator & Salus; tu scis, quòd pejores radices ad me perdendum, sint præsumptio, existimatio & voluntas propria, & vides, quàm venenata sint hæc semina omnis mali mei. Doce me, Domine, invocare te semper cum vivo desiderio meæ salutis; quia tu es remedium horum malorum, ac solâ potenti manu tuâ curari possunt hæ plagæ, ne permittas eas inveterascere, ac proserpere.

Christus obediit etiam carnificibus.

IV. Doce me, divine Magister, perfectionem hujus divinæ virtutis tibi tam propriæ, quam assumpsisti in sociam, & qua sine omni contradictione obedivisti humillimè non Matri tantùm & Josepho, sed etiam iniquis judicibus, carnificibus & crucifixoribus, qui te injustè damnârunt, verberârunt & affixerunt. Cùm peterent manus ad ligandum, porrigebas; cùm vestem juberent induere, exuere, faciebas; sedere ad illudendum tibi, sedebas; cùm fel & acetum præberent, gustabas; cùm extendi in Cruce, parebas. Omnia faciebas ad voluntatem eorum, quasi Pater æternus loqueretur per ora eorum. Laudent te, Domine cæli & terræ, virtutes tuæ: laudent te Angeli & Sancti, & omnes vires meæ se tuę laudi impendât. Quare, ô Deus meus, non ardent interiora mea tuo amore, ex tam claro lumine purissimæ veritatis, quod mihi das? Tu horres peccatorem ut malum, vis, ut ei obediam: damnas malitiam, & vis, ut ei me subdam: Non intelligitur, Domine, quid petas à me, si in superiore quocunq; bono vel malo, non recognoscam te solum, nec aliam voluntatem quàm tuam. O Deus meus, quàm non possum expedire me ab hac servitute! quàm diligo servitutem cæcæ meæ ac deceptę voluntatis! Si mihi mandes aspera, dura, molesta, lethifera, cùm tu sis, qui mâdas, quid mali mihi potest accidere? Puto, si te viderent oculi mei, ac scirẽ te esse, qui mandas, me omnia facturũ magna cum diligentia: si ergo, Gubernator mi amantissime, ac fidelissime, tu ordinas omnia in cælo & in terra, quid refert, per quem aperias mihi

tuam

tuam voluntatem, per Angelum, an per dæmonium, per hominem bonum, an per malum? Ah mi Domine, tu vides, quàm fiam inquietus, cùm facio discrimen inter homines, qui mihi imperant. Da mihi, ut recognoscam te solum Rectorem ac Dominum; committam me manibus ac providentiæ tuæ: nam si me subjiceres hostibus meis, tu moveres cor & os eorum ad id, quod mihi magis conduceret. Si dares mihi Prælatum improbum, & mihi infensum, omnem ejus malitiam converteres in meum bonum, & ubi ipse damnum suâ malitiâ, ego lucrum facerem obedientiâ. En, Domine animæ meæ, ad tuos me pedes abjicio: rege me per quæcunque media volueris, subjice me cuicunque tibi gratius erit: quia tu in omnibus, & per omnia es meus Superior, tu suavis meus Gubernator, tu sapientissimus Magister. Tu novisti & amas me, & hoc duplici respectu me regis. Imperet mihi quævis creatura, agnoscam me indignum, cui per eam aliquid mandes, quantumvis vilem; neque ullam esse tam malam, cui non justissimè possim subjici. Sed fac, Domine, ut in omnibus tibi soli obediam, nec aliam voluntatem agnoscam, quàm tuam. Tu enim Pater misericordiarum, omnia vides & ordinas.

Obedientem non facit discrimen inter eos, qui imperant.

V. O Deus amoris, fidelissime amice animæ meæ, audi me Domine, in hac hora, & admitte supplicationem, quam offero. Id, quod super omnia exigis à me, est, ut tibi obediam: Primum, quod imperas, est, ut amem te, Deus animæ meæ, & vera vita mea. Cesset igitur tandem ista divisio, & repugnantia obediendi. Accepta, Domine, quod in hac hora volo tibi offerre, ac perfice gratiâ tuâ professionem, quam miserabile hoc cor meum nunc facit. Ego miserandus peccator, propter amorem, quo te mihi totum dedisti, generalem professionem facio, & reddo perpetuam obedientiam huic tuo amori. Accipe, spes mea, & omne bonum meum, has manus & hos pedes, hanc linguam, hos oculos, & omnes sensus meos, & totum corpus meum, voluntatem meam, memoriam, & intellectum meum, desideria, suspiria, & intentiones animæ meæ. Accipe Domine, omnes horas & momenta vitæ meæ, cum omnibus accidentibus; totum hominem interiorem & exteriorem. Tu qui dixisti, quòd sine te nihil possimus facere, & tecum manere non possimus, nisi per unionem amoris; sit hic amor tuus Superior, ac

Primum, quod Deus jubet, est Amor.

Prælatus

Prælatus hujus creaturæ tuæ: ille moveat sensus, ille potentias, & opera mea: ille sit auctor laborum & quietis meæ: ille me doceat ire & manere, ubi, & quocunque tibi sciet placere. Ardeat in corde meo, regnet in me: affligat, humiliet, elevet me: consumat in me omnes imperfectiones: constringat interiora mea, extendat angustias meas, elevet spiritum depressum, & impleat totam capacitatem meam. O divine amor, totum me posside, & abjice me quocunque vis, merge me in mari quarumlibet ærumnarum, comminue me tormentis continuis: quia tecum & in te non possum perire. Audi me, amor divine, & quia magis hoc ipse cupis, quàm ego possim desiderare, ita me transforma in te, ut non me agnoscam, nec reperiam ampliùs, nisi in te.

O Mater Dei purissima, obedientissima Domina, & Imperatrix humillima tui Unigeniti Filii ac Dei, compatere lapsibus inobedientiæ & superbiæ meæ. Obtine mihi ab ipso, ut semper faciam ejus ac tuam voluntatem, & ei totus subjiciar.

O Curia cælestis, qui regnatis in perfectissima obedientia, solvite vincula animæ meæ in libertatem, in qua degitis; & impetrate mihi remedium, ut exiens à me ipso maneam semper subjectus voluntati ejus Domini, quem vos videtis & adoratis in sæcula. Amen.

ÆRVMNA XI.

Paupertas.

I.

IESVS omnia priùs exercuit, quæ postea docuit.

QVia S. Lucas scribit cœpisse Jesum facere & docere, non temere cogitamus, quamcunque perfectionem ultimo triennio docuit, priùs exercuisse copiosissimè triginta prioribus annis, ad exemplum eorum, qui alios docent. Nam verba sine operibus citò evanescunt in animis auditorum, sed in memoria Dei manent ad condemnationem docentium: juncta verò bonis operibus, pondus apud homines habent, & meritum apud Deum ac gloriam. Ideo Dominus, licet per se dignus esset omni fide, nihilominus totis 30. annis exercere voluit, quæ tribus erat docturus. Ex quo etiam id intelligas, quàm parùm æstimationis mereantur, qui auctoritatem non quærunt ex-

Auctoritas comparanda bonis exemplis.

emplis

emplis bonæ vitæ, sed qualitate suæ personæ: quo, cùm arrogent sibi, quod soli Deo convenit, merentur, ut etiam vilipendatur eorum persona: quod etsi fortè in publico non fiat, parum tamen affert solatii reputatio externa, cùm reprehendat eos propria conscientia. Igitur ex iis, quæ docuit ultimis annis, cognoscemus aliquo modo, quæ in prioribus egerit, partim amore virtutis, partim zelo Paterni honoris, & nostræ salutis, quam summè quærebat. Cùm itaque sermo, quem habuit in monte, contineat totam ejus doctrinam, idémque incipiat à præconio paupertatis, tanquam primum locum obtinentis in perfectione evangelica, & gloria regni cælorum, colligimus meritò, quantùm eam dilexerit, utpote clarissimam sociam ejus vitæ & mortis, sine omni subsidio contra molestias, quas illa secum adducit.

Paupertas Domini Jesu.

II. Præcipuas ergo gratias ei debemus, quòd dignatus fuerit nostrâ causâ fieri pauper. Nam elegit locum, quo nasceretur, pauperrimum, & eum non proprium; Matrem inopem, nutritium fabrum; à quibus primò agnosceretur, pastores; ut pauper, est in templo præsentatus. Ultimo triennio non habuit, ubi caput reclinaret, pauperior vulpibus & aviculis, quæ foveas & nidos habent. Discipuli ejus vellebant spicas ad famem sedandam: in penu (id est, paupere sporta) pro se & omnibus discipulis habuit quondam quinque panes hordeaceos, ac duos pisces. Ibat sine pera & sacculo. Discipulos allegit pauperes, & volentes eum sequi, jussit omnia sua dare pauperibus. Veste una inconsutili ex lana alba, & alio vestimento superiore rudi fuit contentus. Mortuus est nudus in Cruce, ac depositus in alieno sepulchro. Atque ex his extremis ac primis discimus, qualis ejus fuerit media vita 30. annorum. Quantum verò in hac paupertate fuerit ærumnarum & incommodi, intelligunt, qui paupertatem experiuntur in effectu. Victus erat modicus, & parùm sæpe idoneus, qualem labore manuum parùm lucroso, comparabant ejus parentes cum ipso, magis orationi & rebus divinis, quàm vitæ commodis intenti, in quibus reponebant suas divitias. Quin Rex universorum in hoc exilio ne ipsam quidem vitam, & corpus retinuit sibi, totum se pro nobis exponens.

Paupertas maximi ad perfectionem est momenti.

III. Non utique Dominus noster tanta nobis exempla paupertatis dedisset, nisi maximi esset ea momenti ad perfectionem Christianam. Nam suam doctrinam præcipuè referebat eò, ut accenderet nos amore puro eorum, ad quæ nos sumus creati: quia in illo consistebat emendatio malorum nostrorum, quæ omnia demum resolvuntur in oblivionem & incuriam æternorum, & in affectum temporalium: quo captum cor hominis, neque credit, neque sperat altiora ac divina, neque amorem in ea vertit, quæ sola merentur amari. Unde anima separata à veris, & propriè sibi convenientibus bonis, tantò magis inhiat terrenis, quibus corrumpitur, quantò minùs potest satiari per illa, per quæ etiam magis magisque divina fastidit; ut ea demum neque gustet, nec æstimet. Ita malum oritur ex malo, amore diviso per multa minimè sufficientia; cùm unum sit necessarium, ad quod anima totum suum amorem colligens, quo solo satiari potest abundantissimè, liberatur à malis, quæ afferebat ei divisio: & sic instaurantur omnia damna interiora, ac purificatur spiritus communicatione divinorum bonorum, ad quæ fuit creatus. Cùm igitur lucrum ac damnum animæ consistat in amore unito vel disperso; Paupertas est, quæ purgat eam omni affectu terreno, ac disponit ad recipiendas divitias amoris divini, dum retrahit eam à multitudine rerum nihil ei profuturarum. Ideo Christus, qui venit in terram mittere ignem hunc amoris divini, quem optabat vehementer accendi, primas dedit Paupertati, velut proprio ministro & executori consiliorum ac destinationum suarum. Cui etiam perfectissimis exemplis, & gravissimis adhortationibus, studuit apud nos auctoritatem creare, & accessum parare ad animos nostros, dicendo; *Nolite soliciti esse, &c. Beati pauperes spiritu, &c.* Hanc S. Augustinus Humilitatem vocavit, quia destruit superbiam nostram, quâ confidimus in rebus terrenis, & incidimus in quævis peccata: & ait compleri primo dono Spiritûs Sancti, quod est donum timoris filialis, caventis, ne unquam separetur à Deo, per affectum rei ipsi adversæ; ideóque animum semper purgat ac retrahit à terrenis.

IV. In hoc fundatæ sunt Religiones, quarum omnium unus est finis, modus in usu rerum diversus. Ecclesia præfert eas, quæ strictiorem profitentur; quia judicat opulentiores in amore divino,

divino magísque idoneas ad ejus conſervationem. Sanè ſpeculum Veritatis æternæ, in quo ſunt recluſi omnes theſauri divinorum bonorum, quæ deſiderare poſſumus & capere, veniens ad nos, ut eſſet nobis vicinior ac tractabilior, omnino fuit inops in vita & morte, ut nihil in eo videremus, niſi ipſum, neque aliud quæreremus in ipſo: ſicut & ille nihil aliud ſpectavit & quæſivit, quàm nos & cor noſtrum, ut meritò alia omnia judicemus indigna noſtro amore. Unde reipſa Paupertas Spiritûs eſt immunitas ab affectu rerum vilium, & nullius pretii, ut divites ſimus ejus, quæ à nemine ſatis poteſt æſtimari. Hinc Sancti illuminati à Deo, ſe in copia rerum terrenarum judicabant egenos, divites autem in earum penuria; quia videlicet nulla earum tanta eſt, ut ſatisfaciat cordi noſtro (etiamſi omnes in unum cumulum convenirent) ſicut ea, quæ poſſidentur in Deo. Quare paupertas Spiritûs magis abundantia dicenda eſſet, quàm paupertas: ſed Chriſtus nomine hominibus noto eſt uſus, ut poſſet intelligi. Experientia generalis eſt, quòd nullus putet facere ſe multum, niſi, qui ad nihil faciendum eſt aptus: & qui ad multum faciendum eſt aptus, putet ſe facere parum. Ita liberalis putat ſemper ſe dare parum, avarus multum: guloſus miratur, unius diei jejunio ſe non mori: cholericus, ſi eum, à quo eſt læſus, non perimat: prodigus, ſe Jobo plus pati, ſi uno die careat pecunia ad ludendum: ita pauper ſpiritu putat ſe prodigum eſſe, cum rebus modicis utitur ad neceſſitatem: patiens iracundum, ſi ſenſum in ſe notet illatæ injuriæ: temperans guloſum, ſi quando non jejunet. Idem fit in aliis rebus, de quibus judicamus ex nobis, quaſi eſſent eodem modo in Sanctis. Miramur paupertatem ſancti Franciſci, cùm tenemur affectu temporalium: qui verò guſtârunt ejus ſpiritualem dulcedinem, mirantur, eum retinuiſſe etiam hos pannos, quibus ſe tegebat. Sic ergo de ſpiritûs paupertate judicamus adhuc affecti rebus terrenis, quaſi foret inopia, & ſic eam appetimus: poſteaquam verò nos poſſedit amor divinus, in ea reperimus divitias ſpiritûs.

Paupertas ſpiritûs eſt libertas ab affectu rerum vilium.

V. Duo ſunt in Eccleſia ſtatus pauperum: primus eorum, qui in affluentia rerum, liberum habent ab eis affectum. Secundus per votum ſe abdicat rebus terrenis, ut liberè Deo poſſit va-

Duo ſtatus pauperum.

care. Porrò Deus meritò punit eos, qui rebus terrenis abutuntur ad peccata, quibus oportuit ad virtutem & merita: unde etiam noſtram infirmitatem agnoſcens, non dat ferè majorem copiam rerum, quàm ſit opus ad ſuſtentationem & occaſionem meritorum in cælo: qua de cauſa permittit etiam, ut multi ſint pauperes, quorum miſeratione divites adjuventur. Fecit tamen, ut inter eos eſſent viri valde perfecti, ſicut in quolibet ſtatu Eccleſiæ; ne, qui perfectionem profitentur, ſe efferant, néve alii haberent excuſationem. Sic Abraham excelluit obedientiâ, Suſanna caſtitate, Job paupertate in mediis opibus & conjugio. Duo verò extrema ſunt eis vitanda, qui ſunt in primo ſtatu, prodigalitas & avaritia: ſed hæc illâ videtur peior multis nominibus. Prodigus enim benefacit & ſatisfacit multis; avarus nec ſibi. Prodigus non ſic adhæret divitiis, ut avarus, ſed aliis vitiis, quibus ſine dubio indulgeret etiam avarus, propter quæ ille opes profundit, ſi poſſet ſine expenſis. Prodigus facit multos amicos, & utitur ſuis fortunis; avarus ſemper eſt miſer, & ſine amico. Prodigus emendatur faciliùs, cùm inſtrumenta cupiditatum defecerint; avarus nunquam fit ſatur: ac ſi velit ad Deum converti, magnum impedimentum habet à rebus terrenis, quibus prodigus caret: unde & Evangelico illi pauperies fuit ſtimulus ad pœnitentiam; ille verò, qui multas habebat opes, à Domino abiit mœrens. Qui in ſecundo ſtatu ſunt, meminerint, ſuas divitias eſſe pauperem Jesum: hic iis, qui toto corde renunciant, omnibus eſt liber ſcriptus intus & foris, in quo legunt hanc puram veritatem: ſed iis, qui non toto corde id faciunt, eſt liber clauſus & obſignatus ſeptem ſigillis, ut ab eis legi & agnoſci non poſſit: unde ſic turbantur, negatâ vel ablatâ eis re modicâ, ad quam afficiuntur, ſicut avarus amiſſo theſauro; tantò remotiores à puritate amoris divini, quantò minùs fideles in modico. Sanè, qui non eſt deditus orationi, & familiaritati cum Deo, non poteſt eſſe verè pauper ſpiritu: quia illa hominem ſeparat à terrenis, & amorem divinum purificat. Et quamvis conſcientiæ ſuæ ſatisfaciant, omnem proprietatem vitando, non tamen perveniunt ad perfectionem hujus virtutis heroicæ, neque gaudent ejus divitiis, niſi agant familiari-

Avarus pejor prodigo.

Spiritu pauper non eſt, qui orationi non ſtudet.

miliariter cum eo, qui suâ præsentiâ consumit ac destruit omnes affectus terrenos. Et illi quidem, qui sunt verè pauperes spiritu, ædificant in auro, argento, & lapidibus pretiosis; cæteri verò in fœno & stipula: salvi erunt ambo, sed hi posteriores quasi per ignem, & sicut ij, qui evadunt ex magno incendio. Nam uniuscuiusque opus ignis probabit, & omnia terrena consumenda sunt igni, sive divini amoris, sive judicii. Præterit figura hujus mundi: felix, qui sua lucra collocavit in tuto, ubi consumi non possunt.

EXERCITIUM
Circa Paupertatem Domini JESU.

I.

THesaure divitiarum cælestium, & æternæ gloriæ, abundantia perfecta omnium, qui te desiderant, JESU, DEUS meus, Rex meus, & omnipotens Dominus meus, unicum bonum meum & omnis magnitudo mea! cognoscat te cor meum: & intelligat Spiritus meus lumine tuo divino desideria hujus æterni amoris, quem erga me geris. Fac, Domine, ut amem, quod mihi das intelligere, ut conformato corde meo cum tuo, vivas in me, & ego in te. Infinitas tibi gratias ago, quòd velis esse totum bonum meum, & tota mea ditissima felicitas. In te habeo omnia securè; quia tam altus es, ut nihil mali possit ad te accedere; tam potens, ut nihil tibi deesse; tam dives, ut nulla inopia, nec miseria inveniatur in te. Habes multò plus, quàm ego possim intelligere: promittis plus quàm possim desiderare: & in omnibus multò major es, quàm ego possim comprehendere; & in te, in quo se anima mea potest dilatare & saturare, ita reposuisti perfectam felicitatem meam, ut extra te nihil reperiam, nisi miserias. Si ergo tu, Domine, ita vis, quomodo possum ego aliter velle? Accepto, Domine, hunc tantum & incomparabilem favorem: doce me tu illum desiderare, amare ac possidere: separa cor meum ab omni re terrena: spolia sensus meos gustu omnium, quæ me non elevant, & uniunt tecum. Libera spiritum meum à vilitatibus, quæ hactenus tenuerunt eum captivum: perfice capacitatem hujus animæ, quam ad tuam mensuram fecisti, ut tu sis in me, quod esse vis: & ego ad te solum suspirem,

IESVS nostra divitia.

ſpirem, qui es totum bonum meum; te ſolum amplectar. O unicum & grande bonum meum! ô quàm ſecurum, quàm infinitum, quàm ſublime ac verum bonum! Totus es meus, quia nihil tui mihi negas: magnum, quia divinum bonum es: bonum, quia fons bonitatis, tam meum proprium, ut nullo jure, nulla ratione, nulla vi mihi poſſis adimi, niſi ipſe voluero. Conſumatur anima mea tota in te: convertantur omnia interiora mea in te: occupentur omnes vires meæ in te, quia non poſſum velle majus bonum, nec invenire ullum bonum, quod mihi imaginer extra te. Altas radices agat in me, Deus meus, amor tuus, ne me pondus carnis ſejungat à te; nec rapiat me ad ſe venenoſus torrens rerum hujus miſerabilis vitæ, ne me invadat, ac tuo amore privet ullus affectus terrenus; & quia tu es totum bonum meum, nihil ampliùs mihi deeſt, quàm ut defendar ab omni eo, quod ſejungit à te.

IESVS ideo nudus & inops fuit,

11. Infinitas tibi gratias ago, Deus meus, quòd, ut liberares me ab omni eo, quo poſſem ſeparari à te, nihil volueris in hac vita habere proprium; ut, cùm te aſpicerem, non aliud viderem, quàm te ſolum, cui debeo totum cor meum, & qui ſolus mereris amorem hujus animæ. Quidquid in cælo ac terra, tuum eſt; omnia moventur ac reguntur tuo nutu & imperio: non potes dimittere dominium; & ſi in hac vita convertiſſes omnia in tua ſervitia, non eſſes ideo ditior; nec ego potuiſſem inde ſumere exemplum, niſi appetendi multa terrena; & tamen appeterem aliena, quia tu fuiſſes dominus omnium. Sed tu noluiſti uti illis, quibus juſtiſſimè uti poteras, tanquam propriis, ne mea cæcitas deciperetur in te. Natus es nudus, vitam duxiſti in ſumma inopia, & nudus es mortuus: ſponte renunciâſti omnibus, quæ tua erant, ut vives in paupertate ſine ullo bono temporali; adeò, ut nec lapidem haberes, in quem reclinares caput; nec linamentum, in quo ſepelireris. Si deeſſet victus, tolerabas, ut pauper; ſi præberetur, gratias agebas, ut pauper. Ex inopia incedebas nudis pedibus; ſi non daretur eleemoſyna, non querulabaris: demum ad pedes Crucis ſpoliatus es veſtibus, quæ mox aliorum præda fuerunt. In cruce pependiſti cum patientia ſine refocillatione: derelictus fuiſti ſine lamentatione, quaſi qui nihil habuit proprium. O mi pauper Jesu,

Vt apud eum nihil præter ipſum

adeò

adeóne tibi desunt omnia, cùm tua sit terra! An ideo deficiunt omnia, ut ego nihil inveniam in te, cui assimiler, nisi te ipsum? Hanc humanitatem inopem omnium relinquis mihi, plenam divitiis tuæ divinitatis, ô Fili Dei vivi, & vere fili Adæ! & nihil ampliùs, quàm naturam tuam & meam; ut in hac unione & amore puro, sine mixtura rei terrenæ vivam in te ac de te. Adoro te unicum Bonum meum; adoro te perfectum Bonum meum, & mea singularis Opulentia. *quæramus:*

III. Ah Domine mi, miserere mei! compatere, Domine, vilitati meæ, ut teneam te separatum ab omni re, & me totum tibi impendam. Sed ego miser dimitto te, & submitto me his, quæ tu abjicis. Insatiabili fame curro ad fimetum, cogitans me inventurum satietatem extra te, & quasi canis semper ad pejora revertor. Quid boni potest mihi dare bona tractatio corporis, quam tu recusâsti? favor hominum, quem tu spreviſti? copia temporalium, cui tu renunciâsti? occupationes terrenæ & alia omnia, quibus tu voluisti carere? Tu, Domine, cui debebantur omnia, & cui nihil poterat nocere, meliorem judicâsti penuriam abundantiâ, & hoc tantùm amore mei: & ego in earum rerum defectu duco me infelicem, beatum autem in abundantia earum sine te. Heu quàm cæcus & miser sum! Me temporalia dementant & opes affecto, quæ adimunt mihi amorem, quem debeo tibi: faciunt me egenum tui, tuorúmque purissimorum ac divinorum bonorum: deturbant me ad spurcissima, & nihilominus, quando mihi desunt, me judico pauperem; divitem verò, cùm affluunt. O bone Jesu, hæc est causſa, cur te non possim amare, nec æstimare; quòd amorem & æstimationem convertam in res, quas tu noluisti habere. Si nihil eorum, quæ amo, apud te est, quomodo in iis te reperiam? O Bonitas infinita, quæ non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quid possum facere sine te? Tu non voluisti pauper esse, ut aliquid mihi desit in te, sed ut sciam, me sine te divitem esse non posse. Et hoc ipsum quod tu vis, in me facere debet tua paupertas. Tu vides, quòd cùm aliquid ex terra possideo cum affectu, vel cum desiderio inordinato procuro, ibi detineam meum intellectum, illo delecter, eò ferant me cogitationes, *quia præter ipsum nihil sufficit nobis,* *sed officit magis.*

gitationes, & quietem non habeam: ac dum versor in his, tui non meminerim; non possim orare in Spiritu & veritate; obliviscar obligationis te amandi; recusem accipere bona spiritualia, quæ mihi dare cupis; & quod sine pudore confiteri non debeo coram oculis tuis, sic imbuatur appetitus meus re quacunque, magnâ vel parvâ coram mundo, ut, cùm volo tui recordari, me inveniam captum meis miseriis, & talem, ut oculos ad cælum levare non audeam. Una res nihili me capit, ut puerum: feror desideriis velut ægrotus, & quælibet oblectatiuncula me afficit, nescio quo modo: quia tales sunt meæ miseriæ, ut nec habeant nomen, nec substantiam, necaliud sit in eis, quàm virus ad me necandum, catenæ ad me vinciendum, funes ad ligandum, & ad nescio quomodo abstrahendum à te: & quod pejus est, intricatus his rebus, non video peccata, tentationes, inquietudines vitæ, quas incurrens non sentio, nisi quando me reperio perditum, & absque viribus. Tu Domine, vides & consideras; qui solus potes mederi. O pauper Jesu, Redemptor mi, miserere hujus paupertatis meæ. Hæc est, quam non vis me habere: hæc est, quam horres, quia per eam te perdo. Fateor me non esse nudatum omnibus, ut oporteret: sed qualiscunque sum, me ad tuos pedes abjicio: solve meas catenas, rumpe laqueos terrenorum affectuum: da mihi Spiritum fortem & horrorem omnium, quæ recusâsti in hâc vita: recollige in te omnes cogitationes meas; quia tu es verus Medicus animæ meæ.

IEsus nihil cupit, nisi cor nostrũ.

IV. Divina Lux, ac dives Bonitas pauperis animæ meæ, audi eam, Domine, & responde illi interiùs. Loquere mihi æternum Dei Verbum, & instrue meum desiderium, quod vis, ut petam à te. Forsan, Domine quia nulla res tibi placet, ac tantopere diligis inopiam omnium rerum, etiam respuis cor meum, ut terrenorum nihil penitùs habeas? Ah cor mei cordis! Ah anima animæ meæ, & Vita vitæ meæ! cor meum hoc negat, nec mihi diceret, nisi tu id ipsum doceres. Omnia alia vis à te abesse, tantùm ut mecum sis. Fis Pauper, ut cor meum suppleat defectum omnium: cùm tibi defuerint omnia, vis tu sustentari de me, vestiri de me, quiescere in me, & me solo contentus es in penuria omnium.

am. Ideo pauper es, ut quodvis cor egenum cogitet, se posse te recipere. Veni, ô bone Jesu, veni mi paupercule! reclina caput in hoc paupere corde, recipe te in nidulum hujus meæ pauperis animæ. Non dicas ampliùs, te non habere, quò te recipias, posteaquam me habes. Recordare, Domine, quòd, quando pauper degebas in hoc mundo, Matthæus Publicanus te invitavit ad manducandum cum peccatoribus, egentibus tuorum bonorum, sicut ego sum; & tu fueris contentus illis, nihil curans murmura magnatum & divitum, qui te taxabant. Desiderabat quondam Zachæus peccator te videre; tu, ut ei cumulatè satisfaceres, te ultrò invitâsti in domum ejus, & ei contulisti salutem. Magdalena te quondam quæsivit in aliena domo, ubi sanctificata est; & tu postea domum ejus frequentâsti tanquam tuam. Cùm nihil velles habere, vocâsti omnes oneratos & afflictos, & qui erant longè à te; & promisisti, te illos velle reficere. Tantùm desideras amari à cordibus nostris, de cetero carens aliis omnibus. Quid ergo, Domine, me detinet, quid impedit, ne habeam locum prope te?

Ego quidem non sum dignus, ut intres in hanc animam, sed tu non obstante meâ vilitate me vocâsti. Et cùm diceres, in Cruce te omnia tracturum ad te, me non excepisti. Quia ergo, Domine, non minùs sum tuus, quàm isti omnes, utpote magis debilis ac cæcus, qui nesciam, quò, vel quâ mihi eundum sit; veni tu in hanc animam, quæ te desiderat, & si ulla alia, pauper & misera est. Ah Domine, verum Bonum meum! vide, quòd nullum unquam genus pauperum despexeris. Natus es in sancta paupertate: voluisti pauper mori in Cruce: elegisti pauperes & simplices pastores, discipulos imperfectos ac pauperes: vocâsti peccatores, & spiritualiter attraxisti: inter duos latrones pauperrimos voluisti vitam finire. Omnis pauperies tibi placuit, sive ad exercendum, sive ad medendum ac ditandum. Quomodo ergo excludat ego, pauperior latronibus? pro te pauper sum satis, ô bone Jesu! & habeo justam actionem pro tua societate. Recipe me, pauper Domine, in socium: habes in me, quod sanes, quod dites. Possidе animam meam; ut ipsa te amet, & tu glorificeris in me.

Jesus amat omne genus pauperum.

V. O mi pauper Domine, mi pauper Salvator! video te pauperem, & nescio, quid sentiat cor hoc pauper, ut nequeam separari à te. Nescio, quam magnitudinem video in ista tua pauperie. Adoro te quantùm possum: da mihi amare te, quantùm debeo. Totum id, quo indiges, depauperat animas, quæ inordinato affectu id possident; qui verò despiciunt & abjiciunt, eos tu consolaris ac ditas. Animæ tuorum pauperum plenæ sunt luce accensâ à te: plenæ sapientiâ, magistro tuo spiritu: plenæ bonis divinis, quæ dici & æstimari non possunt: sunt contentissimæ sine ulla cogitatione turbante, in perpetua quiete & pace: constitutæ in terra versantur in cælo, & in corpore luteo degunt vitam Angelicam. Hi pauperes habent eum gustum & satisfactionem, quam cæci sæculares quærunt, nec inveniunt: sunt omnium Domini, cùm nihil habeant. Ipsi soli inter miserias terrenas cognoscunt sublimitatem animi, & ea gaudent: tanquam propriâ utuntur potestate contra quosvis inimicos; & cùm in oculis mundi sint vilissimi vermes, in tuis divinis sunt Principes ac domini; contemnunt ea, quæ æstimat mundus, à quo ipsi spernuntur. Semper fruuntur tuis epulis spiritualibus, nec volunt aliam escam in mundo, quàm cælestem.

Paupertatis excellentia.

O quando, bone Jesu, procul ab omni voluptate, dives in te, & immersus pelago divitiarum tuarum, dicam tibi: Pater mi, divitiæ meæ, satietas mea, felicitas mea! Tu quidem semper hoc es, at ego id sentio tantùm, quando tu vis; quando tangis interiùs hanc animam, & elevas eam supra tenebras rerum terrenarum, & consumis omnia desideria ex illis oborta. O quantùm tunc differt cognitio cordis mei, cùm te cognoscendo, amando ac desiderando dicit: Deus meus, amor meus, divitiæ meæ, confortatio mea, & omnis voluptas mea! quia tunc gustat te, ut rem suam, nec aliud habet in corde. Discede à me, terra: dimittite me terrenæ & viles cogitationes: procul à me amici, cogitationes, desideria, & miseriæ terrenæ: sinite me complecti meum pauperem Jesum. O Jesu mi, ô mi Jesu, ô Jesu mi, ô amor mi!

VI. In te, bone Jesu, collocavi spem meam; quia tu meus es, ac tota fortitudo mea: in te confido, in te amitto omnem timorem, nec potero unquam confundi, aut erubescere, quòd te amave-

amaverim, tibi crediderim, & omnia pro te reliquerim. Quia si omnia consurgant in me, tu defendes me. Tua Bonitas, quæ amat paupertatem spiritûs, eâque me ditat, liberabit me ab omni malo, languore ac perturbatione. *& fiducia in Domino IESV.*

Audi, Domine, cordis mei voces, præbe aures desideriis animæ te amantis: accelera, ut eruas me ab his, quæ me sejungunt à te, & ab omnibus fallaciis mundi. Ad te convertor, te eligo pro meo summo thesauro. Confunde tu omnes, qui volunt obscurare hanc lucem, ut me abstrahant à te, & has divitias mihi eripiant. Esto tu DEUS meus, sicuti jam es, nec sinas me aliud amare affectu, quem debeo tibi soli, DEUS meus. Sis tu protectio mea, ut es; nec permitte, ut spem reponam in alio. Sis tu defensio mea, refugium meum, salus mea: quia tu, Domine, solus habes potentiam pro omnibus, quandoquidem in te sita est omnis bonitas, omnis copia, omnis fortitudo mea. Cùm jubes, ut velim te sequi, ac dimittere omnia tui amore, bene scis debilitatem meam: & propterea tunc obligas te, ut sis fortitudo mea, ut sis refugium meum in omnibus necessitatibus: obligas te, ut non attendas merita mea, sed magnitudinem Nominis tui, bonitatis tuæ, & misericordiæ tuæ, ut deducas & enutrias me juxta beneplacitum tuum, non juxta meritum meum. O Bone JESU, vivo securè in his brachiis, in hoc amore, quo me portas, quo educis infirmitatem meam à laqueis, quos absconderunt mihi inimici mei; quo non constituisti te protectorem meum, nisi, ut non timeat caro mea, cùm debilitatur ex paupertate & inopia; neque ab infirmitate, cùm despero, posse necessitati occurrere; neque à mundo, cùm ab eo contemnor, ut insipiens, quòd sequar te; neque à dæmone, cùm tentat me variis modis. Vis, ut amando & imitando te, vivam securus in te, qui gratiam das ad omnia, quæ præcipis, & omnipotens es ad me tuendum.

Ergo, Domine DEUS meus, cum omnibus meis miseriis, peccatis & infirmitatibus, & cum bonis desideriis, quæ mihi das, projicio me in hæc paterna brachia; & in has manus, quæ me formârunt, depono spiritum meum, quem ad imaginem & similitudinem tuam fecisti. Reforma eum tu sapientiâ tuâ, & veritate tuâ,

quam docuisti me, & mundus non capit. Da ut eam intelligam, sicut oportet; fac, ut eam adamem, sicut tu cupis; & exequar, sicut ordinâsti. Non mihi desit hæc manus, sine qua nihil possum, ut eâ juvante pauper ac separatus ab omnibus, quæ à te separant, vivam solùm ex bonis & divitiis spiritualibus, quas ipsa continet & impertit.

O sanctissima Dei Mater, pauperrima imitatrix pauperis Jesu, ac ditissima thesauraria donorum ejus! tu non ita es Domina pauperum, ut abjicias peccatores: impetra mihi spiritum, qui per paupertatem tibi contulit tantas divitias. Adjuvate beati Cælites hunc pauperculum, ne amet temporalia, sed ut possit vobiscum potiri æternis. Amen.

ÆRVMNA XII.

Ex Austeritate vitæ Domini IESV.

I.

Paupertatis pedisequa Rigor & Pœnitentia.

Vita Paupertatis voluntariæ secum trahit virtutem *Pœnitentiæ, & Austeritatem corporis.* Sancti, qui fuerunt pauperes spiritu, & qui pauperes etiam corpore, amore Dei renunciârunt bonis temporalibus, ut expedirent se laqueis, quos dæmon & natura tendunt contra istam virtutem: adjunxerunt austeritatem vitæ ac pœnitentiæ; quamvis diverso modo pro suis quisque viribus, ut redigerent corpus in servitutem spiritûs, & refrenarent ejus appetitus; simúlque meliùs exercerent odium corporis, quod Christus docuit pro salute animæ. Eadem virtus in perfectissimo gradu comitata est Christum, donec vixit in mundo; qui licet non habuerit causam mortificandi corpus, per omnia semper obedientissimum spiritui; nihilominus omnium virtutum, præsertim majoris momenti, exempla perfectissima relinquere voluit, quamvis Majestati personæ suæ minùs congruerent. Cùm enim suscepisset in se onus satis faciendi pro nobis, ut in passione nihil tormentorũ refugit, sic in omni vita sua semper misit manum suam ad opera magis dura & laboriosa, quibus affligi posset sua Humanitas. Videbat, ut Redemptor peccatorum, quàm necessaria esset eis pœnitentia; & ideo cùm

Dominus IESVS & Pœnitentiam

interna,

interna, quæ in dolore propriorum peccatorum consistit, in eo locum non haberet, amplecti, docere & commendare voluit externam, tanquam salutiferam tabulam in naufragio, quæ in austeritate vitæ est sita, eam suâ austeritate dignificans & sanctificans.

II. Multi Sancti vitam Christo austeriorem duxerunt, ut Joannes, qui neque veste neque cibo humano est usus; atque ideo apud rude vulgus, qui pessimus est judex veri valoris rerum, majore in admiratione fuit: sicut etiam perversi Pharisæi taxabant Christum, quòd manducaret, & biberet vinum cum peccatoribus. Nihilominus omnium Sanctorum austeritas, quantumvis major, multò tamen fuit imperfectior, quàm Christi. Nam apud illos pœnitentia fungebatur officio viliore, quasi chirurgi propriarum plagarum, refrenando inordinationem naturæ, reprimendo appetitus, & exscindendo radices pravorum affectuum. At in Christo operabatur efficaciam, & valorem pœnitentiæ Sanctorum, & merebatur copiosissimam gratiam & divitias pœnitentium. Finis & perfectio ejus in Sanctis erat, liberare eos à rebus, impedientibus puritatem amoris divini, & eandem conservare: sed in Christo proveniebat ex amore perfectissimo, & infinita charitate. Verbo, pœnitentia Sanctorum est cauterium peccatorum; Christi, est unguentum eorum. Conveniebat ergo, ut in Sanctis esset magis austera, in Christo magis exemplaris & imitabilis. Neque enim ostendere voluit eminentiam in ullare, nisi quam nos imitari non voluit, nec decuit; ut erat Majestas in patrandis miraculis, auctoritas in docendo & agendo. Sed in quibus nos obligavit, vel invitavit ad imitandum, exhibuit foris modum communem vitæ sanctæ, sine magnis extremis, ut nostra debilitas non desperaret; & sine remissione, ut inordinatio naturæ semper esset sub freno. Vestiebatur lanâ, vescebatur sine inventionibus provocantibus gulam, pane hordeaceo plerumque contentus, & aqua: si quando invitatus ab alio relaxâsset non nihil, mox resumebat consuetum rigorem: lectus ei terra fuit, pulvinus aliquid non molle: nec plus dormiebat, quàm strictè necessarium erat servandæ naturæ: neque ullo miraculo supplebat defectus, ne veritati

& rigorem vitæ magis coluit.

quàm ullus Sanctorum.

naturæ humanæ fidem adimeret. Et inter hæc omnia corpus ei fuit semper obedientissimum ad omnes labores, itinera, vigilias, orationes prolixas, diu noctúque, jejunia continua, tolerantiam frigoris & æstus. An etiam ciliciis & flagellis sit usus, haud constat: amorem ejus non superabant hæc talia; quæ si non adhibuit, aliis multis liberaliter compensavit.

Gravitas peccati satis à nobis agnosci non potest.

III. Quomodo sit imitandus à quolibet in hac virtute, non facile est definire, quia non omnium sunt vires æquales. Præcipua pars Pœnitentiæ est dolor internus de peccatis comissis, & eorum detestatio: in quo quidem excedi non potest; quia crescit in anima cum lumine dato à DEO, & cum eo crescit amor divinus. Nec potest in hoc mundo gravitas peccati satis agnosci, ut neque DEUS satis amari pro merito: contentus tamen est DEUS pro sua misericordia, ut agnoscamus eam ac detestemur pro mensura luminis & gratiæ nobis concessæ à sua divina Majestate: tenemur hunc dolorem procurare per Sacramenta, & exercitia spiritualia, in quibus negligentia non potest carere gravi salutis periculo. Sanè veram pœnitentiam non habet, quem agnitio peccati non avellit ab occasione peccandi; qui non verè confitetur, vel ei, quem putat rem intelligere, vel leniter dissimulare, sine cura emendationis, & castigationis necessariæ; qui non refrenat libertatem & inclinationem peccandi: quia hæc sunt signa radicati amoris erga peccatum, & quòd illud non sentiatur, sic oportet. Quod experientia docet in juvenibus, in quibus paucissimi verè pœnitentes: quia rarò verè detestantur sua peccata, & inclinationes.

Juvenes rarò sunt verè pœnitentes.

Signa veræ pœnitentiæ.

Veræ autem pœnitentiæ signum est, secundùm S. Hieronymum, quando tantus est dolor, quantus fuit gustus peccati: secundùm S. Ambrosium, quando quis odio culpæ, libenter suffert confusionem & injurias pro ea, quam intulit DEO peccando: secundùm Taulerum, quando quis vera & voluntaria submissione, non minùs vult & quærit pœnam & castigationem à DEO, quam veniam. Et ista quidem pœnitentia perfecta est: ad quam, quia non ita facile pervenitur, ideo dictum est, *de propitiato peccato noli esse sine metu.* non quòd DEUS sit denuo petiturus rationem de peccato semel remisso, sed ne propter securitatem remissionis obtentæ rursum peccemus:

peccemus: quandoquidem sine speciali revelatione, de venia obtenta non securitatem, sed fiduciam habemus, fundatam in sanctis conjecturis, ex bono animo usurpatis à Deo præscriptis: in quibus tamen ipsis certi non sumus, an debitam diligentiam adhibuerimus, ut securè degamus; ideóque semper deploranda sunt peccata commissa, & magnâ diligentiâ contra malas inclinationes vigilandum, ne incidamus in nova, si non per pœnitentiam eas aboleverimus. Cùm enim videamus etiam post pœnitentiam nos incitari per eas in malum, meritò cum humilitate cogitamus, quòd peccata non sufficienter oderimus, ut refrenentur & purgentur mala, ex iis relicta in anima.

Pœnitentia usque ad mortem durat oportet.

Et hinc dicunt Sancti, pœnitentiam debere durare usque ad mortem: quia tam grave malum est culpa, ut nemo cogitare debeat, satisfieri pro ea dolore minùs, quàm ad mortem usque durante. Deus enim illam remittendo, non liberat ab obligatione eam detestandi; quæ quidem obligatio durat usque ad mortem. Ubi apparet discrimen inter pœnitentiam Sanctorum. Illi quò magis satisfecerunt pro suis peccatis, eò minùs satisfaciunt suo dolori & sensui, quo illa deplorant, detestantur, fugiunt, metuunt: isti verò, quò minus ea agnoscunt, eò confidunt magis de venia obtenta, & negligentiùs vivunt, minoríque cautela. Considerent hi, quid egerit ac pertulerit Christus, pro venia nobis impetranda; & videbunt se longè majoris metûs, quàm securitatis causam habere. Videant in hoc divino speculo tria signa, quæ memoravimus veræ Pœnitentiæ: deprehendent, nullum etiam effrenatissimum peccatorem tantum habuisse delectationis in peccato, quantus fuit dolor pro ipsis ac sensus Christi: tantam fuisse confusionem, quam pertulit Christus & injurias, quantùm nullus etiam vanissimus cupit honorari in mundo: denique illum noluisse gratis condonari peccata à Patre, sed voluisse veniam obtinere justis meritis ac supplicíis, ad quæ se obtulit. Atque adeò eum non fidere voluisse nostris pravis inclinationibus, sed ut juvaret nos suis doloribus, Sacramentis vim dedisse, sanctificâsse opera Pœnitentiæ, ut haberemus in promptu semper media pugnandi cum illis. Si quis igitur unquam fuerit verus æstimator peccati, non cessabit deplorare totâ vitâ,

tâ vitâ, tam suâ, quàm aliorum omnium peccata & periculsa peccandi. Hæc ergo duo discamus, 1. Ut viva fide confidamus de venia, si convertamur ad Pœnitentiam. 2. Amoris Deo debiti esse, ut semper retineamus dolorem ac sensum peccati admissi, ne reincidamus.

Regula austeritatis discreta.

IV. *Externa pœnitentia*, sive *austeritas corporis* omnibus imitanda quidem, sed cum discretione, pro cujusque viribus, conditione ac statu: quamvis in dubio sit tutius, declinare in majorem rigorem. Prodesse communiter poterunt hæ regulæ. 1. Primò corpus ex necessitate gubernandum, non ex appetitu. Curandum autem, ut agnoscatur vera necessitas, juxta proprium statum. Errant enim Religiosi, qui necessitatis prætextu, ex occasione alicujus infirmitatis, exquisita & superflua sibi procurant, non sine periculo paupertatis, fomento gulæ, blandimento carnis, debilitatione spiritûs, solicitudine procurandi, servandi, renovatione secularis affectus, læsione charitatis; dum alius esurit, alius autem ebrius est. Denique perit libertas spiritûs, dum obligantur talia suppeditantibus; & plerumque tales sunt sine oratione ac spiritu, ceterisque bonis illi connexis. At apud sæculares, dum appetitum præ necessitate sequuntur, mala & peccata proveniunt sine numero. 2. Quilibet ergo informet fideliter suum directorem Spiritualem, & illi obediat. Secundò. Timidè & parcè indulgenda sunt naturæ, ad quæ malè propendet. Unde propensiones hæ diligenter notandæ: nam ab his oriuntur excessus. 3. Tertiò. Attendendum profectui spirituali, sempérque cogitandum, te minus facere, quàm posses. Fallit enim se ipsum, qui putat se plus facere. Unde majore cum timore utéris necessariis, ac minùs liberè. 4. Quartò. Id genus austeritatis est magis sequendum, quod aptius est ad corrigendum vitium, in quod sæpius incidis, vel ad quod magis propendes. Nam libertas linguæ meliùs curatur silentio, quàm jejunio: luxuria meliùs custodiâ sensuum, & occupatione cum Deo, quàm silentio. Ac proinde, qui aliter agunt, etiam plurima austeritate meliores non fiunt. 5. Quintò. Id genus pœnitentiæ, quod in jejuniis, vigiliis, ciliciis, disciplinis, duritia lecti, & vestium consistit, salutare est, cùm ex præcepto Ecclesiæ, suive statûs, aut consilio prudenti suscipitur: noxium,

noxium, si impediat functiones necessarias: malum, si ex proprio arbitrio; tantò verò laudabiliùs, quantò meliùs subigit carnem spiritui, modò aliæ austeritates majoris momenti conjunctæ sint. 6. Securior & necessarius est rigor, quo refrenantur sensus, aures, oculi, lingua, conversatio, otiositas, iræ, occasiones peccandi, propria voluntas & judicium, opinio & existimatio propria. Atque hic rigor exercetur sine periculo, & omni excessu, qui non possit facilè corrigi. Et hunc multò magis refugit caro, quàm priorem illum externum: eum enim tandem non sentit ampliùs; sed interiorem non potest non valde sentire. 7. Præcipua verò austeritas in perpetua animi collectione, & continua oratione consistit. Quod apud Sanctos & expertos certissimum est, ac patet in iis, qui malunt quemvis exteriorem laborem subire, quàm tantundem temporis orationi impendere: quia in illa constringitur libertas cogitandi, quod natura maximè refugit; castigantur appetitus, & omnis eorum inordinatio; ligatur voluntas, ne feratur in ea, quæ desiderat; cogitur esse sub jugo, ne det aditum rebus cor perturbantibus: denique totus homo in oratione vincîtur undique, tanquam captivus, neque ulla res degustatur, quæ in desiderio est: corpus impeditur, ne possit prosequi sua vota, nec sublevatur ejus indispositio, nihilque permittitur ei, quod solebat antea facere pro libitu. Et quamvis tandem longo usu perveniatur ad vitam quietam, hilarem, plenam solatij & suavitatis ex amore divino, corpúsque pareat spiritui: sic tamen debilitatur, fatigatur, destruitur, ut quandoque indigeat refocillatione; quam tamen ipsam tantùm accipit modicè, ut pergere possit in morte continua, in qua vivit: atque ita nihil officit animæ. Utinam hoc genus austeritatis adament, qui diligunt mortificationem ac pœnitentiam! plus ex eo solo capient utilitatis, quàm potuissent unquam optare. Securè illud arripient, quicunque per vires, vel ratione sui statûs, corporis austeritatem sectari non possunt: quia sic nihilominus erit virtus pœnitentiæ apud eos debito loco.

6.

7.

In perpetua collectione animi præcipuus rigor est.

V. Solent multi, cùm audiunt vitas Sanctorum, excitari ad desiderium suæ salutis: sed quia vident se pœnitentias eorum imitari non posse, desperant: quæ fraus est diaboli, ne se incipiant

Spiritus austeritatis Sanctorum sequendus.

emendare, maneántque in sua negligentia. Isti scire debent, non has pœnitentias Sanctorum imitandas esse, sed spiritum; quem si sequantur, dabit eis DEUS, quod in ipsius obsequium fuerit, sive ordinarium, sive extra ordinem: quia suo lumine illos reget, & omnes illorum imperfectiones consumet. Interim dum illa majora vident in Sanctis, DEUM in eis exaltent, séque humiliando exstimulent saltem ad hoc faciendum, quod possunt: quia in regno DEI mansiones multæ sunt, & luminaria majora, minora.

EXERCITIUM
De Austeritate Domini & Pœnitentia.
I.

Confessio peccatorii.

O Domine, spes ac desiderium servorum tuorum, ad quam suspirat cor te possidentium, & te quærentium. O divine Medice & Medicina omnium necessitatum! mearum: ego hic sto ante divinos & misericordes oculos tuos, plenus internis vulneribus, quæ tu vides, æstimas, & cognoscis meliùs, quàm ego; Culpam, quam in illis habeo; pœnam, quam promereor; injuriam, quam tibi intuli, & omnia mala mea ego novi, sed tu cognitor & emendator meus, justa lance perpendis. Non possum, nec cupio subterfugere manum tuam, nec judicium, sed ei, quantumvis fuerim ingratus pro beneficijs ab ea mihi collatis, & illa malè impenderim, ac rejecerim, quæ liberalissimè mihi largiebatur, me humillimè subjicio, & ab eâdem exspecto curationem & remedium, pœnam, & castigationem, vires & spiritum me emendandi. Tibi, ô mi Pater! ac tuæ pietati mala mea confiteor: aperi oculos cordis mei, ut cognoscam immensitatem culparum mearum, cognitas sentiam ac deplorem, & totus tibi denique placeam. Tu, Domine, non despicis tuas creaturas; sed ego fateor, me non posse comparere cum ulla re, quam non meritò possis reprobare: quia in omnibus meis sensibus internis, externis, & in omnibus actionibus porto scriptam sententiam castigationis, quam coram oculis tuis divinis negare non possum: mei oculi, quos debeo levare ad te, DEUS meus, testimonium ferunt injuriarum, quibus te affeci: lingua mea, quâ te precor veniam, convicta est plurimorum, quæ contra tuam voluntà-

luntatem locuta est: aures, quibus haurio tua verba, habent contra se vanitatem, cui vacaverunt cum tua offensa. quidquid est in hoc corpore, circumdatum est injuriis in te, occupationibus terrenis, servitiis brutorum appetituum, tanquam instrumentum omnis malitiæ, & inimicorum tuorum. Ecce hîc violatorem obedientiæ tuæ: ecce prædonem honoris tui, destructorem operum tuorum, profusorem bonorum tuorum, jumentum sui arbitrii obstinatum ad emendationem, ac tam improbum & inclinatum ad omne malum, hoc ipsum confitens sine sensu, & insuper flaccidum & infirmum ad sufferendam curam pœnitentiæ, refractarium omni castigationi & obedientiæ. Talis anima infelix, tam vilis ac terrestris, qualis hæc est, non poterit comparere coram tua puritate divina. Tu liberam creâsti ac dominam; illa subjecit se servituti, fugiendo à te, & rebellando; semper magis amica suæ carni, quàm tibi; semper addicta voluptati corporis, & occupata cum ipso, eiúsque oblectationibus; surda ad tuas inspirationes, tepida in tuo officio; plena iis, quæ tu vides & horres; sine te, vera vita & opulentia mea; distractis cogitationibus, memoriâ plenâ non te, sed his, quæ tu novisti; voluntate versâ in abyssum omnium indignitatum, quas tu odisti.

II. O Domine! tu scis, quòd nequeam cognoscere mala, quæ contra me implorant justitiam tuam: quid mihi supereſt, quo tibi satisfacere, quod offerre possim, ut appaream coram te? nihil, Domine, Deus meus, mihi restat, nisi meritum justissimæ pœnæ ac damnationis, quam intulisses, nisi me respexisses in misericordia. O quàm paternè tolerâsti errores juventutis meæ! cupiditates mihi per omnem vitam dominabantur. Vidisti me, quasi abalienatum, ire post erubescendas cogitationes, & concupiscentias meas, inhiantem occasionibus peccandi; infatuatum vanissimis intentionibus, quas omni studio prosequebar in summa oblivione salutis animæ; distractissimum in interiori & exteriori homine, in voluntaria servitute vitiorum, & voluptatum; dispersos affectus animæ, in qua tu nullam partem habebas. Videbas, quòd voluntariè decidererin omnibus rebus, & ultrò te, Deus meus, ex corde ejicerem. Videbas, quòd mea vita decurreret in continuis erroribus, & illu-

Dei patientia erga peccatores.

siuimibus, jámque appropinquarem inferno: à quo tamen me præservâsti hucusque. Ecce, Domine, ego sum ille, quem tolerâsti hucusque, cùm non ignores, quanta sint mea mala, quanta etiam cæcitas, quæ me non sinebat ea videre: Ecce hic sum etiamnum malè cognitus à me ipso, ac patienter toleratus à te. Quid igitur faciam, Domine, quando non vis me desperare; cùm tamen in me ipso non habeam, in quo confidam, nec possim securè promittere, quòd sim certò præstiturus? O amantissime ac pijssime Pastor ovium errantium, qui noluisti nos habere remedium, nisi in te ipso, quem offendimus, ac tua merita donâsti nobis, ut cum ijs sperare possimus in tua misericordia, ac docuisti nos per pœnitentiam emendare nostros errores; aperi oculos meos, ut à te discam reformare meas inordinationes, agnoscere, ac detestari culpas, quibus tuam infinitam Majestatem offendi, ô divine Magister ignorantiarum mearum, & Reparator mearum necessitatum! Infinitas tibi gratias ago, mi Pastor divine, pro bonitate, amore, ac pietate, qua in te recepisti peccata mea. Adoro immensum amorem, ac voluntatem, quâ obtulisti te universis laboribus, ut ego ijs sublevarer, omni austeritate in te susceptâ pro meo levamine. Adoro vigilias & orationes, quas pro me fudisti: adoro famem ac sitim, frigus & æstum, quem pro me sustinuisti: adoro omnem austeritatem vitæ, pœnitentias & opera pœnalia, ac rigidam mortificationem, quibus per annos triginta luisti mea peccata, quibus ego merebar eadem perpeti: adoro sensum, quo eadem peccata deplorâsti, desiderium quo te pro illis obtulisti; amorem, quo te pro illis afflixisti; anxietatem, quâ satisfecisti; divitias meritorum, quibus aperuisti mihi thesauros misericordiæ tuæ; justam iram tuam, quam tuis meritis placavisti; gratiam & veniam, quam mihi per eadem merita & lacrimas impetravisti.

in sib. DEO, quem offendimus est remedium nostrum.

III. Doce me, Domine, ut possim tibi esse gratus pro tantis miserationibus. Illis noctibus, quibus vigilabas procurando mihi divitias gratiæ, præsentia tibi erant mala, in quibus cosumptus eram vigilias meas obscuras, & noctes tenebrosas. In fame & siti, quam patiebaris, memor eras gulæ meæ; in æstu & frigore, delicatarem corporis mei; in lacrimis, quas fundebas, moveras meam

Dominus Dominus JESVS habuit peccata nostra semper ob oculos

meam duritiam & libertatem sensuum : in occupationibus & amore æterno, quo te offerebas, habuisti me semper præsentem sine amore tui, distractum ac totum destructum : in omni austeritate, quâ tractabas Humanitatem tuam sanctissimam, recordabaris nimiæ licentiæ meæ ad omnia vitia : jam in cognitione sapientiæ tuæ ruebam ad interitum, dum tu me curabas lucrari ; jam te fugiebam, dum tu me captabas amore ; jam delectabar meis peccatis, dum tu pro his te affligebas ; jam cogitabam de curando meo corpore, dum tu per pœnitentiam ita malè tuum tractabas. Non agebam ego, nisi de his, quæ me separarent à te, dum tu tantis laboribus conabaris me servare, tanquam verus pater, dominus & amicus, nolens mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Ah Deus ! ego, ego sum, pro quo te affligis : vide me hîc, qualis præsens tibi eram tunc, totus perditus : talem nunc tibi me sisto ; sed pariter habeo mecum præsentem vim & efficaciam ærumnarum tuarum, unà cum misericordia tua. Cum his jejuniis, vigiliis, orationibus, ac pœnitentiis tuis suppliciter peto, quod non mereor. Respice illa, Domine, ut mihi condones. Si non vis condemnari peccatorem, quia est opus manuum tuarum, & tu amas omne, quod tu fecisti ; quomodo vis ergo, ut pereant in me labores, quos pro me exantlâsti ?

IV. Aperi, Domine, oculos meos, ut me cognoscam, & horream ; quia sine tuo lumine sum cæcus, & amo venenum vitiorum meorum. Tu vidisti in peccatis meis tantam infelicitatem, tantam malitiam, & fœditatem, virus tam pestilens, ut judicaveris, absque tuo sanguine, & absque te, Fili Dei vivi ! illa curari non posse. Omnes labores tuos censuisti esse necessarios, ad curandum tam grave & abominabile malum ; & tanquam is, qui id optimè cognoscebat, nullam quietem admisisti, donec pro illo satisfaceres. Et ego, qui id patro, comedo, ac dormio securè cum ipso, tanquam cum comite, nonnunquam etiam tanquam cum solatio, & refrigerio vitæ meæ. O divina Pietas ! compatere tantis miseriis, ac tam erroneæ cæcitati. Qui non timui te offendere, timeo jam te offensum, ac tremo te denuo offendere. Gravitatem ac pondus mearum culparum, & quid mereantur, ego scire non pos- *D. precatio peccatoris.*

sum, nisi hoc tu mihi des: & quia ad eas curandas tu tot annorum pœnitentiam subiisti, per eandem te rogo, da huic animæ peccatrici fructum illius, perfectam inquam, cognitionem, & intimam detestationem earum. Ah miserere, Deus meus! perfringe murum, qui intercedit inter te & me. Quid tibi potest magis displicere, quàm quòd me delectet facere ea, quæ tu odisti tantopere, ut propterea damnes in æternum animas, quas sic amâsti, ut in Cruce morereris pro illis? Et ego sum tam cæcus, ut, cùm pecco, putem me nihil facere; & aliquando doleam, me non posse peccare, quantùm vellem? Ah mi Deus, nescio petere, quod vellem, nec cogitare, quod & quantum debeo desiderare; quia adhuc cæcutio. Si tu, Domine animæ meæ, illuminares tenebras meas, quantumvis longa foret vita mea, totam expenderem in dolore pro uno tantùm peccato commisso: nunc autem ità securè dego, posteaquam commisi tam multa. O misericors Domine, quia necdum scio bene desiderare, quod esset à tua pietate petendum; pete à Spiritu tuo, quare tam multùm jejunet, vigilet, se affligat, tantas pœnitentias faciat totis triginta annis pro peccatis, quæ ipse non fecit: & ex eo, quod ipse responderit, (quia novisti mala mea, quæ ego æstimare non possum) mihi da, quod nescio petere, ut non offendam te ampliùs. Tuos labores invoco, ab iis peto hanc gratiam; illos respice, Domine; & per illos mihi da, quod ipsi promeruerunt & obtinuerunt pro me.

V. Mi Domine, Redemptor & misericordissime Reformator omnium errorum meorum! ad tua obsequia converte omnes sensus distractos, & omnia membra corporis, inimici mei. Tu, Domine, scis, ut resistat bonis, quæ tu plantas in hac anima: da mihi animum & vires, ut vincam: doce me cognoscere dolos ejus: disjice nequitiam excusationum ejus: da mihi fortitudinem Spiritûs, ut possim ei resistere, & imperare. Quid possum contra talem hostem, sine tuo auxilio? Tu mihi eum adjunxisti pro socio, cum obligatione, ut eum sustentem & castigem: at ego tam sum infelix, ut nesciam temperare hæc imperia; quia magis inclinor ad compatiendum ei: unde plus acquirit virium contra me, quàm ego habeam ad ipsum domandum & castigandum. Affige, Domine, amore

Corpus est sustentandum & castigandum.

amore tuo meam carnem tuæ Cruci, & per labores tuos da mihi discretionem, voluntatem, & vires, ut sic eam tractem, ut vis eam tractari à me. Averte, Domine, & conclude timore tuo oculos meos, ne cum gustu videant vanitatem, nec figantur in rebus, quæ destruunt animam. Pone custodiam, Domine, & frenum linguæ meæ, & undique claude os meum, ut verear dicere, quod non debeo: & quia tu dixisti, vitam & mortem esse in lingua, fac, ut vivam tacendo, ne loquendo occidam animam, nec lædam proximum, sed cum silentio & spe vivam semper occupatus in te. Et quia in Scriptura dixisti, sensus nostros esse januas, per quas intrat mors animæ; obsera illos intus amore & timore tuo, ut tu solus vivas in hac anima, nec sit in ea, quod tibi displiceat. Doce me, Domine, resecare omnes cupiditates, nec uti rebus temporalibus, nisi ad necessitatem, sine excessu.

VI. *Vbi te accusaveris in particulari de rebus corporalibus, in quibus es laxior & quarum avidior; quæve plurium peccatorum tibi occasio, quibus magis adhæres, &c. ora sequenti modo.*

O Medice divine miseriarum mearum! da robur debilitati meæ, ad perrumpendas has malas inclinationes. O Cognitor imperfectionum mearum, qui vides altè fixas in corde meo has radices, & quantum proferant damni, extirpa eas, Domine, ac doce me, quomodo velis me tibi servire; & da voluntatem ac vires id exequendi, ne timeam quidquam eorum, quæ imaginatur, & refugit corpus. Concede mihi, Domine, ut amem omnia, quæ mihi creant molestiam; quia non sunt nisi instrumenta castigandi mea delicta. Fac, ut omnis tribulatio mihi placeat; quia per eam satisfacio pro meis peccatis. Da mihi, ut tantùm detester peccata mea, quantùm eis fui delectatus. Da tantum affectum ad pœnitentiam, quantus fuit ad culpam: & quia tu scis meliùs, quid mihi conveniat, abijcio me ad tuos pedes: condona mihi quantum vis; castiga me, quantum tibi placet; ac da gratiam, ne aliud velim, Domine: hîc ure, seca, percute, nihil parce, ut in æternum parcas.

Malæ inclinationes fortiter frangendæ.

Corporis timores perrumpendi.

VII. Tu, pie Domine, potes finem imponere omnibus malis meis. Tu amantissime Jesu, Vita & Salus hujus animæ peccatricis!

IEsus non minùs desiderat

familiaritatem pœnitentium, quàm innocentium.

cis, non minùs desideras familiaritatem, & amorem animarum conversarum, quàm innocentium. Qua hora se Magdalena peccatrix projecit ad tuos pedes cum lacrimis, tu illam es amplexus cum titulo amantis; ac brevi inter tuos promota, ad caput ungendum admissa est. Paulus persecutor, quam primùm ostendit, se tibi velle obedire, pro schola sua cælum, ac te ipsum habuit pro Magistro, túque inhabitare cœpisti cor ejus. O Vita cordis mei! eleva ad te hunc Spiritum meum abjectum: amplector tuos divinos pedes, Amor animæ meæ! Cupio te amare, bone Jesu! cupio te amare, tibi servire, ac totus esse tuus. consumantur peccata mea in abysso misericordiæ tuæ, ut nulla supersit eorum memoria. Est, fateor, Domine, tam fœda hæc anima, ut non possit comparere coram oculis tuis divinis, nescit custodire se ipsam; & hinc vitijs innumeris conspurcatur. Sed quod tu curas, quid poterit lædere? quod tu ædificas, quis evertet? quod tu conjungis, quis dividet? quod tu amas, quis terrebit? Tam tua est hæc anima, quàm ullius è tuis chariſſimis. Ego te amo, Domine mi! si me ipsum aspiciam, fugere debeo: sed aspicio te, æterne Inhabitator beatorum Spirituum, te desidero, ad te mea interiora suspirant. Tecum vult uniri cor meum: tu consumes, quidquid in me tibi non placet. Tecum omnia potero & nihil timebo, Deus meus, opulentia mea, gloria mea, & tota felicitas mea!

O Mater Dei & peccatorum, fidelis socia laborum tui unigeniti! quia tu sola nullum feciſti peccatum, miserere hujus peccatoris, qui desiderat servire Filio tuo: fac, ut obtenta remissione id consequar. O Cives superni hujus sanctæ Civitatis cælestis, etiam pro peccatoribus conditæ, admittite me cum hoc meo desiderio, ut nulla res terrena me separet à vestra societate. Amen.

ÆRVMNA XIII.
Ex Fame & Siti Iustitiæ.

I.

Fames & sitis justitiæ

TAnti fecit Deus Famem & Sitim Justitiæ, cum qua vivunt Justi & Sancti, qui verè desiderant placere suæ divinæ

vinæ Majestati; ut reponat eam inter summas virtutes evangelicas, per quas certior & securior est via ad beatitudinem. Per Justitiam intelligendo sanctitatem virtutum, & observantiam legis ac doctrinæ cælestis, quæ justificat animas, avocat à peccato, convertit ad Deum, illuminat, purificat, ac præparat ad perfectum amorem Dei, & recipienda bona æterna: tantíque est hæc Fames & Sitis ferventium desideriorum sanctitatis & virtutis, ut non videatur posse remunerari, nisi maximo, quod Deus dare potest. Nam quia Deus pro præcipua dispositione ad dona sua requirit ardens desiderium, & hoc non satiatur largitione donorum ejus, sed magis accenditur, ut desideret amplius; ideo non assignatur ei aliud præmium, quàm satietas: *Beati, quoniam ipsi saturabuntur*; videlicet non alia re, quàm ipsâ beatitudine, in qua Deus amatur, eíque servitur sine imperfectione, id quod unice desiderant justi. *magni fit à Deo.* *Matth. 5. 6.*

II. Duplex autem est hæc fames: una propriæ justitiæ, quâ quis desiderat animum suum liberare à rebus terrenis, avellere amorem ab his putridis, quorum pestifero gustu capitur, & impendere illum soli Deo: altera alienæ, ut omnes animæ faciant id ipsum. Et hæc oritur ex priore, tantóque fit major, quantò prior in amore Dei magis accenditur. Præmium prioris est idem cibus, quo Christus sustentabatur, qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*: & potus idem: de quo dixit, orîturum in cordibus fidelium fontem aquæ vivæ, salientis in vitam æternam: quia animæ esurientes sanctitatem, quâ carent, humiliter submittunt se, & acquiescunt voluntati divinæ, atque ita cum gustu exercent bona opera, in omnibus illam implendo pro viribus, isto quasi cibo se sustentantes; & crescentes in fervore amoris divini, plantant virtutes gratia ubere, velut aquâ vivâ semper ad cælestia saliente, rigati, donec plena tandem satietas in vita æterna sequatur; in quam multò magis reservatur præmium posterioris famis alienæ justitiæ. Nam in hac vita regnat passim tepiditas charitatis, & vitiorum propago: unde saturari hæc fames non potest, nisi ubi desunt vitia, quæ eradicentur; ac tepiditas, quæ inflammetur; ac defectus bonorum spiritualium proximi; quod fit, ubi ea jam possidet. *Fames justitiæ propriæ & alienæ.* *Ioan. 4. 34.*

Hæc fames ac sitis laboris & fastidii plena est.

III. Hæc est ex earum virtutum numero, quæ Sanctis plus creant laboris & fastidii: nam quoad se ipsos, totus eorum labor est in eradicando amore terreno, & vitiis, ad quæ inclinatur natura; nec est, quod magis fatiget, quàm vincere se ipsum, & mortificare suam carnem, ut satisfiat desiderio Deum amandi: & quantò hoc majus, tantò major & labor est, quem idcirco suspiciunt: nec ad aliud opus est majore patientiâ, quàm ad sufferendos defectus propriæ infirmitatis, ac stimulos, qui sentiuntur in inclinatione naturali contra desiderium DEO placendi in omnibus, & exactè præstandi, quod exigit; semper enim ad hoc urgetur interiùs. Quo ad salutem aliorum, posteaquam cœperunt Deum diligere toto corde, crescit in eis lux & cognitio, quantùm Dominus esset amandus: ex quo plurimùm dolent eorum interitu, qui degunt in peccatis, & ardent continuò desideriis immensis, videndi omnes subjectos legi divinæ; nec sentiunt minùs, quòd alii longè ab hoc absint, quàm quòd ipsi quondam in eodem statu fuerunt. Et quia hæc utraque fames tanti constat Sanctis, assignatur eis pro præmio satietas, tanquam refocillatio quædam defatigatorum, ut notat S. Augustinus; qui addit, huic fami respondere donum fortitudinis: quia magna fortitudine opus est ad eradicandum amorem terrenum, & qui captus est amore DEI, indiget, ut Spiritus sanctus ei det magnas vires ad sufferendum dolorem ex perditione aliorum, ac superandos labores in procuranda illorum salute, sine cura damni temporalis, despectuum, & ipsius adeò mortis. Atque ita virtus hæc est origo, & summa omnium heroicorum & glorioforum conatuum, quos adhibent Sancti ad placendum DEO, & auxilium proximi.

De sermone Domini in monte. Cap. 4.

Hæc sitis Domini tantò fuit gravior, quantò magis amabat.

IV. Quod in hac virtute maximè laboriosum est, fuit in Christo: nam juxta mensuram sui amoris ardebat continua fame, ac siti ferventissima videndi, ut omnes obedirent legi DEI, sequerentur virtutem, plantaretur in cordibus hominum Spiritus DEI, cresceret ejus cognitio & amor, & finem haberent peccata. Nec minor fuit hic sensus, quàm si ista sibimet ipsi deessent; atque ita non minùs accinxit se ad ea comparanda: quia omnia nostra bona, & mala, magis pro suis habuit, quàm pro nostris. Quod desiderium

à sua

à sua conceptione duravit usque ad ultimum spiritum. S. Paulus, qui non nisi unam scintillam habuit hujus immensi ignis, qui ardebat in pectore Domini de se ipso scribit, infirmari se solicitudine omnium Ecclesiarum, & uri scandalis; neque se suum jam esse, sed urgente charitate Christi totum esse aliorum; quidquid pateretur, bene collocatum putare propter Electos: & licet versaretur in summis ærumnis, nescire tamen se, an non expediat potiùs manere in illis, quàm liberum abire ad Christum: & quamvis eum sic amet, ut nullis malis possit avelli ab eo, tamen propter aliorum salutem libenter se ipsius aspectu carere. Quid de ipso dicere poterat Christus, quem amor æternus traxit in terras, desiderio nostræ salutis? quid omnibus illis annis, cùm degeret in summa fame & siti justitiæ hominum, quorum omnia peccata à condito mundo habebat semper ob oculos, ac ponderabat suâ divinâ Sapientiâ, indolens eis conformiter suo amori erga nos immenso, summéque desiderans eos ex illis eripere? Sanè versabatur in continuo tormento & afflictione, ut dicere possimus, eum obiisse tot mortes, quot videbat peccata & quot animas, quas desiderabat salvare: pluris enim ducebat earum salutem, & quamlibet offensam Dei, quàm propriam vitam, offerens eam pro singulis, faciendo quantum erat in se; licet non omnes morte suâ juvandi essent: quæ majoris erat ipsi doloris materia.

Domini IESV dolor nostris peccatis.

V. Consideret ergo quisque, cùm Deum offenderit, quantum debeat huic Domino, qui tantopere doluit nostris peccatis, quæ tam facilè, & pro libitu committimus; & omnia nostra damna & lucra, ut sua accepit. Quod quia satis capere non possumus, donec obtineamus purum amorem ipsius, tantisper exemplum aspiciamus parentum, qui cùm omni cura & amore educârint suos liberos, si videant, eos vanitati, malis sociis, & cupiditatibus indulgere, nullam admonitionem curantes, maximum inde dolorem concipiunt. Ita Deus queritur sæpe per suos Prophetas, quòd amorem sibi debitum conferamus in res noxias, fugiamus ipsum, & laborare faciamus in peccatis nostris. Tantò majore ratione queritur hoc Deus, quantò majore charitate nos diligit, quàm ulli parentes filios suos. Summus profectò pudor noster est,

videre anguſtias, & anxietatem cordis Chriſti pro noſtra ſalute, tantùm deſiderium noſtræ felicitatis; & contrà faſtidium & horrorem noſtrum à veris bonis, inſanam verò cupiditatem rerum terrenarum, quibus delectamur magis, quàm DEO. Nec invenitur certius indicium reprobæ animæ, quàm ſi perdiderit guſtum omnium rerum cæleſtium. Etenim DEUS indidit facultatibus corporis, & animæ certum guſtum rerum ſibi convenientium, ut eas magis deſiderando, majore guſtu recipiant, & majore fructu eis gaudeant. Hinc dicit ſcriptura. *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur*: Idem de ſtomacho dixeris, quòd fames ac ſitis faciant comedere & bibere cum guſtu; & ſic de aliis ſenſibus. Nec majus eſt ſignum deſtructi ſenſûs, quàm ſi non appetat, neque deguſtet rem ſibi propriam: quia ut eam non deſiderat, ita nec recipit, nec digerit. Sic & anima, quæ ſatiatur ſolùm æternis, occupato terrenis affectu, perdit appetitum & guſtum cæleſtium, ſed ea nauſeat ac refugit, certo damnationis ſecuturæ indicio. Vocatur hoc vitium inſenſibilitas: de quo DEUS queritur per Prophetas, ſe clamâſſe, nec eſſe auditum; caſtigare, nec ſentiri; homines velut inſenſatos ruere ad interitum, ſine pavore; perdere DEUM, neque curare; ducere in bonis temporalibus, ſine memoria ac deſiderio æternorum, dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendere.

Signum reprobi amiſſio guſtûs rerum cæleſtium.

Eccle. 1. verſ. 8.

Inſenſibilitatis remedia

VI. His, donec DEUS miſereatur eorum periculoſi ſtatûs, & ſuavi influentia ſuæ lucis & amoris eos elevet ad majora, tria interim ſuaſero. Primò, ut ſaltem laudent, probéntque virtutem, ubi eam viderint, licet ipſi nondum ſequantur; ac ſemper faveant virtuoſis; ne ex odio virtutis incipiant eam etiam perſequi, ſocii dæmonum facti. Ac ſæpe DEUS, videns eos approbare, quod per infirmitatem præſtare ipſi non poſſunt, miſertus dat gratiam, ut paulatim aſſurgant. Secundò, reprehendant ac deteſtentur duritiam ſui cordis, cùm vident bona, quæ faciunt alii: ſic enim non penitùs amittent lumen & amorem DEI, nec ſecurè vivent in peccatis. Tertiò agant libenter cum ſervis DEI de rebus divinis; nam eorum dictis & exemplis emollientur paulatim. Sique dederit DEUS aliquid luminis, legant, vel conſiderent vitam Chriſti, & mul-

& multiplicem obligationem, quam habent: quod erit efficaciſſimum ad excitandum deſiderium animæ, & amorem bonorum recluſorum in Chriſto. Et hi, quibus Majeſtas divina largita eſt ardens deſiderium ipſam diligendi, obſervent bene ſe ipſos, & invenient, quòd Deus non ceſſet pulſare cor illorum interiùs, & indicare continuò, quid petat ab eis; quod ſignum eſt eum inſidere interiora ipſorum; cui proinde fideliter obtemperent, ſinántque ſe regi ab illo; ne per exiguam curam ſuam & negligentiam, deſideria guſtúſque terreni ſubintrent, ac fiant poſteriora pejora prioribus. Recordentur, Deum noluiſſe in altari ſuo ardere ignem, niſi datum de cælo: quem quidem tantùm bis dedit, initio ſub Moyſe in deſerto, poſtea ſub Neemia reverſis ex captivitate Babylonica: toto reliquo tempore conſervárunt eum lignis identidem ſubjectis, ne unquam extingueretur. Sic deſiderium Deo placendi, ac fames juſtitiæ ſuæ & alienæ, divinitus accendi debet in corde, ſed ali ardentibus ſuſpiriis, ferventibus precibus & bonis exercitiis: quibus neglectis abit in cinerem, & extinguitur; neque recuperatur, niſi magno labore. Et ut Neemias aquam craſſam, in quam verſus erat primus ignis, infundens victimis exſpectavit, donec ſole, qui tunc obnuptus erat, relucente accenderetur divinitus: ita modicum veſtigium prioris deſiderii ſi offeratur Deo humiliter ſupplicatione perſeveranti & continua, tandem Deus permovebitur, ut reſpiciens pœnitentiam miſericorditer reaccendat.

VII. Ex hac fame ac ſiti Juſtitiæ naſcitur ſacer zelus, neceſſarius homini Chriſtiano, ſed valde difficilis ut exerceatur diſcretè. Nam in eo ſitum eſt omne bonum, vel detrimentum animæ: magna proinde cum conſideratione eſt exercendus: quia in externa ſpecie magnam affinitatem habet cum ira & indignatione, & facilè declinat in exceſſum, ut plùs noceat, quàm proſit: ex altera parte, quia pro fine habet obſequium Dei, & ſalutem animarum, fit, ut quidam ferventiores, apprehenſa gravi obligatione proſequendi hunc finem, non attendant locum, tempus, occaſionem, aut ſpatium agendi, quod obſervat Supremus Zelator omnis noſtri boni. Unde turbatâ harmoniâ non eſt niſi mera diſſonantia, ſæpe cum notabili damno animarum, & honoris divini. Sed ipſum *Zelus diſcretus.*

nomen zeli suggerit, aliquo modo convenientem moderationem, & aliquas conditiones ipsius. Etenim zelus in materia amoris, è quo nascitur, est cura conservandi bonum, & removendi quidquid potest illud destruere, vel immutare: & hæc oritur ex amore & æstimatione rei amatæ. Ergo sanctus zelus oritur ex vero amore Dei & virtutis, & ex æstimatione gloriæ Dei, ac spiritualis profectûs proximi. Atqui de amore Dei, & proximi dicit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est; non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Omnes hæ sunt conditiones zeli sancti. Primùm ergo Zelator amet Deum & proximum: ac tum quærat honorem Dei, ac bonum proximi. Sed initium faciat ab honore Dei, zelando in se ipso, removendo, quæ illum in se ipso impediunt; pauca in proximo: quia dissimulare mala suæ animæ, & mederi velle alienæ; esse circumspectum in rebus sui honoris & commodi, præcipitem verò in alieno, monstrosus zelus est, parùm proficit, maléque recipitur, & abit in excessum rigoris, indignationis & iræ. Hanc regulam Christus dedit Zelatoribus legis in casu adulteræ, *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Neque enim convenit, ut alium lapidet, ipse lapidandus. Ergo qui zelat, proprii honoris rationem habere non debet, aliàs zelus in ambitionem vertetur. Compatiatur malis alienis, nec per nimium rigorem pœnitentem rejiciat, & non ampliùs ad debitam conversationem aut honorem admittat; sed adhibito remedio, illum juvet, foveat, honoret. Judicet se pejorem eo, quem vult emendare; ne amor ejus habeatur pro odio, si illum contemnat. Qui ex officio zelum exercent, in majore sunt periculo, ne, dum vrgent virtutem, quam ipsi non habent, vel nimis agant remissè, ut minùs possint redargui, vel nimis rigidè, ut videantur zelosi: & parùm omnino proficient, si non sint boni exempli. Expediet ergo, ut, dum sunt superiores, eadem lege vivant, quam aliis imponunt, & faciant ipsi, quod fieri volunt ab aliis: ita nec scandalosi erunt, neque nimis rigidi. Si id non fecerint, non dixerim quidem eos non verum zelum habere; quia Christus, qui sanguine

Conditiones zeli discreti.

2. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Ioann. 8. vers. 7.

Periculum superiorũ.

guine suò redemit animas subditorum, potest eum ipsis largiri in bonum earum: & hæ cum hac fide in ipsum, directionem superiorum ita debent accipere: sed tam hi, quàm illi pro exemplo veri zeli inspiciant vitam summi Zelatoris animarum & honoris divini, qui fuit Christus Dominus; in ea videbunt doctrinam perfectionis & veritatem, sine respectu personarum; summam constantiam & patientiam in supportanda ruditate ac tarditate eorum, quos docebat; maximam suavitatem in attrahendis ac diligendis peccatoribus: placidissimum animum in dissimulandis offensis, & benefaciendo his, à quibus offendebatur; & cùm esset innocentissimus, ex zelo divini honoris accepit in se, sine certa mensura & pondere, omnem rigorem, & quidquid voluit, in animabus effecit cum amore & suavitate, beneficiis cumulando eos, qui minimè promerebantur. Unde qui in zelando non clarissimè monstrat amorem Christianissimum, suâ culpâ fit omnibus odiosus, & multum laborat exiguo fructu.

EXERCITIUM
Circa Famem ac Sitim Justitiæ.

I.

Omnes necessitates nostræ ad Deum suspirant.

O Fons & Mare supernorum & infinitorum bonorum, ad quem omnes meæ necessitates, etiam ignotæ mihi, suspirant: infinitas tibi gratias ago, quòd me feceris tam egentem bonorum, ut meæ continuæ miseriæ me cogant continuò ad te recurrere. Quid est in me Domine Deus, quod non suspiret ad te, licet ipse id nesciam? Quia omnia bona procedunt à te; cælestia, quia includuntur in te; terrena, quia dispensantur tua manu divina, quæ attendit necessitates, in quibus me vivere voluisti in hoc exilio, tam corporales, quàm spirituales. Ab hac divina & liberali manu petunt oculi mei lumen ad videndum, sine quo essent in tenebris; ab hac petit corpus auram ad respirandum, cibum in fame, aquam in siti, sanitatem in morbo, diem ad opus, noctem ad quietem, vires ad motum, successum in negotiis, opem in omnibus necessitatibus, quibus est semper circundatum, & in quibus tanquam sibi propriis, nascitur, vivit, ac moritur; & hæc manus fabricatrix omnis boni,

boni, dat cuique prout est opus. Quando sum captivus, ipsa me liberat; quando inter hostes, me defendit; quando in periculo, protegit; quando imminet aliquid mali, prævenit; quando permittit evenire, me juvat, ut sufferam: & quando pro meis necessitatibus maximè sum solicitus, & immemor hujus potentis ac divinæ manus, auxilia terrena & humana conquiro; nisi eadem paterna manus succurrat, etiam non petenti, nec merito, frustra sunt omnia: quia noluisti me cuiquam esse debitorem etiam in minimis nisi tibi: quare totus hic homo terrenus continuo suspirio te implorat, & necessitates ejus clamant ad te; quia aliunde juvari non possunt. Sed & omnia interiora hujus animæ, ex natura & culpa sua egenæ & pauperis, ad quem suspirent, nisi ad te, Deus meus? tu me supportas, cùm pecco; exspectas, dum me pœniteat; inspiras bonum; doces me veritatem; das voluntatem, ut velim; vires ut sequar; gratiam ut perseverem. Tu mihi das fidem, qua te cognosco; Charitatem, qua vivo; Spem, qua te invoco. Facultates hujus animæ sine te laborant fame insaturabili; quia tu eam solus potes explere: bona spiritualia, quibus ad te elevatur, & infinita, quorum fecisti capaces, à te provenire debent; & quantò magis disperguntur extra te per diversos affectus, tantò magis flaccescunt ac miseræ fiunt, quia nativo desiderio feruntur ad te, qui es perfecta & exaggerata mensura felicitatis earum; quidquid extra te quærunt, eas consumit, vastat, ac debilitat; facítque, ut vivant in regione famis & miseriæ.

Deus noluit nos ulli alteri aliquid debere, quam sibi.

II. O divina & perfecta satietas hujus miserabilis naturæ, converte ad me istos misericordes oculos, & cum amore restaura, quod cum amore creâsti, ac tam fœdè jam vides destructum: quia fecisti me propter te solum, ac solus voluisti esse meum verum ac proprium bonum. Ita me fecisti, ut omnia mea interiora & exteriora à te dependeant, cujus perpetuò indigent, & omnes inclinationes meæ corporales ac spirituales mihi serviant ad perpetuam famem; ut, dum quæro te, qui es unica, divina ac suprema satietas mea, majore fructu te gaudeam, & copiosiùs tuis bonis omnibus implear. O mi Deus, quàm monstrosam rem in me vides, qui, cùm veritatem hanc credam, agnoscam, & profitear, facio tamen gra-

Vana & monstrosa

naria,

naria, cellas, penus, & apothecas in animo, & sensibus rerum corporearum evanescentium mihi sub manibus, & fugientium sub dentibus; egóque illis inhio, glutiens aërem; esuriens, sed non te; desiderans, sed non tua bona; tam egenus & pauper, quàm me vides. *Melior est dies una tecum in atriis tuis, super millia* sine te: quia in una die tantum largiris, consolaris, ac satias, ut omnes vires restaures, omnes necessitates subleves, omnia repleas bonis divinis. At in omnibus diebus, quibus vixi, dicere non possum me habuisse vel unicum talem; & ut confitear misericordiæ tuæ, non multos bonos, jucundos ac fortunatos. Sed ex iis hoc mihi supereſt unicum, ut deplorem ac desiderem, si fieri posset, ejicere ex visceribus animæ hujus id, quod ex illis mihi reliquum est, quasi virus, interimens veram vitam, qui es tu, mi JESU!

hominum studia.

Psal 83. 11.

III. O Divina Bonitas, ô misericordia infinita! *Melior est misericordia tua super vitas*, multas simul: quia omnes illæ sine te, unica & vera vita hujus animæ! sunt plenæ miseriis; tendunt ad interitum, sine misericordia tua, à qua peto suppliciter remedium horum malorum. Eradica, Domine, ex hac anima amorem rerum vilium & abjectarum, quo tenetur captiva, ut amet te solum. Appare, Lux vera, huic cæcæ animæ, & illumina tenebras meas, ut videat & cognoscat lutum, in quo volutatur, ac discat desiderare misericordiam tuam. Da mihi, Domine, timorem meorum gustuum; nauseam eorum, quæ hactenus desideravi; & nitorem internum, ut possim cognoscere id, quod est aliquid; nec per ignorantiam perdam gustum supernorum, quem das tuis amicis. Heu mihi, pie Domine! quid me fiet, si conferas te rebus, quas loco tui cum fame desidero, & quæro, & pro iis te amitto? Quomodo non me nauseabis, & ejicies à tua protectione, & ex ore tuo, sicuti mereor? Doce me, Domine, exercere in me ipso hoc judicium, & exequi hanc sententiam, ut parcas tu mihi. Non volo, Deus meus, verbis exprimere, neque commemorare vilitatem, indignitatem, profanitatem, turpitudinem, ac vanitatem rerum, quas hactenus amavi & quæsivi cum fame ac desiderio, quod tibi soli debebam; & cum gustu, quem tibi soli servatum oportuit, ne auram ista fœditate memoranda inficiam: sed coram purissimis oculis tuis

Psal. 62. 4.

Deploratio desideriorum vanorum.

confiteor, quibus clarissimè cernis meas miserias. Confiteor, me posse convertere ac corrumpere puritatem Angelicam, & omnem aliam creaturam, si tu me ab hoc non defendas & præserves.

Mare miseria implorat mare misericordiæ,

IV. Tu, mi Jesu, qui me perfectissimè nôsti, es Salvator meus, es Redemptor meus, & is, qui suffert ac sanat miserias meas. En, hoc est mare immensum infortuniorum miserabilium, in cujus abysso hæc tua misericordia possit ostendere magnitudinem suam, & infinitam bonitatem suam. In ea, si me merseris, emergam totus nitidus ac renovatus, ut novo ac tenero amore, & vivo desiderio te quæram & amem. Recordare, Domine, quòd dixeris: *Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Ecce diem tribulationis non temporalis; quia hæc mihi plùs prodest, quàm gustus rerum terrenarum; sed periculorum, in quæ me conjecerunt miseriæ & mala, quæ vides. Ecce invoco te, Domine, de profundo abyssi, in quo sum constitutus, & unde non possum exire, nisi me adjuves. Audi me, Domine, libera me: purifica desideria hujus creaturæ tuæ, ut cum fame te solùm quærant & inveniant. *De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Te solum quærant, te inveniant, de te solo vivant, in te solo sustententur, ut puris laudibus te cantent in hac lacrimarum valle; & in te lætetur anima mea, libera à desideriis rerum terrenarum.

Psal. 49. 65.

Psal. 129. 1.

Ut tollatur impedimentum orationis nostræ,

V. Non potes, mi bone Jesu, negare mihi, quod peto; quia scio hoc esse, quod mihi vis dare. Peto autem, ut tollas impedimentum, quod est in me, quo minùs obtineam hæc dona cælestia; licet ipse id non merear, tu tamen concede id amori tuo, ac desiderio tuo, quo semper meum bonum procuras. Recordare, Domine, quòd, licet mihi nihil omnino debeas, neque ego quidquam promerear; sed per amorem rerum sensualium, quem in me vides & aversaris, potiùs demerear omnem favorem & gratiam; tu tamen per triginta tres annos æstuaveris amorosâ fame ac siti conferendi mihi multas gratias, utendi mecum multis miserationibus, convertendi me ad te, elevandi ad te & ad opera cælestia desiderium & amorem meum. Recordare curarum & solicitudinum amorosissimi cordis tui, quas pro meis tepiditatibus offerebas Patri tuo æterno:

& quia

& quia hæc fames mei boni te vexavit tot annis, & pro me inclamavit misericordiam tuam, exaudi eam, Domine: da illi hanc satisfactionem in me, largiendo mihi, quod ipsa te rogat.

VI. O vere Amice animæ in omnibus rebus, supple in omnibus nostros defectus. Quando ut homo versabaris nobiscum, & videbas omnes appetitus nostræ naturæ planè corruptos, perversos, & ad mala tendentes, tu tuos toto vitæ tempore impendebas procurando nobis remedio. Propterea lacrimabantur oculi tui, & aures tuæ ad omnium necessitates patebant: suavissimum os tuum clamabat tota die: & nocte non aliud agebas, quàm suspiria pro salute omnium: instabas tuo Patri æterno: dolebas duritie omnium: cruciabatur hoc tenerum & amorosum cor tuum iis, quæ videbat in omnibus: desiderabas in omnibus accendere amorem divinum, omnisque cura tua erat, ut duraret hic ignis: & si extingueretur in aliquo, magnopere tibi dolebat. Sic laborabas in hac ærumna pro me, & pro quolibet alio, & sic impendebas te totum, ac si tantùm esset unicus, & nemo alius, quem curare deberes. Et qui sumus nos, ut tantam solicitudinem haberes pro nobis? Quid utilitatis exspectas à me pro tantis doloribus, & tam inflammatis desideriis, quibus consumebaris? Ah, Domine, quomodo sustines hunc amorem sic affligi, ut non satis ei fiat in me? Amisisti forsan, Domine, tuam potentiam? Quare, Domine, tantam rationem habes mei liberi arbitrii, ut sustineas me perire, ac te pati? Ex hoc momento tibi totum consigno, & volo illud associari tibi in hoc desiderio, quod habes, ut omni modo te amem.

& labores Domini pro salute nostra,

per liberum arbitrium nostrum non fiant irriti.

VII. Amo te, Deus meus, ac desidero te semper magis amare. Faceſſat à me omnis alius amor, quia tu solus es dignus amari ex toto corde. Cogito hoc esse id, quod tu vis; quia ordinâsti, ut sicut, cùm aliquid mereor apud te, non aliter possit justè remunerari, nisi te solo; ita nulla res alia possit justè mereri amorem hujus cordis, nisi tu solus. Tu, mi Domine, te ipso mihi solvis, & ego semper me trado his, quæ me digna non sunt. O Domine, quando sic extollis dignitatem hujus animæ, non sinas eam deficere; non decidere. Hîc tibi do totum, quod invenitur in ea, & totum,

cùm ille solus mereatur amorem nostrum.

quo tibi possum servire hoc meo corpore. Accipio te pro unico meo bono, accipe me tu pro tuo: serva me, ut tuum, ne ampliùs me amittas, nec ego amittam te, unicum & verum Bonum meum, unicum & verum Dominum ac DEUM meum.

ORATIO
Dominica pro Fame & Siti Iustitiæ.

DEVS nos exaudiet, quia Dominus IESVS orationem nobis composuit.

I.

CONjungimini mihi cælum ac terra, homines & Angeli, & omnes creaturæ venite mecum: laudemus, adoremus, & amemus omnes hunc Dominum. Omnes, ô Domine, laudamus te, & oramus te verbis, quæ tu nos docuisti ad petendam, & accendendam in nobis famem ac sitim amoris tui. Tu illa bene agnoscis, quia tu es, qui illa docuisti. Tu debes ea exaudire, quia ideo ea tradidisti, ut exaudiremur. Per illa tu largiris viva & perpetua desideria te amandi, tibique serviendi: quia ideo mandâsti, ut dicamus

Solus Deus est noster, alia non sunt nostra.

II. *Pater noster.* Pater æterne, Pater supreme, Pater omnipotens, Pater infinite, Pater misericors, Pater amans nostri, Domine noster, qui scriptos nos habes in hoc tuo amore. Pater, qui sic es noster, ut extra te nihil aliud nostrum sit: & Pater, qui sic intueris omnes, ut filios tuos charissimos.

Excludimur cælo, ut aspiremus ad illud ex radio terræ, & ostendamus nos esse filios & hæredes DEI

III. *Qui es in cælis.* Hoc amore nos exspectas in cælesti domo, quam inhabitas. Eleva ad eam desideria nostra, quos tantisper inde excludis, non ut separemur à te, sed ut hinc traducamur ad te. Accipe tecum desideria nostra, ut cum fastidio rerum terrenarum, quæ sejungunt à te, semper ex toto, in toto, & cum toto nostro interno & externo, suspiremus ad te, ac respiremus in te.

IV. *Sanctificetur nomen tuum.* Fac, Domine, ut æstimemus magnitudinem, majestatem, ac divinitatem hujus nominis Pater, fac, ut omnes cupiamus esse tui filii. Trahe totum mundum ad tui cognitionem. Animæ nostræ, membra nostra, desideria nostra, opera nostra, verba nostra ostendant nos esse filios tuos; & quòd suspiremus tantùm pro tuo honore; tantùm desideremus gloriam tuam, & obsequium tuum; ut videamur, Pater sancte, filii hujus divinæ sanctitatis.

V. *Ad-*

V. *Adveniat regnum tuum.* Fugiant à nobis tanquam filiis tuis, omnia, quæ nos volunt separare à te; ut solus tu regnes in animabus nostris. O Pater noster, aspice periculum, in quo versamur: accide hoc exilium, & adduc nos ad te. Quomodo sustines Domine, ut amantes te non videamus te? Quòd si omnino est opus protrahi nostrum exilium, tu, Domine, bene potes nihilominus esse in cordibus nostris. Veni, Pater, ac Domine, regna; hîc sit habitatio tua. Si feceris hanc animam regnum tuum, cæleste differatur, quamdiu volueris; quia neque hîc, neque ibi desidero aliud, quàm ut regnes in me, & habeas totale dominium, & integram potestatem in anima nostra,

Si DEVS regnet in nobis differat regnum cæleste, quamdiu voluerit.

VI. *Fiat voluntas tua.* Ah Pater æterne! veni, extende, Domine, bonitatem tuam; posside omnia; fac, ut omnes tibi obediant. Tu scis, quòd nihil prosit esse nostrum, si per hoc non serviatur tibi, quantùm potest. Omnes voluntates tuæ sunt amantissimi Patris; Patris, qui non spectat aliud, quàm bonum nostrum. Quis est ergo, qui nos decipiat, ut confidamus alterius voluntati, quàm tuæ? Vivat, ô vivat, Domine, hæc optima voluntas tua, & moriatur omnis alia, ipsi contraria vel diversa. *Sicut in cælo, & interra!* In hac tua voluntate Curia cælestis degit quieta, contenta, secura, dives, sine timore, & confirmata in omni bono. Quid ergo terra, plena periculis & inimicis, velit fidere alteri voluntati quàm tuæ? O Domine mi, tolle à terra hanc vanam præsumptionem: subjice eam tibi, sicut habes cælum subjectum.

Ad nihil prodest esse nostrum, nisi serviamus Deo.

VII. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quia sustentationem vitæ nostræ restringis ad obedientiam, & omnes animæ sustentantur paterna bonitate tua, & gratia; adjuva illas. Omni die vitæ nostræ visita nos cum gratia tua: & cum ea nos obligabis ad amandum te omnibus horis, ut omni die & omnibus horis refecti tuo spirituali cibo, amore ac desiderio, cum viva fame omni die, & hora suspiremus ad te, nihil aliud desiderantes. Incipe hodie, Domine, hoc opus; quia nescimus, an simus perventuri ad crastinum: semperque illud prosequere, donec adveniat illa dies, quæ non habet præteritum, nec futurum.

Sustentamur gratiâ Dei & obedientiâ.

VIII. *Et dimitte nobis debita nostra.* non impediant peccata nostra istum favorem. Debita te amandi, ac tibi serviendi

Amandi debitum non condonandum, sed amore soluendum

non dimitte mihi, Domine; quia cupio illa soluere, & quotidie augere; sed debita amoris, quem tibi subtraxi, ut in res viles & abjectas transferrem: hæc mihi condona, Domine; quia non possum satisfacere pro illis, nisi revocando amorem. En eum tibi restituo, frigidum & congelatum; purifica eum, sicut tibi placuerit pro satisfactione, & per misericordiam tuam dimitte mihi reliqua peccata. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Promisisti mihi, Domine, te condonaturum, quando me obligâsti ad totum dimittendum his, qui me offenderint, sicut tu totum dimittis. Quando ergo vis me in hac mea paupertate esse tam liberalem, quomodo tu poteris erga me parcus esse in tua magnitudine; Ego dimitto, sicut jubes: dimitte & tu, sicut promittis; ut inter te & me nullum sit obstaculum.

IX. *Et ne nos inducas in tentationem.* Fac, Domine, in me perfectum hoc opus; accipe curam mei, & libera me à tentationibus, quæ me perturbant. Pater æterne, qui non vis filios tuos in terra tentari, ut pereant; & nôsti, quantum boni perdamus, si contingat nos vinci, tenta nos & proba nos, ut vis; sed pugna nobiscum, & vince in nobis per charitatem.

Malitiosa caro.

X. *Sed libera nos à malo. Amen.* Vide, Domine, quàm sit malitiosa hæc caro, qua circumdati sumus: vide, quanta mala eam obsideant, eámque trahant ad se: vide quantis malis subjecti simus nos pauperes filii tui in hoc exilio: vide, ut sine tuo auxilio nihil omnino possimus. O Pater cælestis, qui promisisti filiis tuis aquam vivam, ex cordibus eorum salientem ad te in vitam æternam: anima mea desiderat hanc sitim & aquam, seu panem vitæ. Exple hanc sitim, ut te solo refectus, non ampliùs admittere possim aliam famem ac sitim.

O Mater misericordiæ! quæ semper desiderabas, & semper te satiabas his bonis supernis, compatere miseris exulibus, filiis Evæ. Veniat per merita tua ille ignis de cælo, qui totum cor meum accendat. O Curia cælestis, quæ securè desideras, & abundanter satias desideria, quæ hîc habuistis; facite, ut semper desiderem bona, quæ vos habetis, ut per vestram interceſſionem adjuver ad gaudendum iisdem. Amen.

ÆRVMNA XIV.

Ex Conversatione hominum, à Domini moribus valde discrepantium.

I.

FAmem ac Sitim Justitiæ sequitur plerumque alia molestia servis DEI sat gravis, à consuetudine cum hominibus, longè diversis ab illorum studiis ac moribus, quam evitare non possunt: quia, cùm sint toti intenti DEO, quem semper & ardenter cupiunt ab omnibus cognosci, coli, & amari, ut par est; clarè vident, quanta sit hominum ad hoc obligatio, quantúmque malum sit, hoc non facere. Unde ipsis gravissimum est, semper ob oculos habere summam ignorantiam, & neglectum rerum divinarum, & contrà maximam curam ac diligentiam terrenarum, plurimáque peccata, quæ liberrimè fiunt. Hæc molestia nulli potuit esse gravior, quàm Domino JESU, qui pro sua bonitate elegit in terra vitam communem ac pauperem, nec voluit in sua conditione quidquam à vulgari habere discriminis. Degebat in domo paupere, omnibus patente, ut omnibus daret exempla vitæ innocentis, modestæ, quietæ, occupatæ cum DEO; sine ulla demonstratioue divinæ sapientiæ & majestatis: quia degebat in silentio: necdum tempus erat patrandi miracula. Quare etiam sine respectu tractabatur à vulgo, nec satis æstimabatur ejus sanctitas, sed ab unoquoque habebatur, prout ferret lubido. Sed ipse ita versabatur inter eos, ut plurimùm doleret eorum ineptiis, cruditate, malitia, rixis, licentia, impudentia, fœditate, & aliis, quæ non poterat non sæpe videre, & audire in plebe.

Videre injurias Dei

Christo gravissimum fuit.

II. Quantùm ea doluerint ipsi, nemo satis expenderit. Majestas Personæ suæ in medio tam vilium hominum, Sanctitas vitæ inter tam profanos, zelus honoris divini, quo flagrabat, in tanta peccandi licentia, desiderium salutis eorum in tanto impetu ruentium ad interitum, & quidquid præterea fuit in ipso, totidem erant aculei ac stimuli, quibus continuò pungebatur. Addunt aliqui non prorsus improbabiliter, non defuisse, qui culparent eum, velut inertem, qui tanto natu gravis esset parentibus, nec

IEsus cur elegerit vitam communem.

nec aptaret se rebus, ut aliquid operis aut negotii sumeret, vel tractare posset. Quæ quidem omnia facilè declinâsset, si, ut Joannes, abiisset in solitudinem. Sed quia major pars hominum, qui saluantur, vivit inter alios; & major in vita communi est occasio molestiarum ac pœnitentiæ, satis habuit, solitariam approbare quadraginta dierum jejunio, ejusdem institutione relicta Spiritui sancto, quondam DEI servos ad eam vocaturo: ipse tanquam missus à DEO Patre Magister & speculum morum, & ut ampliorem patiendi occasionem haberet, elegit vitam communem.

III. Tria verò præcipuè videtur ea triginta annorum communione vitæ voluisse docere. Primò modum agendi cum hominibus. Secundò eosdem sufferendi. Tertiò non instituendi vitã ad normam illorum, sive non multùm curandi eorum judicia.

Regula vivendi inter homines. Matth. 5. 16. De primo sunt aliquæ regulæ generales in S. Scriptura. Unam dat Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vult nos ita vivere in conspectu totius mundi, nullam ut legem DEI violemus; contrà quàm aliqui faciunt, qui animo quidem probant mandata DEI, sed in oculis hominum, ne videantur inurbani, non dubitant dispensare in illis: de quibus dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* *Matth. 10. v. 33.* qui scilicet obedientes sibi glorificaturus est in judicio coram toto mundo, meritò vult nunc publicè glorificari ab ipsis. Unde etiam satis non est, bonum habere in animo, nisi foris appareat, propter scandalum: Nam *Væ homini, per quem scandalum venit. Expedit enim, ut lapis molaris suspendatur in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* *Luc. 17. 2.* Vult autem Dominus boni exempli intentionem non esse, ut ex eo crescat bona de nobis opinio, sed ut Deus laudetur, sine quo nihil amplius facere possumus, quàm palmes, qui si in vite non manserit, arescet, & in ignem mittetur. Aliam regulam dat Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.* Docemur hic modum, liberè & sine obligatione vivendi inter homines, videlicet non agendo ut lubet, sed ut oportet. *Rom. 13. 8.* Nam qui agit pro lubito, censetur eos contemnere, quibuscum agit, nullius rationem habendo

habendo, & sic eos offendit, & obligatione satisfaciendi contracta, minùs est liber. Ubi etiam intelligitur, qua ratione sit ineunda amicitia; videlicet eâ ne sic implicemur, ut propter amicos agamus, quod non oportet. Ergo ut in summâ dicamus, modus agendi cum hominibus à Charitate DEI sumendus, & Proximi: DEI, ut ejus mandata servemus ubique, nullo nos impediente respectu: Proximi, omnibus benefaciendo pro viribus, non alia ratione, quàm ex amore divino. Etsi facultas magna non suppetat, voluntas tamen & significatio ejus copiosa non desit; semper magis causas id faciendi quærendo, quàm excusandi, quod ille voluerit. In quo demonstrabit se homo esse opus Dei, qui omnibus omnium bonorum est auctor. Non enim bonus est homo, qui non omnibus & ubique cupit prodesse. Denique sit omnibus talis, quales sibi vult esse omnes; procurando voluntate, verbo & opere bonum omnium; non personarum, sed necessitatis rationem habendo.

Amicitiæ quomodo ineundæ.

IV. Pro electione familiarium, ac multò magis amicorum & consultorum, Paulus dat hanc regulam, ut nec manducemus cum improbis, nisi, ut benefaciamus eis, non assumendo vel probando mores eorum. Cùm autem studio salutis eorum cum illis est agendâ, charitas docebit, quomodo & quando id faciendum sit, ut absque scandalo ac detrimento fiat. Ad familiaritatem verò nostram, quantùm potest, non admittendi, nisi ejusdem nobiscum erga virtutem sint animi: qui si non reperiantur, expediet, omnibus affabilem esse, nemini familiarem. Quos autem consulimus, & taciturni sint oportet, & qui possint suadere semper meliora; nostra bona vel mala reputent pro suis, & vitæ probitate consiliis suis conciliant fidem. Et quia in vita communi multæ sunt occasiones faciendi mala, & etiam bona; qui fructuosè vult inter homines vivere, ante omnia procuret puritatem animæ propriæ, & morum suorum: sic enim nunquam destituetur lumine, & gratiâ DEI, ut omnia agat cum fructu. Deinde caveat tentationem communem, quâ plerique sibi persuadent, exercitia virtutum servari non posse inter homines, ideóque differunt ea in tempus, quo majore quiete illa peragant. Hanc excusationem finxit natura,

Ad familiaritatem quales admittendi sint.

Falsum est, virtutem inter homines non servari posse.

Nusquam sanctus erit, qui non ubiq; studet esse sanctus.

quæ refugit jugum virtutis. Quia, teste experientia, qui non studet ubique sanctus esse, nusquam est sanctus. Ergo in mediis negotiis profectum animæ suæ curet, qui vult proficere in solitudine: præsertim, quia de omni tempore ratio Deo reddenda est. Quo in genere mirabile fuit exemplum Christi, qui inter hominum turbas fuit semper attentus ad voluntatem Patris æterni; ut proinde nullus etiam hostium argueret eum peccati. Neque majus unquam fuit miraculum, quàm inter medios homines vita Filii Dei Incarnati modestissima, placidissima, quietissima, cum summa collectione sensuum, ac demonstratione sanctitatis absolutæ. Meminerint ergo servi Dei, quomodo exemplo Christi oporteat eos semper esse collectos, & multò magis, quomodo occupare animum, & exercere virtutes. Tantò enim Christus, cujus est illuminare, ordinare, vigorem & robur dare nostris actionibus, ulteriùs influet, quantò magis ipsi se conformare studuerint.

V. De secundo, quomodo supportandi sint, quibuscum agimus, exemplo nos docuit Christus, de quo prædictum est: *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris: non erit tristis, nec turbulentus.* Audiebat, videbat multa, quæ displicerent, & tamen tacebat; quia tempus non erat ea curandi. Tacere & sustinere virtus est, quâ sine offensa vivitur inter homines, & sine qua mens quietem habere non potest, maximè necessariam inter diversæ conditionis homines agentibus: quia major pars reprehensionem non fert, vel quia non cogitant alteri displicere, quod sibi placuerit; vel quòd ipsis alia omnia displicent. Unde gravissimum est, videre continuò ac dissimulare, quæ meritò nobis haud placent; maximè in vita spirituali, si quem Deus attrahens avocat à moribus communibus imperfectorum: quæ his occasio contra eos murmurandi, spernendi, nonnunquam & persequendi: quod quidem servis Dei peracerbum est, & excitatur à dæmone, ut eos in bono proposito infirmet per istiusmodi irrisiones & agnomina. Quibus necesse est, à Deo petere lumen, ne amittant interiorem cognitionem veritatis; & ut armentur perpetuâ patientiâ, ne dimittant, quod eis intus inspiratur à Deo. Præterea petant veram sui cognitionem, quâ agnoscant, se meritò parvipendi ab omnibus, ut

Isa. 42. 4.

Tacere, & sustinere magna virtutis est.

Semper dissimulare gravissimũ est.

Viro spirituali inter oblationes & irrisiones,

ut vindicentur injuriæ, quibus olim DEUM affecerunt. Gratias agant pro bona voluntate serviendi DEO, & aliis donis, quæ acceperunt præ aliis. Cogitent, se magis obligatos ad supportandos potiùs alios, quàm ut supportentur ab ullo: nam patientiâ cælum obtinetur; & vitia sua si supportentur ab aliis, majores agunt radices, ut fiant incurabilia. Teneant pro certo, à solo DEO pendere eventus eorum, quæ displicent ipsis; proinde non esse, cur turbentur, sed ex charitate aliis compatiantur. Solentur se dicto Isaiæ: *Si revertamini & quiescatis, salvi eritis: in silentio, & in spe erit fortitudo vestra:* nam tacere & supportare, sunt arma potentissima ad omnia, sine quibus vita quieta esse non potest. Et si cum hac virtute multos nihilominus in se defectus reperiant, cogitent, se multò minùs in aliis mutaturos, quod à se ipsis impetrare non possunt. *quid agendum sit.* *Isa. 30. 15*

VI. De tertio, quàm parùm oporteat se conformare judicio eorum, inter quos vivimus, nisi totam intentionem suam ferant in obsequium DEI, audiendus Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem:* qui alibi dixit; *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Sic igitur oportet accommodare se omnibus propter eorum salutem, ut tamen in nullo recedamus à vera virtute, quam docuit Christus. Quod quidem non est adeò facile in vita communi, cùm videamus pleroſque trahi paulatim in aliorum sensa & mores: quia rara est virtus, quæ velit omnibus displicere, & omnes habere contrarios, faceréque in eorum oculis contraria, ut placeat soli DEO. Hanc autem DEUS tanti facit, ut mira suavitate interna tales demulceat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, DEVS, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.* Nec sinunt se judiciis eorum abripi à veritate, quam intus agnoscunt. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.* Quod sanè merentur, qui nunquam perdunt respectum ac reverentiam DEI: sed hoc non nisi per multas displicentias, & oppositiones hominum fieri solet in vita communi. Unde suarum consolationum flore DEUS id eis compensat. Nunquam ergo quis curet *Non sunt sequendi mores hominum, quæ DEO non placent.* *Galat. 1. 10.* *1. Cor. 9. 22.* *Psal. 30. 20.* *Psal. 30. 21.*

Neque sermones eorum curandi,

hominum sermones, modò justam causam eis obloquendi non det; sed cùm facit, quod debet, occludat aures, parétque se ad constanter eundum contra potentes, sapientes, nobiliores, ac prudentiores seculi in his, quæ ad perfectionem vitæ evangelicæ pertinent. Id autem non poterit, qui spem aut prætensionem aliquam habet in hominibus; sed qui quærit honorem DEI solius, & ut indignam ac vilem aspernatur in corde suo omnem auctoritatem, quæ doctrinæ Spiritûs sancti non favet. Neque curet, si dicatur eum illudi, qui recedit à sensu communi, & singularis est. Nam alii decipiuntur: ac singularis non est, qui cum Christo, Apostolis, Martyribus, & aliis Sanctis est.

VII. Eadem est ratio Religiosorum, qui degunt in vita communi: quia non omnes, qui profitentur idem genus vitæ, sunt imitandi, si non satisfaciant instituto. Imò doctrina superiùs tradita magis est ipsis necessaria; quòd semper sint simul. Omnibus ita suasero, ut observatâ obedientiâ erga Superiores, patientiâ in omnibus, & erga omnes continuâ mansuetudine, humilitate morum, curent esse singulares & eximii in studio perfectionis Regularum, licet fortè Superiores ac Primores communitatis tales non sint. Ut autem in pace vivant, juvabit servare sequentia.

Regulæ quietè vivendi in Religione.

1. Non curent habere gratiam Superiorum, sed eis ad unguem obediant. Illud, ne cor DEO dedicatum transferant in pauperem hominem: hoc, ut DEUM in Superiore honorent.

2. Non habeant amicitiam, quæ distrahere possit cogitationes, & animum inquietare.

3. Non aliud quærant in Cœnobio, quàm pacem cordis, & puritatem animæ.

4. Non plus faciant pro amico, quàm pro inimico. Nam habere aliquem pro inimico, licet fortè sit, in domo DEI principium est factionum ac turbarum.

5. Affectum habeant erga viliores & contemptibiliores, eísque piè invideant. Quia tantò puriùs ac liberiùs oculos levant in DEUM; & eundem locum habent in Religione, quem habuit Christus in terra: & hic tantò magis favet eis, quantò minùs cogitant de rebus altis in mundo.

6. Non

6. Non habeant rationem eorum, qui sunt graviores, & majoris auctoritatis. Nam quidquid in Religione conciliat gravitatem & auctoritatem, eodem loco censendum est, quo officia magis humilia: & censeri aliquem honoratum ex dignitate, abjectum ex humili officio, religiosum non est,

7. Liberè sequantur puritatem virtutis, cum mansuetudine & silentio: licet ea forsan apud omnes in oblivione sit.

8. Spem habeant in adversis & persecutionibus, hoc sibi pretio cælum staturum: nam hoc genus est crucis valdè acerbæ, tum quia continua & domestica est, tum quia sub titulo servorum Dei, velut à gente sancta, sub colore zeli ipsis infertur.

9. Cùm vident imponi sibi per calumniam, quod nunquam habuerunt in animo; &, quæ bene fecerunt, perverti interpretatione maligna; orent pro illis, & cum silentio, patientia, & perseverantia stent firmi, contemnendo se ipsos; quòd, ut salventur, sit eis opus majore auxilio Dei, & ejusmodi exercitio, & ut servi Dei se persequantur.

10. Procurent continuum desiderium patiendi adversa, judicando se his indignos; ac petant à Deo, ut semper sinat eos videre, optimam & securissimam esse hanc viam in Religione. Studeant semper omnibus benefacere ac servire tanquam dominis, ac superioribus suis, sine spe gratiæ, laudis aut remunerationis ullius: neque propter maledicta illud omittant.

11. Cùm viderint omnia relaxata, seriò studeant reformare se ipsos, cogiténtque, se venisse ad Religionem, tantùm ut serviant aliis, eósque supportent; non autem, ut sint in gratia, vel supportentur ab aliis; sed ut in illa societate vivant solùm cum Deo. Si quid autem eis inferatur molestiæ ab aliis, non querantur, sed cogitent illos tanquam dominos posse tractare se pro libitu, tanquam servos. Hæc monita quos non juverint, hi pro mundanis & profanis in habitu religioso habendi sunt.

EXERCITIUM
De supportandis Moribus Hominum
I.

DIvine Magister veritatis æternæ, & piissime Pastor ovium errantium, bone Jesu, Domine & Reparator omnium jacturarum *Humanitas.*

Domini erga homines.

rum mearum! quis est hic amor, qui te sic adstrictum tenet hominibus, ut neque mala nostra, quæ maximè detestaris, te possint à nobis avellere? impleviſti cælum Angelis, qui te continuò laudant, ardent amore tui, adorant ac serviunt tibi; & tu descendis à cælo in terram, ut vivas per annos triginta inter homines, qui te nec noverunt, nec amant, neque colunt; & habitas cum gente improba, plena peccatis, ubi nihil vides, nisi tuas offensas. Quis te, Deus meus, abduxit ab eo more, quo consueveras agere cum hominibus? veniſti in paradisum terrestrem ad peccatorem Adamum, & eum inde ejeciſti: veniſti ad videndum, verúsne esset clamor peccatorum Sodomæ, quem audiveras, & eam inde deleviſti? cùm incederes per desertum cum populo tuo, Moyses ægrè placavit iram tuam, ne perderes eos propter sua peccata; & nihilominus tandem ferè omnes in deserto extincti sunt, qui exiverunt ex Ægypto, neque Terram sanctam viderunt. Nunc autem tu, qui es idem Deus æternus & infinitus, venis, ut vivas inter homines, & è propinquo intuearis eorum peccata, vivens in eorum ædibus, incedens per eorum vias, ubi sine ullo respectu peccant: & tu sustines, ac permittis eos vivere. Num fortè minùs clamant eorum peccata minúsque te offenderunt, quàm veterum? an ea minùs jam aversaris, quàm illorum? aut magis hos amas, quàm antiquos amaveris? Verè, mi Deus, dixit Propheta; *Operuiſti omnia peccata eorum: mitigâſti omnem iram tuam; avertiſti ab ira indignationis tuæ*: omnem ejus rigorem convertens in te, ut nos sublevares: dediſti nobis tuam præsentiam, ne iram tuam effunderes. Dissimulabas omnia, omnibus compatiebaris, & sufferebas importunitates, stultitias, & ineptias omnium. Dolebas omnium malis, sentiebas omnium offensas: & tu, Lux divina, incedebas in tenebris, ut non cognoscereris; Pater omnium sine amore, Deus omnium sine reverentia, divitiæ omnium sine æstimatione, beatitudo omnium nullo desiderante, Pastor omnium nullo sequente, summum bonum omnium, nullo agnoscente

Psal. 84. 4.

IESVS ignotus inter homines.

II. O qui se tibi adjunxisset! ô qui tecum egisset! ô qui te vidisset & audîsset semper triginta his annis! Pro me, Vita animæ meæ, pro me laborâsti tot annis. Et nunc tu es idem, qui me vides,

vides, me toleras; & quidem tam propè, ut intra hanc animam agas mecum, ac dissimules mecum; ut videas, an te videam, te intelligam, oculos meos ponam ad te amandum & colendum. Ne sis in me, Deus meus, ut lumen in tenebris; sed illumina me totum radiis tui splendoris. Si possem desiderare magnos favores, & auderem à te petere aliquid Majestati tuæ conveniens, non possem me latiùs extendere, quàm ut desiderarem esse unus de minimis in domo tua, & nunquam recedere à foribus tuis, ut, cùm per eas transis, osculer terram, quam calcâsti. Propheta intellexit, unum ejusmodi diem esse meliorem, quàm mille vitas: & tu Rex supreme, gloria & opulentia divina & infinita! id parùm existimas, sed quotidie venis ipsemet ad me quærendum; venis in domum meam, venis intra me. Ibi te invenio, quoties volo; neque hactenus voluisti deserere meum consortium, neque ultro discedis à me, quasi non videres mala mea. Quia scilicet vis omnia curare, si modò oculos convertam ad te, amem te, & agam tecum.

Talis etiamnum est inter nos.

III. O mi divine amator, rape ad te omnia desideria mea, & omnes sensus meos. Quid enim ego aliud velim, aut quid majus tu mihi poteris dare? Tu, Deus meus, aliud in tuis bonis non habes, quàm te ipsum, nec est aliud, quod possit optari; & tu hoc totum das mihi. Ubi sum ego, quando aliud cupio? quid me factum est, quòd te non videam? ubi amisi sensum, quòd te non audiam? Ah Lux mea, illumina me! Pastor meus, alloquere me, ut audiam vocem tuam, & agnoscam eam, nec nisi ab illa trahi me sinam. Quare ero tam miser, cùm te habeam ita propinquum? quare tam miserabilis, cùm te habeam socium? & tam remotus à te, cùm tu mihi sis tam conjunctus? Ah Domine! impedimenta, quæ sunt in me, tu vides: quæ mihi sint opus, tu cognoscis: quid amittam, tu sentis. Clament ad te necessitates meæ, & tu ipsis compatere: & quia te hîc habeo, conjice misericordes oculos tuos in illas, ut medearis; nec vivam tecum sine te; sed te amplectantur omnia interiora mea: te audiam, te sequar, te solum desiderem, in te solo requiescam.

IV. Tibi Domine, qui vides mala mea, confitebor, ut sanes ea, sicut tibi placet; & fugiam illa, ut misericorditer mihi condo-

nes.

nes. Tu justè me proscripsisti à cælo, quia id fui promeritus; & hæc est præcipua cura; ad quam me obligâsti, & cujus maximè rationem à me exiges. At ego mihi facio cælum in hac valle miseriarum, totus occupatus in illis, & immemor tuî. Omnis mea cura est, ut hominibus placeam, inter quos dego: ac doleo, si non habeâm faventes, quasi ipsi forent mei dii: æstimo laudes eorum, quasi ipsorum esset, opera mea laudare: turbor, si mecum contenti non sint; gaudeo, si contenti. Pudet me, tui similem esse, humilem, patientem, taciturnum, & aspernantem humana judicia. Sequor, quod approbant illi, tametsi tibi repugnet: & ut me accommodem illis, negligo debita tibi servitia, & fugio, quod scio, esse conforme purissimæ tuæ doctrinæ. O divina Misericordia! ignosce mihi exiguum respectum, quem quotidie erga te gero. Tu scis, quantò plùs apud me valeat, quod homines de me dicere possunt, quàm id, quod à me tua magnitudo requirit. Magnum esse me puto, cùm illi me æstimant, quamvis apud te parvo sim loco: vilem autem, cùm illi me abjiciunt, licet tibi sim acceptus. Cùm alios video esse in majori favore apud homines, contristor, & omnem veritatem, perfectionem virtutis, & integritatem perverto. Facio cum promptitudine ac diligentia, quæ incurrunt in eorum oculos, ne vituperent; & ægrè fero, si non probentur eis, ut vellem. In virtutis officio persevero, quamdiu ipsi vident: sed ante oculos tuos sapientissimos, sum totus tepidus & languidus: qualibet modicâ operâ in obsequio tuo navatâ sum contentus, non multùm curando, quid tibi debeam. Et quid in hominibus habeo, Deus animæ meæ? Non aliud, quàm quòd vivam inter mortales, miseros, exules, infirmo judicio, malè inclinatos in suis opinionibus, cæcos in æstimatione veri, delusos in approbandis bonis, & malis damnandis. Judicant secundùm ea, quæ sunt in oculis, & in omni re titubant, sicut terreni. Promptissimi sunt ad promovenda mala, diligentissimi ad bona impedienda. Locum dant vitiis, quidvis mali committunt, persequuntur bonos; & vivunt in perpetua inquietudine. Qui sunt super alios, non ideo sunt meliores, neque minores habent miserias: malitia & miseria regnant in omnibus. Quid ergo Deus meus, aut volo, aut possum sperare ab illis?

DEI, non hominum judicia cuncta sunt.

V. Ego

V. Ego judicandus sum ex eo, quod tu vides in me, qui æquus æstimator es veritatis: homines autem rem nullam tractant imperfectiùs, quàm veritatem, & oculos tantùm in exteriora defigunt: at ego propter hoc judicium me perdo, ac te relinquo. Libera me, Deus meus, ab oculis hominum. Sunt enim quasi oculi basiliscorum, qui, quæ vident, occidunt veneno. Quid spero, cùm in eis pono spem meam? Non præstant, quod non possunt; & si quid possunt, in eo, quod melius est, deficiunt. Denique, cùm ab eis affligor, & ea quæ facio pro ipsis, grata non habent, sed propterea me persequuntur & vexant; non habeo alium, qui me consoletur, & juvet, nisi tuum amorem paternum. Cur igitur tu non es primus in omnibus rebus meis? ô bone Jesu! non possum enumerare omnia, quæ tu invenis in me reprehensione digna ex hac parte: scio: quia video me abreptum vento hujus vanitatis; & ex omnibus id unum superest mihi, ut cogitem, nihil melius esse, quàm te; nec posse me miserias meas satis deflere. Infinitas tibi gratias ago, quòd volueris me sic esse, ut fieri dives non possim, nisi veris & æternis bonis. Averte igitur, Domine, oculos meos à vanitate. Libera me ab his, quæ prædantur vera bona: da mihi robur, ut ventis hominum, qui me impetunt, non evertar. Et quia non sum aliud, quàm aura, aperi mihi lumine tuo meos oculos, ut alterius rei rationem non habeam, neque cor meum separetur à te, bono æterno, & veritate summâ, per illusionem, pauperiem & vanitatem terrenam.

Oculi hominum sunt quasi basiliscorum.

VI. At verò, tu, Domine, me obligâsti, ut amem hos homines, quos me imitari & sequi non vis, ut sequar te solum: sed vides tenuitatem judicii mei, ac debilitatem ad satisfaciendum tantæ obligationi. Doce me, divine Magister, quandoquidem voluisti fieri noster, ac de cælo venisti in hanc pauperem habitationem. Cupio, Deus meus, supportare omnes, contemni ab omnibus, servire omnibus, & ab omnibus malè tractari, si tu ita ordinaveris: sum paratus pati, ut omnes sint contra me, si tu permiseris. Dilata mihi, Domine, cor, ut omnes pura tui charitate complectar: doce me non anteferre, aut ferre omnino in isto corde, nisi te, Deus meus. Sis tu Magister meus in omnibus rebus, ne me ulla

Homines amandi, non imitandi.

varietas aut mutatio porrò decipiat. Doce me, malle disgratiam, quàm favorem hominum; ne cor meum sequatur illos, te dimisso. Deme ab oculis meis cæcitatem & nebulam, ne me decipiant re hujus vitæ, sed æstimem unamquamque pro meritis. Tu mandâsti, ne timeam eos, qui possunt mihi adimere vitam corporis; sed te, qui simul animam potes mittere in gehennam. Sed ut hoc possim, Domine, da mihi ante omnia amorem veræ vitæ, & hujus miserandæ contemptum: da mihi priùs, ne quidquam aliud mihi ducam honori, quàm tibi soli servire ac placere: regna priùs in corde meo, ut occupatum à te nihil aliud metuat.

VII. Doce me, Deus meus, magni facere tui sequelam & imitationem. Quid enim amitto, quando amitto apud homines auctoritatem, honorem, famam, si placeam tibi? Quidquid dant homines, animæ interiora solari non potest. Tu in secreto consolaris, recreas, imples suavitate ac dulcedine incomparabili. Quando videbo me ditatum, sanctificatum, & consolatione tuâ perfusum in hoc exilio? Si me respicias, quàm ero dives, desertus ab omnibus; quàm lætus in disgratia omnium! Planta in me, Domine, virtutes, quibus tibi magis placeam, ne ullus meritò possit à me sumere occasionem alicujus mali. Da mihi latitudinem cordis, ut omnibus tui amore succurram. Pone in te solo spem meam, ac vota mea; quia tibi soli hæc debeo, tibi soli rectè impendo. Includе, Domine, linguam meam, & conforta cor meum, ut cum silentio & spe in te possim omnes sufferre, cum omni sua molestia, quâ me affecerint. Non permitte, ut respiciam grandes terræ, nisi ut vermes & escam vermium; quales verè sunt: ut tu solus in anima mea sis magnus ac summus. Tolle mihi intellectum omnis apparentiæ rerum, quæ tibi non placent, ut sequar tantùm puram veritatem, & te solum habeam in corde pro præmio; & existimationem, quam mereris præ omni magnate, sapiente, amico, socio, imò & sancto in terra: ne quidquam sufficiat me separare ab eo, quod mihi tu inspiras, néve dimittam tuam doctrinam. Omnia adversa & contradictiones, quas in tuo servitio habuero inter homines, tu, Deus meus, qui nôsti infirmitatem meam & ignaviam, excipe tu scuto bonitatis tuæ, ut me defendas, ne unquam prosternar,

Hominum solatia vana sunt, Dei solida.

nar. Ah Veritas mea! ah Custodia! ah Via! ah Vita mea! doce me in te, protege me in te, serva me semper vivum & firmum in te.

VIII. O Speculum veritatis æternæ, qui videris in cælo plenus omnibus bonis, & securos facis ab omnibus malis; quàm facile tibi esset, rapere in te oculos animæ meæ, ut ab omni malo me liberes! Scio, me tantùm vivere, quia tu me sustentas, tu me defendis, ne inimici me perdant: quia mei curam habes, & me gubernas, nondum interii. At si hoc habeo in te, dum sum immemor tui, & distractus à virulento mundo; quid habebo, cùm omnia interiora mea fuerint occupata semper in te? Reforma, Domine, intentionem hujus animæ, ut velit tibi soli placere: & cuinam debeo interiora mea, nisi tibi? quis mihi potest satisfacere, nisi tu? Ah Deus meus & omnia! si tu, qui es ignis divinus, non accenderis hanc animam, quomodo poterit te quærere? semper præsentem te constitue, Deus meus, huic meo cordi; ut dormiens, comedens, cogitans, loquens, & in omni negotio, te videat ante se, & vivat coram te cum timore, ac reverentiâ tuæ præsentiæ, & in omnibus quærat purè, quod tibi est gratius. Moyses nolebat se cum populo movere ab ullo loco, nisi promitteres te præcessurum; quia sine te non credebat se securum; posteaquam familiariter tecum agens, quadraginta diebus, vidit in te suam miseriam, & magnitudinem tuam, & quomodo nihil esset absque te. Et quomodo ego securus incedam per continua pericula animæ, nisi te semper facias conspici ab oculis meis, ut sequar te proximè? Si in cælo, ex tui conspectu semper absorptus, & lætus ero in te; hi pauci dies exilii mei, Deus meus, quare non accrescant æternitati, ut mox vivam de te, & in te solo? Non venisti in mundum ad versandum inter homines, nisi, ut semper haberent secum Magistrum suum, ac totum suum bonum. Ideo supplico tibi, Domine, per illum amorem, quo me trahis ad te, ut inter homines agendo semper inveniam te, sisque tu meus magister, Dux, & omne Bonum. Offero tibi omnes cogitationes ac intentiones meas: tu illas purifica secundùm desiderium, quod mihi largiris; ut, quantus quantus sum, te solum respiciam, tibi soli velim placere, solum te amem, te suspirem, in te quiescam.

Semper attendamus ad DEVM

O Mater Dei sanctissima, quæ in terra conversatione Domini Jesu fuisti opulentior omnibus mundi potentibus, & ei placuisti præ omnibus creaturis! duc me in societatem hujus Domini, & impetra mihi, ut alia omnia mihi fiant insipida. O Curia cælestis, quæ semper vides hunc Dominum, & ob hoc affluis omni felicitate ac beatitudine! tu bene scis, quomodo tendam ad interitum, quando non sequor hunc Dominum: impetra mihi, ut ejus amore capiar & pulchritudine, donec vobiscum semper eo gaudeam cum satisfactione. Amen.

ÆRVMNA XV.

Jejunium Domini, & Vita in Deserto.

I.

Cum Dominus esset ejus ætatis, ut deberet se magis manifestare mundo per doctrinam & miracula, jussit Spiritus sanctus Joannem prodire ex deserto, & Judæis prædicare pœnitentiam; quòd adesset Christus verus Filius Dei, pridem ipsis promissus. Et quia Dominum antè non viderat; ne argui posset testimonii dati de eo, quem ipse haud nôsset; dedit illi indicium, quòd ille sit Christus, super quem visurus esset Spiritum sanctum descendere in specie columbæ. Dum ergo prædicaret Joannes, ac baptizaret pœnitentes in Jordane, Dominus inter peccatores accessit, petiitque Baptismum. Jam assumpserat carnem peccatoris Adami, & formam pœnámque in Circumcisione, & operibus pœnitentiæ, quæ toto tempore vitæ peregerat: sed ut magis conformaret se peccatoribus, qui convertebantur, voluit baptizari cum illis, sanctificando pariter aquas, quibus olim abluti gratiam erant consecuturi. Joannes eum statim agnovit, antequam videret signum Columbæ. Unde videtur hoc signum ei non datum esse propter se, sed ut per illud aliis fidem faceret suo testimonio. Nec poterat illa puritas animæ sanctissimæ, & charitas, quâ flagrabat erga divinum Sponsum perfectissimus amicus Sponsi, illum non agnoscere. Quia lux oculis mundis & apertis occultari non potest: & amor, qui primâ horâ sanctificationis occupavit animam

Jesus baptizatur instar peccatoris, & simul sanctificat aquas.

ejus

ejus in utero, sentiens præsentiam sui dilecti, non potuit eum agnoscere, quem cernebat oculis. Sanè, si agnelli sine alio signo suas matres agnoscunt in medio grege, & hæ noverunt illos, utcunque sint colore ac forma similes aliis; quomodo Joannes non eum agnosceret ex millibus, à cujus spiritu & amore solo vivebat? Hoc est privilegium puri amoris DEI, nôsse illum in quacunque forma, quantumvis aliena & impropria. Qui de hoc dubitat, amet; & postea queratur, si eum haud noverit.

Amantes Deum statim agnoscunt, quamvis absconditum.

II. Recusabat Dominum baptizare Joannes, & hunc favorem optabat potiùs recipere à manu ipsius, ut plenior fieret gratiâ ac donis divinis; ac reputabat se non rectè obiturum suum officium, si, quem prædicare debebat filium DEI, priùs baptizaret ut peccatorem. At ubi Dominus exemit illi hunc scrupulum, dicendo sic oportere fieri in exemplum pœnitentiæ, humiliter paruit. Quia Sancti in his, quæ faciunt in obsequium DEI, non nituntur suo judicio, nisi cùm de voluntate divina aliunde non constat, sive ex eventu, sive ex alio signo: nam tunc ordinem rerum suæ divinæ Majestati committunt, de sola ejus executione soliciti, non se miscendo ejus divinis & occultis judiciis. Ita Joannes permisit Christum præ se ferre signa humanæ naturæ, divinæ testimonium superaddens, ut jussus erat: ac modum id confirmandi & prævalendi, sapientiæ ipsius relinquens.

Joannis obedientia.

III. Unde etiam statim post Baptismum Spiritum sanctum in figura Columbæ super Christum vidit descendere, & populo dixit, hunc esse Agnum DEI, qui tolleret peccata mundi. Et Pater æternus idem clara voce de cælo comprobavit dicendo, hunc esse filium suum dilectum, in quo sibi bene complaceat: indicans, posteaquam eum vidit factum hominem, & in figura peccatoris, non ampliùs inter se & peccatores fore displicentiam, quâ hactenus fuerit alienus ab ipsis. Idem testimonium cum commemoratione prædictorum signorum, repetivit Joannes, Domino præsente, cùm rediisset ex deserto: & cùm Pharisæi quærerent, an ipse esset Messias: & tota reliqua vita sua usque ad mortem constanter ac fideliter officio suo fructus est, omnes contestans, ne ullam sui rationem haberent, eò quòd indignus esset solvere

Spiritus sanctus, ac Deus Pater testantur, Jesum non esse peccatorem, qualem se gerebat, sed peccatorum abolitorem.

corrigiam calceamentorum ejus, & quod imminui se oporteret, Agnum verò Dei crescere.

IV. Christus, ut hanc sui manifestationem doctrinâ confirmaret, ac divinis operibus, voluit priùs 40. dierum recessu ad ad hoc se accingere, ac de fructu doctrinæ, passionísque secuturæ, tractare cum Patre, tametsi totis annis 30. jam nihil aliud egerat. Et quamvis ei suus divinus Spiritus inseparabiliter adstiterat, dicitur tamen peculiariter eum duxisse in desertum, ut intelligamus renovata in ejus corde immensa incendia, cùm tempus appeteret pugnæ, ad quam anhelabat; simul etiam magnitudinem negotii, quod tanto pondere, numero & mensurâ aggrediebatur. De commoratione in deserto aliud non memoratur, quàm illum jejunâsse, & sub finem tentatum fuisse. S. Lucas dicit, eum nihil interim comedisse: S. Marcus, eum fuisse cum bestiis, & Angelos ei ministrâsse: relinquentes nobis occasionem considerandi, quas molestias passus hîc sit Dominus, utpotè in Januario & Februario, mensibus asperis ab aura, pluvia, nivibus, gelu, frigore, luto, sine domicilio ac tecto, sub quod se reciperet: majorem partem noctu frigus passum oportuit, vestibus madidis à pluvia, quæ interdiu non siccabantur aliter, quàm gramina soleant à sole non forti. Humi cubantem duritia soli vexabat; incedentem, saxa & spinæ; ac denique innocentissimum corpus ejus patiebatur, quod non erat promeritum: nec dabat creaturis licentiam, ipsum aliquo modo recreandi, aut refocillandi; quod erant utique facturæ Creatori ac Domino suo. Jejunium ipsum sine gravi cruciatu non fuit, ac debilitate corporis, mente occupata cum Deo. Neque enim sibi indulsit, quod Moysi & Eliæ, ut per miraculum non sentirent famem ac sitim per tot dies: sed ut cupidus erat patiendi, sustentavit solùm vires, quantùm erat opus ad orandum & patiendum, debilitate ac fame interim crescente ac sæviente, ut sine dubio ipsum perimeret, nisi per divinitatem vitam ad ampliùs patiendum servaret. Atque ita miraculum fecit ad se magis torquendum. Quanta sit vis famis, multis exemplis novimus eorum, quos ad immania & infanda adegit: non minor fuit in Christo, licet nihil eorum, quæ alii in hac necessitate, commiserit. Toties ergo vitam ei debemus,

JESVS amore ductus in desertum,

Jejunium Domini sine cruciatu non fuit.

mus, quoties erat moriturus præ fame, nisi amore plura patiendi pro nobis, miraculo vitam servâsset.

V. Quòd autem fuit cum bestiis, prætereundum non est, ut videamus, quòd usque ad consortia serpentûm, ac bestiarum se nostrâ causâ demiserit. Et hæc ipsa non ad oblectationem aliquam ex iis capiendam admisit, sed ad memoriam bestialis vitæ peccatorum; quorum non sine intimo sensu ac suspirio recordabatur, cùm illas ad se mansuetè venientes, aut vocatas blandè demulceret, affusis ardentibus lacrimis & orationibus pro feris moribus rationalium leonum, ursorum ac viperarum, & eorum præsertim, quos cùm leniſſimè alliciat ac tractet, nihilominus prævidebat in sua feritate perseveraturos, ac perituros æternùm. Cùm autem & Angeli ad eum accederent ministraturi, & omnem ejus nutum observaturi; solus homo deerat, cujus tamen causâ descendit è cælo: quod Dominus sine magno dolore non vidit: sed accinxit se ad eum quoque adducendum, quandoquidem ultro non veniebat, imò summo studio & labore quærentem fugiebat. Est sanè, quod invideamus his animalibus, quæ in societate Creatoris nativæ feritatis obliviscuntur; & imitemur Angelos, qui inter feras Dominum suum agnoscunt, & assistunt ad ejus obsequia. Neque enim per hos nos Dominus excludit, sed omni hora patêre nobis vult accessum ad se, quem tantopere desiderat; sive tanquam bestiæ deponamus ferociam, sive ut Angeli cum puritate & amore ipsum quæramus. Non enim ivit in desertum, ut fugeret homines, sed ut redeat ad eos colligendos tantò majori humanitate, quantò graviùs sensit eorum absentiam.

IESVS cum feris agens, quid cogitârit.

VI. His exemplis Dominus duo quædam nos docuit, perquam salútaria. Primum, quanti momenti sit salus animæ, quam ipse tanti fecit, ut negotium ejus non aggrederetur antè, quàm Patris æterni justam iram placâsset 40. dierum jejunio & oratione; opus, quod suscipiebat, ei commendans, ac doctrinæ laborique suo benedictionem & assistentiam petens. Non intererat ejus, nos perire aut salvari: sed posteaquam in se recepit hanc curam, cùm intelligeret, quanti res ponderis foret, omni diligentia, studio, totisque viribus eam sibi tractandam censuit. Et quoniam

Quanti momenti sit salus animæ.

omnia

omnia noſtra dependent à ſalute animæ, omnes actiones noſtras ab eâ regi vult, nec illi quidquam acceptum eſt, quod in præjudicium animæ cedat. Ex quo agnoſcamus licet conditionem, in qua ſumus, cum tanta tantique momenti obligatione; cujus tamen miſeri majori parte vitæ aut obliviſcimur, aut exiguam rationem habemus, quaſi minimæ omnium. Atqui Chriſtus, æquiſſimus rerum ponderator dixit: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* & narravit de quodam, qui abundans opibus, non majorem curam habebat, quàm ut dilataret horrea ſua immemor animæ: ſed ei de cælo dictum eſt: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parâſti, cujus erunt?* & addidit: *Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* O igitur ſtulti Reges, & Doctores, Monachi & Sacerdotes, Prælati & Antiſtites! ô ſtulti Duces & Milites! ſtulti Equites & Pedites! ſtulti divites & pauperes! ſtulti privati & amici Principum! ô ſtulti otioſi & operarii, ſtulti mercatores & negotiatores! ſtulti omnes Chriſti ſententiâ, quotquot conſumptâ vitâ, viribus & ingenio, inter veſtras occupationes negligitis ac perditis animam! quid juvat, omnibus rebus abundare, ſi vacui cæleſtibus, cùm alia defecerint, detrimentum animæ patiamini? Meritò res hæc ingentem timorem incutiat nobis, cùm videamus Apoſtolum confirmatum in gratia, caſtigare ſuum corpus, ne pereat: Auguſtinum nullam ampliùs horam impendere tradendis artibus liberalibus, ne quid decedat occupationibus debitis animæ: Bartholomæum excoriari, aſſari Laurentium, Baptiſtam 25. annis nullum verbum otioſum loqui, Apoſtolos & Martyres dilaniari, integras cohortes Sanctorum abire in deſertum, alios ingenti ſpiritu condere monaſteria, quaſi totidem carceres, ut fugiant mundum; immenſam diligentiam, inſatiabiles labores, ardentiſſimos ſpiritus, quibus prædicti & innumerabiles alii contenderunt animas ſuas collocare in tuto: præſertim, ſi accedat, quòd plenæ ſint omnes viæ perditionis & vitiorum, cum vana confidentia ſalutis; tempus malè conſumatur; libertas maxima ſit ſenſuum, inventiones recreationum plurimæ; ſaluti animarum detur minimum temporis, reſidui aliis occupationibus, & ferè magis incommo-

Matth. 16. v. 26.

Luc. 21. v. 20.

commodi; & hoc ipsum tamen habeatur pro magno, aut etiam nimio, quantumvis tepidum, pigrum & vile sit, quod facimus pro anima. Cujus quidem mali non aliud apparet remedium, quàm ut oculos conjiciamus in Christum, ac petamus, ut nostri, quos tam carò ex amore redemit, meminisse dignetur. Quanquam qui nos sine nobis redemit, sine nobis nos haud salvabit: Ac licet nemo salvetur, nisi vocatus à Deo; ipse tamen non rogatus nos vocat, & antequam rogemus eum, paratus est nos juvare: defectus autem semper est in nobis. Discamus igitur à Christi diligentia, quantam nos oporteat curam habere salutis, & obtinendi, quæ ad eam sunt necessaria.

VII. Alterum documentum est, quomodo nos jejunare, & alias virtutes externas exercere conveniat, ut per eas tollantur mala & vitia, contra quæ suscipiuntur. Nam, ut quidam ait, jejunare & peccare, est imitari diabolum, qui semper facit mala, & nunquam comedit. Christi jejunium fuit conjunctum orationi: & secedens à strepitu hominum, totus erat intentus rebus divinis. Et Deus in Sacra Scriptura damnat jejunium cum propria voluntate, malis operibus, pravis occupationibus, & inclinationibus, legi divinæ contrariis. S. Gregorius jejunium, sine mortificatione affectuum, comparat Simoni Cyrenæo, qui portavit Crucem Christi, sed non est in illa mortuus cum Christo. Ita jejunium solum non tollit vitia, nec plantat virtutes in anima; sed potiùs per illud committitur injustitia quædam, ut innocens puniatur pro reo; venter pro lingua, quæ maledixit; pro oculo, qui lasciviit; pro desideriis, quæ sine freno vagantur; pro aliis vitiis, quæ regnant in anima, sine alio remedio præter jejunium. Deus non est injustus, ut accipiat satisfactionem ita iniquam, & pœnitentiam ita inanem. Si abstineamus ab eo, quod nocet animæ, hoc erit gratum jejunium. Non quòd malè faciat, qui in peccato jejunat; licet hoc ei ad salutem non prosit; melius est enim, jejunare sine merito, quàm non jejunare cum demerito; quia saltem reddit aptiores ad bonum: sed hæc dico, ne rem tam pretiosam támque laudatam à Patribus, faciamus absque fructu; quem percipit, qui mortificationem conjungit jejunio. Porrò moderationis in

Jejunare & peccare est imitari diabolum.

Jejunium sine mortificatione, non tollit vitia.

Regula moderandi jejunium.

jejunio duplex est regula. Prima S. Augustini, ut vitetur in eo multitudo ciborum; ne jejunium vertatur in luxum. Altera, ne sic debilitetur natura, ut impediatur à melioribus; ut est, administrare Sacramenta & verbum Dei; maximè si hæc ex officio facienda sint: præcipuè verò, ne impediatur ab oratione, in qua plus lucratur anima, quàm ulla alia exercitatione. Qui hanc moderationem non servant, melius est, ut comedere cogantur contra suam voluntatem, quàm ut jejunent. Sed & illa diaboli fraus vitanda est, qua quidam sunt magis dediti voluntariis jejuniis, quàm præceptis. Conatur enim hostis eos per voluntaria debilitare, ut tandem præcepta servare non possint; vel sint minùs devoti ad præcepta, quàm ad voluntaria. Denique omnis virtus, quæ habet plus propriæ voluntatis, quàm obedientiæ, suspecta est. Mavult enim Deus obedientiam, quàm victimas, qui per obedientiam est immolatus in Cruce.

EXERCITIUM
Circa Jejunium & Vitam Domini in deserto.

I.

GLoria Angelorum, divitiæ beatorum, & fidelissime Amator pauperum peccatorum, mi bone Jesu, Deus ac Dominus meus! quas tibi gratias agam pro favoribus, quos mihi fecisti, & facis omnibus horis? laudent te mecum, Domine, omnes creaturæ tuæ: & quia major es omni laude, opera tua te laudent, perfectiones tuæ & magnitudines tuæ: quia ad mensuram earum imples me donis, non secundùm capacitatem meam. Quid me fieret, si non tu mei curam suscepisses, & si essem sine gratiis, quas continuò mihi largiris? Doce me gratum esse, quantùm debeo, & amare te, quàm maximè possum; quandoquidem non possum te amare, quantùm mereris, saltem totum me, & quidquid est in me, occupet amor tuus. Tu bene scis, Domine, si conjungeres in me amorem omnium justorum, quos habes in cælo & in terra, egóque omnium amore continuò te amarem, perexiguum fore comparatione ejus amoris, quem tu geris erga me, & curæ, quam habes de me. In illa magna æternitate, priùs quàm nascerer, me habebas præsentem in divina tua sapientia, & suscipiebas in te peccata mea, necessita-

Amor omnium simul justorum est exiguus re-

cessitates meas, & media salutis meæ. Bene videbas, me tibi non esse necessarium; sed ex æterno amore, quo me diligebas, misertus es mei, & fecisti, quidquid erat in te, ne damnarer. *spectu eius, quo DEVS nos amat,*

II. Adoro hunc infinitum amorem: adoro hoc pectus, cui me habebas inscriptum: adoro hanc curam feruentem, quam gerebas de mea salute. Non pereat Domine, hæc tua creatura; ne frustra curam illam & laborem impenderis. Amore mei vadis in desertum: versaris Filius DEI cum feris: recipis Angelorum servitia, & suspiras, quòd ego non adsim: me desideras: pro me jejunas 40. diebus: pro me affligeris fame, ac debilitaris: pro me degis in sole, vento, pluvia: pro me cubas humi: pro me lacrimas multas fundis ad Patrem: pro me exoras, ut mihi placetur, & satisfaciat ei meritis tuis, acceptans tuos cruciatus & mortem: pro me rogas, ut aperiat mihi sensum, ad audiendam & recipiendam tuam doctrinam; ut me illuminet veritate tuæ Fidei; sufferat peccata mea & recipiat me in gloriam suam. Quid habeo, vel spero boni, ô pie IESU! quod non debeam his lacrimis, his accensis orationibus, huic pœnitentiæ, jejunio & amori, quo negotiaris pro omni meo bono, priusquam sim natus, priusquam te noverim, te amaverim, aut potuerim te rogare? O mi amantissime Pater! quæ anxietas & cura est hæc, tam tenera & solicita, quam geris erga hanc pauperem creaturam? Tu magis sentis mea mala & meam perditionem, quàm si me parturires: majore teneritudine me curas, quàm si gestâsses me intra tua viscera. Jmò quid dico? in isto corde me ferebas, me amabas, colligebas, vocabas & excitabas. viribus & opera hujus æterni amoris; ut cùm vixero, circumdatus miserationibus tuis, amorosum hoc & paternum pectus tuum agnoscam. Accendere igitur & inflammare, ô frigidum cor meum! amore hujus tam suavis ac dulcis Domini. Dilatare, cor pauper: qui te tantopere desiderat, ac tantum fecit pro te, non poterit te aspernari. Ego, bone JESU, nescio amplùsloqui; sed conjicio me in hunc ignem amoris, quo tu flagras: ibi divinus amor tuus dedit mihi esse, & omne bonum: eò revertor, ut me offeram. Ure me, Domine, & combure, & da mihi hoc, quo me trahis ad te tot lacrimis & laboribus. Ego ex toto corde amo te, mi bone JESU: & si tu vides, quòd non ita sit, sal- *qui etiam Iesum adegit in desertum.*

tem desidero toto corde te amare: & si vides hoc desiderium ex toto corde non esse, desidero tale desiderium: & si in hoc toto decipior, scio me non decipi, quòd tu, qualiscunque sum, me recipias.

III. Vides hîc, Domine, pro quo labores: vides in me, quod tibi dolet; sed in te, quod mihi est opus. Fac quod scis, quod potes, quod vis in hoc paupere tuo seruulo. Fac, ô Lux Divina, ut me videam in te, & me cognoscam: ut cognoscens abhorream; abhorrens à me ipso fugiam, & veniam ad te, qui solus potes me liberare, & sanare vulnera mea. Quæ justitia & quæ convenientia est, DEUS meus! ut tu tanta diligentia & solicitudine procures salutem meam, & ego tendam ad interitum, sine cura tecum agendi? Tu, bone JESU! à tui conceptione in utero, usque ad mortem in Cruce, totam vitam, totam occupationem, omnem operam & laborem consumpsisti in hoc; & ego miser ac cæcus, non animadverso periculo, quod me undique cingit, vivo immemor mei ac tui, quasi nihil mea referret. Tempus, quod largitus es mihi ad tua obsequia, & merita regni tui, prætervolat: & ego id insumo in peccatis & cupiditatibus; quæro occupationes facturas, ut inter oblectamenta iacturam illius non sentiam. Transit infantia, præterit juventus, & omnis reliqua ætas, ut cum veritate non possim dicere, me unum bene & perfectè transegisse, sine defectu in opere meæ salutis. Cogitationes distractæ, desideria animæ malè impensa, memoria scatens infinitis vanitatibus, intellectus occupatus in rebus terrenis: voluntas in pudendis vilitatibus: sed & jejunia, preces, & alia, quibus poteram tibi satisfacere, sunt ejusmodi, ut propter teporem, imperfectionem, & culpas admixtas, meritò me possis pro illis punire. Omnis alia res, quæ occurrit in vita, me solicitum habet & anxium, plenum cogitationum & passionum tristitiæ, lætitiæ, timoris aut spei. His ita divisum & occupatum est miserum cor meum, ut, cùm volo agere tecum, vel de te, me ipsum non reperiam, neque omnino putem, me esse opus manuum tuarum: tam alienus à spiritualibus, tam durus ad tuam conversationem, tam ignarus in puritate cordis, tam exigui gustûs in rebus, quæ tecum conjungunt, tam rudis in omnibus, quæ mihi sunt

Deploratio nostræ negligentiæ.

sunt propria; quasi non essem natus ad amandum te, & ad vitam æternam. Ita peto à te cælum, ac si id mihi deberes: ita vivo securus, ac si id meritus essem: ita mihi satisfacio in qualicunque bono, vel specie boni, quod facio tam pigrè, tam malè, cum tanta tepiditate; ac si jure dominus forem regni cælestis. Omnis alia occupatio apud me habet priorem locum; cùm tamen hæc sit præcipua: & tu vides periculum securitatis, in qua dego, & ego ipse id nolo videre. Et amor, quem erga me geris, te cruciat & afficit dolore, quem ego deberem habere.

IV. O Fons bonitatis & misericordiæ! ô Pastor divine, Filî Dei vivi, qui de cælo venisti in terram ad quærendas oves perditas, & ideo quæris eas, quia nos scimus eas perdere, sed non scimus reperire! Ego me perdidi, ut ovis aberrans: deserui pascua tua dulcia, quibus pinguescunt animæ, pro venenatis herbis mundi. Profugi ex tuo ovili, deserendo obedientiam, & sequendo lupos, qui me devorant & consumunt. Perdidi viam, quâ me ducebas, & abivi transversùm in devia, qaæ ducunt ad interitum. Agnosco, divine Pastor, me errâsse ubique: quære tuam oviculam, quære tuum servum, admitte me in societatem harum Bestiarum, inter quas vivis; quandoquidem evasi magis brutus, quàm illæ; recipe me solitâ tuâ humanitate, & subjice tuæ obedientiæ. Duc me tecum, Domine: planta in corde meo vivam & efficacem cogitationem salutis; quandoquidem vis, ne peream. Et quia hoc est, ad quod me obligas super omnia; fac divino tuo lumine, ut semper videam, quantùm id meà interfit, ut tibi associer in cogitatione & labore, quo meam salutem operaris; & tua virtute adjuves infirmitatem, quam vides in me. Tu, Domine, dixisti, quòd nemo possit venire ad te, nisi pater tuus attraxerit eum: tu, Domine, bene scis non opus esse Sanctis, ut trahantur, sed peccatoribus, ut eos sanctifices: non debent tractari mites, sed duri intractabiles, ut cicurentur: non mansueti, sed feri, ut mansuetudine tua mutentur: posteaquam tuâ benignitate trahis ad te feras, & familiariter tractas; non mihi negabis, quo minùs inter eas assistam, quæ te non nôssent amare, nisi tecum essent, aliàs ad priorem feritatem redituræ. Sed si me attraxeris, me semper tecum retinebis domesticum & mansuetum,

Homo magis brutus, quàm bestiæ.

velut agnum ex lupo, ovem ex leone, humilem servum è vipera, qui per omnem vitam te sequetur, sicut desideras.

Oseæ 2. 14. V. Tu per Prophetam promisisti animabus, à te separatis, te ducturum in solitudinem, & ibi locuturum eis ad cor: tu scis quæ sit ea solitudo, ubi sine turbis ac strepitu rerum terrenarum possis audiri: quæ sit, ego non intelligo; sed hoc bene scio, quòd, ubi te solum audirem, & tu loquereris ad cor meum, ibi plenus essem te, & tibi satisfactum esset in me. O solitudo plena omnium bonorum, qui te aliquando posset videre! Ah Domine! duc me in illam, loquere mihi ad cor: loquere, Domine, & ego audiam: obmutescant omnes aliæ voces: vox enim tua dulcis, & eloquium tuum suave. Mox uno momento me purgares, me tuo amore corriperes, mihi verteres in amaritudinem omnia, ne me disjungant à te. Taceant igitur omnia, loquere tu solus, Magister meus, ac Dominus meus, divinus Consolator meus, & purus amor meus.

Beata solitudo cum IESV.

VI. O Mater Dei, ovis purissima, quæ nunquam errâsti, sed semper secuta es in spiritu Dominum, & à societate ipsius accepisti plura bona, quàm simul omnes aliæ creaturæ: participa cum hoc pauperculo: fac, ut recipiatur à Domino, & possideatur totus ab eo, ne ulla res alia vel minimam mei particulam retineat. O Curia cælestis, duc me in hoc desertum cæli, securum à nostris periculosis tumultibus, plenum æternis deliciis, & bonis gloriosis: & quia sum creatus, ut sim in vestra societate, impetrate mihi vivum desiderium ejus, quod vos indefesso studio procurâstis, ac tali modo transire per adversa hujus vitæ, ne vestrâ beatâ societate priver. Amen.

ÆRVMNA XVI.

Tentatio Domini.

I.

Diabolus tentat sub specie boni.

TRansactis absque cibo 40. diebus, Christus permisit naturam suam ita debilitari, ut diabolus putaret se bonam occasionem habere, illum tentandi, sine sui manifestatione. Solet enim uti hoc astu, ut observet, quando possit sub specie faciendi boni, vel necessitatis, vitandi saltem majoris mali, incautos seducere. Quamquam apud eos, qui

qui sponte ipsi obediunt, hâc fraude opus non est: etenim ut primùm petit, ei tanquam Domino, dant liberum transitum: nec tam timent facere peccatum quodlibet, quàm ab eo sanari. At cùm vocantur à Deo ad pœnitentiam, & obedire volunt, sentiunt gravitatem culpæ, molestiam tentationis, & insidias hostis ægrè discedentis ab arce dudum infessa. Illi ergo propriè tentantur; qui resistunt diabolo: cujus ut exemplum haberent, voluit Dominus tentari per insidias, post 40. dierum secessum, contemplationes rerum cælestium, & mirandos excessus amoris. *vel necessitatis.*

II. Mirum valde, quòd sustinuerit se Dominus tentari ad peccandum à creatura, tam vili & maledicta. Sed quia se obtulerat ad patiendum omne genus mali, sine peccato, ideo etiam sustinere dignatus est tentationem, quod periculi & laboris plus habet; ut etiam in hoc genere se socium haberemus. Quod ut fieri posset, abscondit diabolo non tantùm divinitatem, sed etiam gloriam animæ; quam, si novisset, nunquam esset aggressus: quia nôrat se beatum nullum posse seducere. Videbat quidem sibi datam licentiam, eum foris tentandi, sine ulla limitatione, apud alios Sanctos ei præscribi solita; ac tantam puritatem esse ejus animæ, ut nullâ malitiâ suâ, dolóve posset turbari: quia tamen superbiâ suâ ita excæcatus erat, ut non crederet Deum (quem non ignorabat aliquando assumpturum carnem humanam) adeò se humiliare, ut sineret se ab ipso tentari; & putaret ea, quæ cernebat in Domino, esse dona Dei specialia, non autem perfectiones naturales, & propria attributa: etsi perpetuò suspicaretur aliquid divinum de ipso, ideóque nihil omitteret, quo posset in rei cognitionem venire. Igitur ex occasione famis, ac debilitatis corporeæ, sumpsit speciem eremicolæ, compatientis ipsi, & revocavit ipsi in memoriam favorem, quem nuper à Deo acceperat, cùm de cælo vocaretur Filius dilectus, sicut olim etiam populum suum vocaverat, cui proinde inter alia beneficia in siti aquam de petra produxit: non minùs ergo facturum ipsi panem ex lapidibus, modò ipse id velit. Hæc aut similia dixerit nequam, ad occultandam suam personam, & colorem inducendum suis consiliis. *Diabolus non credidit tantam humilitatem cadere in Deum incarnatũ, ut sineret se ab ipso tentari.*

III. Varia hîc afferuntur de his tentationibus, ut, quòd 1. fuerit gulæ, quâ lapsus est Adam: 2. Superbiæ, quâ cecidit Eva:

3. Ido-

3. Idololatriæ & cupiditatis, quâ totus mundus corruptus est. Alii dicunt, eos adumbrari, qui vincuntur à diabolo. Primò per voluptates & epulas, quibus tanquam lapidibus anima sustentari non potest. Secundò per vanitatem ac superbiam, quâ sic extolluntur, ut casu graviore ruant præcipites. Tertiò per avaritiam, quæ juxta Apostolum est idolorum servitus. Alia multa proferuntur de responsis Christi, quæ in omni tentatione sunt arma tutissima, & excellentissima remedia animarum errantium, ut reducantur in viam. His omissis, aptiùs huic loco dicunt alii, diabolum ad nos decipiendos, observare inclinationem cujusque, ut secundùm eam struat insidias, si bona sit, virtutis specie, colorando sua mala, ei obsecundando; sempérque curando, ut lateat, ac tegat insidias. Et cùm undique occlusam videt animam, inserit se in dona & favores divinos, qui licitè possunt desiderari & acceptari; ut videat, an per excessum aliquem, aut ingratitudinem, aut proprietatem, aliúmve modum possit venenum aspergere. Sic tentavit Christum in fame, per speciem summæ sanctitatis, quâ diligebatur à Deo ut filius.

Tentator observat nostram inclinationem.

Purus amor Dei plenus est fiduciâ.

IV. Proprium est perfectæ virtutis, maximè charitatis & puri amoris Dei, vivere in securissima confidentia in illo, & nihil curare, quod occupet, vel distrahat animum, omnia divinæ providentiæ remittendo. Sic erat Paulus Eremita, quem Deus 90. annis aluit in deserto: sic alii, quorum Deus habuit curam: quia tam est fidelis, ut, quisquis ei plenè confidit, ei nihil patiatur deesse. Et hic tantus est gradus virtutis, ut habeat similitudinem quandam vitæ cælestis in terra; nec assequatur eum, nisi cui Deus ipsemet illum inspirat. Quos enim in tam felicem regionem pacis inducit, eos ipse gubernat, liberando illos ab omni errore & illusione, & cogitatione terrena, totos occupatos in Deo. Quod qui sine bono fundamento affectant, incidunt in multa inconvenientia, errores & pericula: quia nondum acceperunt hoc donum à Deo; & necessarias occupationes vitæ statúsque sui omittentes, pro pace turbas incurrunt & laqueos. Videns ergo diabolus Jesum tanto tempore sine omni cibo vivere, cùm Eliam panis ab Angelo datus, Moysen gloria, in qua cum Deo versabatur, sustentaverint; judicavit eum esse admodum perfectum: & hinc eum aggressus

greſſus eſt, an confidentiâ in Deum vellet abuti, cogitando ſe id bene mereri, ut miraculo fami ſuccurrat. Quæ tentatio tempori accomoda & occulta erat, cùm appareret melius, per confidentiam in Deo, ſuccurrere neceſſitati præſenti, quàm diſtrahi quærendo aliud humanum remedium: re ipsâ verò humilitatis erat, agnoſcendo propriam infirmitatem, quærere medium licitum & conſuetum, quando Deo non placebat facere miraculum: eſsétque pervertere ordinem charitatis, merito fiduciæ in Deum quærere tantùm eſcam corporis. Ajebat verò: *Dic, ut lapides iſti panes fiant;* ut obſervaret, an ſolo imperio id faceret, ut Deus, qui dixit, & facta ſunt; an ut purus homo, in tanta neceſſitate vacillaret in ſumma confidentia, quam habet perfectus amor in Deum. Sed Chriſtus mox evertit ejus fundamentum, ac fraudem detexit verbis Moyſis, quæ dixit populo docens, eum timere Deum, & ejus mandata ſervare; dans eis hoc pro præcipuo medio conſervandi gratias acceptas ab eo. Meminiſſent ergo, quomodo Deus aluiſſet eos 40. annis in deſerto pane de cælo; ubi deerat omne alimentum humanum, ut videret, præcipuum medium ſuſtentandi vitam humanam eſſe, ſervire, ac ſatisfacere verbis & mandatis Dei, qui novit etiam ſine pane ſuſtentare homines, quando vult. Atque ita dicere voluit Chriſtus, non eſſe, cur fiat hoc miraculum, quandoquidem Deus eum tamdiu ſine pane ſervaverit. Unde indignum eſt homine capaci Dei divinorúmque bonorum, magis à rebus corporis pendere, quàm à Deo, qui ſuâ potentiâ & providentiâ omnia regit, atque ſuſtentat.

Humilitatis eſt, uti medio conſuetis.

V. Aliæ duæ tentationes pariter ad evertendum fundamentum perfectæ charitatis tendebant. Credens ergo diabolus, Dominum eſſe purum hominem, tranſtulit eum in pinnaculum turris templi, quæ ſecundùm antiquas ideas, erat ſupra primariam portam, altiſſima. Finxerat hîc dæmon, ædificari ſe valde tantâ fiduciâ in Deum, adhortans, ut in ea perſiſteret; quandoquidem ſervi & filii Dei poſſunt omnia, cùm peculiaris eorum cura demandata ſit Angelis; qui proinde ſine dubio ſint eum ſine periculo deportaturi, ſi ipſe mittat ſe deorſum, ſicut videbat, ſe manibus eorum translatum in illud pinnaculum. Non enim credendum eſt,

Diabolus IEſum

Non in assumpto corpore phantastico, sed Angelica virtute transtulit.

eum assumpto corpore fictitio Dominum attrectâsse ac detulisse, sed invisibili virtute Angelica, quam habet ex natura sua in res corporeas. Dirigebatur autem hæc tentatio præcipuè ad æstimationem sui ipsius, confidentiam propriæ virtutis, in casu planè temerario; ex quo nihil erat oriturum gloriæ DEI, nec erat ulla obligatio, vel necessitas se dejiciendi pro honore divino, sed mera tentatio DEI. Operiebatur autem hæc sui æstimatio, & fiducia in suis meritis, eâdem fiduciâ in Deum, quam Dominus priùs ostenderat. Nôrat diabolus DEO nihil magis displicere, quàm æstimationem propriam, quâ cecidit ipse cum sociis. Erat verò jam turbatus nonnihil, ut minùs dissimulare se posset; uti semper ei contingit, cùm animosè repellitur, & agnitus est initio: ac licet reticuerit sequentia verba Psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambulabis*; tamen id eum non juvit, quin appareret victum fuisse. Quia Dominus paucis eum confudit, dicendo: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: simul indicans modum perfectæ fiduciæ in Deum, quam habet purus amor. Hic enim, ubi plantatus est in corde hominis, facit, ut instar humilis oviculæ sinat se regi à Deo, cum tanta diffidentia & vilipensione sui ipsius, ut in Deum solum honor omnis redundet; obediendo humiliter sine temeritate, & accommodando se omni mutationi, quam ordinaverit providentia sua, nullâ re externâ, quam tractare debet, animum suum occupari sinens & distrahi à Deo, cujus voluntati totus inhæret. Hunc autem ordinem diabolus conatur turbare, animum ab unione Dei ad propriam existimationem divertens.

Vera fiducia sic à DEO regi sinit ut omnis honor redundet in ipsum.

VI. Dæmon plenus rabie & superbiâ, depositâ dissimulatione, versus est ad apertam impudentiam; Deo id permittente ad majorem ejus confusionem: quod semper contingit, cùm quis fideliter perseverat in tentatione, ut frustra consumptis dolis, apertè aggrediatur hominem: unde patescit, quantò minùs sapiat superbus hostis, quàm humilis Dei servus, & manifestè cognitus superetur faciliùs. Ergo transtulit Christum in montem excelsum valde, & ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis, ut sanctus Lucas ait, utique per imaginariam repræsentationem, promittens hæc omnia se illi daturum, si se adoret. Cùm enim neminem videat

videat ipso digniorem, neque conveniat remanere eum in obscuro, qui sit aptissimus regere totum mundum, meritò ipsi tanta regna committi. Nempe volebat, ut in tanta perfectione se non judicaret inhabilem ad mundum regendum. Vilis tentatio ab inimico jam prodito ac desperante victoriam: sed quæ servos Dei non rarò invadit occultè, ut, cùm vident hominum corruptelam, putent, se opem laturos, si potestatem haberent; & sic amittant interiorem pacem, neque tamen aliis prosint. Sed perfecta virtus nunquam finit servos Dei cogitare, se idoneos ad res, in quas ipsos Deus non mittit. Imò nec si mittat, credunt se aliquid posse, nisi quantùm sentiunt se gubernari, doceri & juvari à Deo. Non tulit Christus tantam impudentiam hostis, sed jussit eum facessere: postea accesserunt Angeli, & ministrabant ei panem & aquam, quibus reficeret corpus, & gratulabantur victoriam, gloriam Verbi Incarnati laudantes. Neque hinc tamen diabolus cognovit Christum esse naturalem Filium Dei; quia modus vincendi fuit ordinarius, & quo omnes uti debemus.

Tentatio alios regendi non rara apud servos DEI.

VII. Ceterùm ex ultimo verbo Domini, quo fugavit inimicum, discimus, quantum possit voluntas resoluta & generosa: quia diabolus eâ statim frangitur & fugatur. Cùm autem nos vincit, ante omnia id agit cum voluntate nostra, ut sibi det audientiam; quâ obtentâ detineamur in illis cogitationibus: tum sequitur gustus & delectatio rei suggestæ: hinc tepor in fugiendis occasionibus: mox debilitantur vires animi: perit reverentia & respectus Dei: succedit voluntatis consensus, ac diabolus procurat, ut etiam veniatur ad opus. Deinde operis experientia semper stat armata contra animam, ut appetitu semel accenso redeat in desideria rei jam cognitæ; & experientia renovata faciat consuetudinem, quæ veluti catena miseram semper astringit arctiùs. At si voluntatem reperiat hostis bonâ resolutione munitam ac surdam initio, & generoso impetu rejicientem ipsum à se, statim debilitatur, & nihil potest efficere. Unde cùm resoluta voluntas tam sit potens, culpâ non vacat, quando ingravescit tentatio: Deus enim, qui semper gratiâ suâ confirmat voluntatem humiliter id petentium, novit tentationem nunquam esse fortiorem nobis, nisi, quando

Voluntas generosa & resoluta diabolum fugat.

voluntariè flacceſcit propoſitum ei reſiſtendi, neque ſtatim reſiſtimus ab initio. Addit ſanctus Lucas, diabolum à Domino receſſiſſe uſque ad tempus; quia ſcilicet poſtea ſæpe multúmque tentavit per ſuos miniſtros, Judam & Judæos; quandoquidem ad animam ipſius tam puram penetrare non potuit, cùm omni rebellione carnis careret, quâ plerumque ad nos evertendos abutitur. Unde Chriſtus in tentatione nullum periculum aut difficultatem habuit: ſed quod hac ex parte deficit, divinæ ſuæ Majeſtatis tantâ humiliatione, quâ ſe tentari ſinebat, abundè ſupplevit; nobis id relinquens ſolatii, quòd ſe ſocium habeamus in tentationibus, dum admiranda inventione amoris ad omnia noſtra onera ſe demiſit, modum oſtendens, & gratiam præbens ea ferendi.

Tres cauſæ, cur ſe Ieſus tentari permiſerit,

VIII. Tres ob cauſas voluit Chriſtus tentationem ſubire. Primò: probandæ: ſecundò exercendæ virtutis: tertiò inimici debilitandi. Nam primò ſæpe Deus tentari ſinit ſuos, ut virtus, quæ in pace lateret, appareat; & unuſquiſque videat, quàm longè aut propè abſit ab illa. Pax enim occultat ſæpe defectum, aut perfectionem, quam prodit tentatio: ut obedientiam Abrahæ, conſtantiam Jobi, patientiam Tobiæ, timiditatem Petri. Ita Chriſti humilitas multis injuriis patuit, fortitudo laboribus, amor tormentis. Secundò Tentatio præbet occaſionem exercendæ virtutis; nobis, ut in ea creſcamus; Chriſto, ut exemplo doceret, quanta puritate & perfectione ſit exercenda: nam in illo creſcere virtus non potuit, ſed imitandi ſui exempla præbere: quibus, ſi nos hoſtis videat inſiſtere, animis cadit hoc ipſo; quia recognoſcit in Chriſti imitatione arma, quibus eſt victus: at ſi in imitatione illa ſegnes inveniat, ac tepidos in exercitatione virtutis, videt noſtram debilitatem, & alacriter invadit imbelles. Tertiò. Infirmatio diaboli non conſiſtit in adimenda ipſi licentia nos tentandi, ſed in adimendo jure, quod per voluntariam Adæ ſubjectionem in nos acquiſiverat. Quo jure Dominus eum ſpoliavit, non per vim & potentiam, quâ erga tam vilem ac damnatam creaturam opus non erat; ſed per juſtitiam, ut ſanctus Leo notavit. Dum enim Filium Dei diabolus innocentem adegit in crucem, ingens admiſit piaculum, propter quod meritò ſpoliatus eſt jure, quod in nocentes habebat:

qui

qui proinde liberati ab ejus tyrannide, tanquam cum injusto invasore confligunt, velut legitimi heredes regni æterni, quo ille exclusus est: ut omnes ejus doli & pugnæ, quas antea patiebantur in pœnam, nunc ipsis cedant in gloriam. Unde, ut S. Eusebius Emesenus notat, misera nunc est diaboli conditio, dum tota ejus rabies non est aliud, quàm medium, ut justi obtineant, quod ipse vellet eis eripere: ac totus furor, quo se armat in servos Dei, replet Ecclesiam meritis, perficit animas in virtutibus, coronat justos æternâ beatitudine, cælum implet exercitu Martyrum, & aliorum Sanctorum.

Ex quo etiam discas, quàm sit infelix, qui se ab hujusmodi inimico sinit vinci, sponte se tristi ejus jugo submittens, à quo liberatus jam erat: dat ei vires & arma contra se, quibus eum Christus exuerat: præbet ei caussam gloriandi de sua perditione, à qua Christus eum vendicaverat: excidit bonis æternis, quorum jus pretiosissimo Christi sanguine comparatum habebat: insilit in supplicia, è quibus à Christo jam erat ereptus.

Miser, qui a diabolo sinit se vinci.

EXERCITIUM
De Tentatione Christi.
I.

OMnipotens Deus ac Dominus meus, qui infinitam potentiam tuam nulla re magis ostendis, quàm ignoscendo peccatoribus & miserendo, quos ad imaginem & similitudinem tuam creâsti! auge in me magnam misericordiam tuam, & fac, ut nostra corda terrena te ament super omnia, & perveniamus ad magna illa præmia, quæ promittis: quandoquidem tanta sunt, ut excedant omne desiderium nostrum, ac merentur totum cor nostrum. Quid magni tibi est, facere res nihili, & punire unam adeò debilem creaturam? quò minùs nos redigas in numerum eorum, quæ non sunt, nemo tibi contradicet: ne destruas justè, qui te injustè læserunt, nemo poterit resistere. Sed ut frangas duritiam mei cordis ingrati, & vincas justas querelas, quas magnis vocibus contra me profert justitia tua divina, & misericorditer ignoscas, quæ promerui, potentiæ est infinitæ: & quia infinita est, potest facere

Frangere duritiam peccatoris est infinitæ potentiæ.

quidquid volueris, sine præjudicio tuæ justitiæ, & pauperis creaturæ destructione. Adoro te, magne Deus: quis est tam magnus, quàm tu? tam potens, quàm tu? tam justus & misericors, quàm tu? Infinitas tibi gratias ago pro fide mihi donata, qua te habeo pro Deo meo; pro spe, qua me obligas ad multa speranda à te; pro amore: quo vis toto corde à me diligi.

II. Sed penes te est, Omnipotens Deus, elevare tuâ potentiâ cor meum ad magnitudinem, quæ est in te, & quam communicare vis mecum. Tu potes, quidquid vis. Si vis, potes illuminare cæcitatem meam: si vis, potes vigorem dare infirmitati meæ: si vis, potes implere me gratiâ, subjicere tibi me totum, & elevare vilitatem meam ad communionem puri amoris tui. Ah mi omnipotens & misericors Jesu! Loquere, Domine, ad hunc leprosum: loquere, Domine, ad hunc miserabilem: dic, Domine, ad hunc peccatorem, qui totus est tuus: dic, æternum Verbum Patris: dic, ut audiam, dic unicum *Volo*, & purus ero, fortis ero, ero perfectus amator & imitator tuus: quia ero, quidquid vis. Ex aliis rebus magnis, quas fecisti propter me, tantùm quia voluisti, disco sperare ab hoc tuo amore, quidquid mihi est opus. Voluisti pro me fieri homo, & fuisti, quia voluisti: voluisti assumere formam servi, & per omnia mihi assimilari: voluisti in te recipere mea debita, & satisfacere pro illis etiam morte: voluisti meæ stupiditati tradere tuam cælestem doctrinam: voluisti vincere meos inimicos, & docere me modum pugnandi cum illis, ac tuam divinam personam ac majestatem demisisti, ad congrediendum cum putidissima, & maledicta tua creatura infernali, quam à te projeceras, & quæ tibi tam malè vult: sustinuisti, ut solitâ suâ malitiâ invaderet puritatem tuam, ac tartarea malignitate supersubstantialem innocentiam tuam lacesseret. Permisisti te deportari ab hac bestia, quocunque voluit, & illam eò impudentiæ procedere, ut à divina majestate tua peteret adorari: & quamvis te ipse haud nôsset, tu tamen Deus meus, qui sic volebas, probè scivisti magnitudinem tuam, & vilitatem illius nefandi solicitatoris. Plurimùm te humiliâsti, Domine, cùm te subjiceres pedibus tortorum tuorum in passione tua; cujus ministros, etsi forent improbi,

DEVS potest, quidquid vult.

Exit, quæ fecit robo-, ratur nostra fiducia.

Mira dignatio Domini Jesu.

probi, tu tamen amabas, ut eos saluares; exercebant impiis manibus tuam virtutem, qua cupiebas eos sanctificare: spargebant sanguinem, quo eos lavabas: & multi eorum per cruciatus, quibus te afficiebant, consecuti sunt gloriam, cùm ex fructu victoriæ & humiliationis tuæ conversi, redderent tibi vitam suam & sanguinem. Sed diabolus tentator, hostis tuus ac tuorum, insanabilis suis malis, obstinatus in malitia, contemptor tuæ bonitatis, indignus tuo conspectu, Deus meus! quomodo voluisti, ut alloqueretur, tentaret, impugnaret te, ut solet miseros peccatores? quomodo dignatus es luctari, & congredi cum infernali spurcissimóque dracone? quomodo permisisti, ut superatus omnem suam furiam in te evomeret per suos ministros, & in Crucem te adigeret? ut gloriari posset, se obstitisse tuis conatibus, vitáque te spoliâsse? Ita, Deus meus! aliud nescimus, quàm te sic voluisse, sic fecisse, & meâ causâ voluisse, & fecisse. Rationes, cur ita volueris, in me nullæ sunt; in te sunt, cur voluntas hæc esset sanctissima, ordinatissima & justissima; & quod ego non capio, potentia & misericordia inveniunt convenientiam, qua glorificeris in omnibus, semper tibi similis, semper infinitus, æternus, omnipotens.

Ubi non est ratio mentis, sufficit amor Dei.

III. Quid ergo, Domine mi, nunc impedit bonitatem tuam, ne velis potentiam tuam, ne facias id, quod peto? Da mihi ergo lucem tuam, amorem tuum, puritatem, misericordiam tuam, fortitudinem tuam; & fac istam creaturam tuam, qualem vis. Si pro omni re tibi non adeò congrua, invenit bonitas tua sufficientissimas & justissimas causas, ut velles & faceres; an pro sola re tibi tam propria, tam conveniente magnitudini tuæ divinæ, & virtuti Redemptoris ac Salvatoris, qua potes explicare potentiam, ac bonitatem tuam, misericorditer mihi largiendo, quod peto, causam non invenis? Non mereor, verum est: sponte peccavi, omnes rationes ex parte mea, cur id non facias, sunt verissimæ; sed superat eas bonitas tua: excedit omnipotens misericordia tua, ut me cures, me sanes, me restaures, me facias talem, ut sis mecum contentus.

IV. Igitur mi divine Reparator, omnipotens Jesu, Salvator ac Deus meus, quando me tua Fides docet, talem te esse, ut

Oratio

à te

contra tentationes.

à te solo possim ac debeam sperare magna, quæ non promereor; quanta possum confidentia & humilitate, repræsento tibi necessitatem meam, ut adjuves. Vide, Domine, quod, si dæmon est ausus invadere tuam incomparabilem puritatem, in qua se videbat nihil juris habere, quámque formidabat; & si arma sumpsit contra innocentissimam tuam personam, invincibilem fortitudinem, perfectissimam virtutem, & contra opera tua divina, ut everteret ea, vel saltem impediret, quæ operari volebas in mentibus hominum; quid faciet, aut quid omittet facere in me paupere, nato in miseriis, merso in luto, plenóque pravis inclinationibus? Tu vides, Domine, quòd hic dirus leo non dormiat, semper quærens mihi nocere: omnia contra me tentat, miscet se omnibus, à nativitate mea hucusque: quidquid facio boni, corrumpit; semper intentus, ut me decipiat, semper excogitans dolos, ut me vincat. Etiam in somnis ab eo tutus non sum: cùm evigilo, nullo momento temporis, nulla occasione prætermissa me tentat. Jam se transformat in Angelum lucis; jam induit se tuis donis; jam se transfigurat in speciem virtutis, aliquando assumit colorem mearum inclinationum, & omni modo, tempore, loco; in omni actione interna, externâ; in omni re bonâ, malâ, me tentat, fictus, dissimulator, cavillosus, ingeniosus, dexter ad insinuandum se mihi, ita ut ego non sentiam, nec intelligam. Quando me non potest inducere in peccatum, saltem inquietat suis tentationibus, fatigat importunitatibus, in periculum conjicit suis phantasiis. Ardet contra me irâ, acuit in me suam invidiam, ne potiar bonis, quæ perdidit; in auxilium convocat omnes furias inferni, vanitatem mundi, appetitus miserabilis meæ naturæ, inclinationes sensuum, conditiones hominum, inter quos versor, eventus rerum, varietatem temporum, ipsa adeò peccata mihi dudum remissa; & cum tua divina misericordia me comittit. Ex quo sum natus, invenio semper hunc hostem ad latus; & quando illum minimè cognoscebam, erat mihi vicinior & magis nocebat. Ah divina fortitudo mea, bone mi Jesu! quid faciet creatura hæc pauper, infirma, terrena, contra talem hostem, tam plenum malitiâ? quis ego sum ad

diram

diram hanc pugnam? in quo, Deus meus, confidam in tam continuo & crudeli bello? Scio bene, Domine, quòd inimico non concedas, ut supra vires me tentet, & quòd possim cum gratia tua victor evadere, magno meo commodo: per hoc me excusare non possum. Sed hoc misericordiæ tuæ confiteor, non excusando, sed agnoscendo miseriam meam, petens remedium. Tu, misericors Domine, cujus pietate vivo, qui me toleras, & exspectas, vides, quoties hic inimicus potiores apud me partes obtineat. Illi præbeo aures, & tibi clausum cor habeo; & quia me sibi videt esse tam obsequentem, fit contra me semper audacior; & si ad te confugiam, furia majore me insequitur, quia ipsum admisi, méque illi permisi.

V. Novi me semper fieri debiliorem, quia mea voluntas recusavit tuum auxilium: mea sponte debilitor. Nihil enim posset in me improbus hic persecutor, si non foret voluntaria mea infirmitas & negligentia. Meritò me inimicus apud me accusat; quia optimè scit, si non vellem, se mihi nocere non posse; nec vincere, nisi volentem. Quare, mi Domine, mare immensum infinitæ bonitatis & misericordiæ! jam sum in ejus unguibus, jam præcipitavit me, jam agit mecum pro libitu, & mei dira fames crescit in illo. Me solum culpo in omnibus. Eróne propterea, coram hoc infinito pelago misericordiæ sine remedio? quare tu es meus Redemptor, nisi ut me liberes? Quare tu es omne bonum, nisi ut à malo me eruas? O Bonitas infinita sanctifica me: ô Pietas divina! mihi ignosce: ô Potentia infinita! libera me ab hoc hoste, & à me ipso. Tu vides, Domine, illum non quiescere, donec omnino me perdat: custodi me tu: maneat ille famelicus, & ego per te liber evadam. Recordare, quòd non volueris cum illo pugnare, nisi ut ego tuâ virtute ipsum vincam. Ergo, Domine, pugna pro me, & eum vince in me. Verum est, quòd præceperis, ut tibi soli obediam, te solum adorem; & ego mea sponte serviverim huic infelici meo inimico, & omnibus meis sensibus & appetitibus, quibus multùm juvatur; & ita curaverim suggestiones & amorem eorum, ac si forent ipsi Deus meus: & propterea dominantur in me. Mandàsti quidem, ne sim temerarius, & ne tentem te: & ego sine temeritate

Voluntaria negligentia nostra sanctam roborat.

ritate non audeo venire in conspectum tuum in potestate cupiditatum mearum; & fui tam demens, ut sperarem salvari incedendo per viam perditionis, ac sæpe volui sceleratas meas delectationes, & voluntatem diaboli conjungere cum tuo servitio; quod sicuti non potuit fieri, ego me præcipitavi in multorum peccatorum miseriam, & in portas inferni,

VI. Hoc est, Domine, quod ego feci; sed tua est misericordia. Erravi, bone Pastor! peccavi, bone JESU! feci de meo, sanctissime Deus! Ideo tu dixisti, quòd non in solo pane vivat homo, sed in omni opere manuum tuarum, & in virtute cordis tui, & in pietate verborum divini & suavissimi oris tui. Si ergo, Domine, non possum non esse tuus, & tu meus, quomodo moriar? Aperi, bone JESU! thesauros tuos, & erige vilitatem meam: da mihi robur contra hunc hostem; ignosce mihi delicta præterita: da mihi vitam, vigorem & fortitudinem, ut tam fideliter pugnem, quàm ignavus fui hactenus in certamine, in quod me misisti. Qui sum ego, Domine, ut pugnem & vincam? Sed tu, Dux meus, qui humilitate tuâ vicisti meos inimicos, non reliquisti mihi efficacius medium, quàm illam contra omnes illorum assultus. Confiteor, Deus meus, quòd absque divinâ tuâ virtute nihil possim: quòd si nollem fateri, ipsi lapsus mei contra me testarentur, quibus per superbiam eò decidi, unde sine tua ope non possum resurgere. Præsens mea voluntas est, te non ampliùs offendere, neque ampliùs consentire meo inimico: sed etiam scio, quòd non habeam vires pugnandi, nisi tu pugnes pro me.

ORATIO
Psalmi De Profundis contra Tentationes.

De profundis clamavi, ad te, Domine,
Domine exaudi vocem meam.

I.

CONfiteor, Deus meus, quòd me posueris in statu sublimi, circumdato misericordiis tuis; at ego infelix præcipitavi me in profundum amoris terreni, in profundum voluntatis inimicorum meorum, in profundum infirmitatis ac cæcitatis, in profundum vitio-

vitiorum à te separantium; & sepelivi me in profundo cipporum & catenarum, quæ tenent & humiliant animam meam, ut lumen cæli non videam, nec sentiam tua divina dona & lumina, projectus in profunditates distantiarum, à te longissimè separantium. Tu verò me vides & mandas, ne desperem: propterea altissime & misericordissime Deus! ex omnibus istis profunditatibus, in quibus jaceo captivus, in tenebris, languens, consumptus, & miserabilis, ad te levo spem meam, & mœstos oculos meos: ac licet non merear aspici, nec audiri; tu tamen, ne omittas conjicere in me pios oculos tuos, & audire miserabiles voces, quas ad te emittunt meæ miseriæ.

Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

II. Noli, Domine, obturare pias aures tuas ei, qui ad paternas voces tuas semper surdum se præbuit; sed ille amor, quo mandâsti, ut te audirem, nunc eas aperiat ei, qui nunc implorat auxilium tuum. Quia, si cum misericordiâ tuâ me audias, ac sanes, ego mi bone Pastor, audiam vocem tuam, & ereptus ex his profundis sequar vocationem tuam, & faciam quidquid mandaveris.

Si iniquitates observaveris Domine; Domine quis sustinebit?

III. Si tu, Domine, ponderes gravitatem peccatorum meorum, & in justa & rigorosa bilance appendas, quod illis merui, quam spem possum habere? quas habeo facultates ad satisfaciendum tuæ Majestati pro debitis, quæ per meas culpas contraxi? si tu non temperes erga me rigorem justitiæ tuæ, quod medium habeo salutis, & ad quem levabo oculos meos? sine dubio peribo, quia à te solo, quem offendi, possum sperare remedium.

Quia apud te propitiatio est.

IV. Quia remissio peccatorum, misericordia & pietas est solùm in manu tua, nec voluisti, ut ab alia haberem remedium, quàm ab ea, quæ potest punire: quia quidquid est extra te, justè insurgit contra me, & omnia me condemnant. Habeo contra me peccata mea, ingratitudines meas, omnes creaturas tuas, quibus malè sum usus, & è quibus non profeci: legem tuam, quam

sum transgressus; inimicum, cui parui: & quidquid extra te est, meritò contra me est: & sic omnia contra me clamant, quia sum omnibus abusus ad tuam injuriam. Ego, ego ipse, sum maximus omnium, quos habeo, inimicorum; & conscientia mea certissimus testis est meorum malorum. Ubi ergo extra te, Domine inveniam misericordiam? in te solo invenitur pietas, quæ omnia sustinet; misericordia, quæ omnia condonat. Si tu mihi hoc pectus paternum clauseris, quid me fiet? ubi quæram remedium?

Et propter Legem tuam sustinui te Domine.

V. Sed tu mihi præcepisti, ne unquam desperem, & ut, si quando me videro in periculo, te invocem, ad te convertar, qui me es recepturus, & ordinâsti, ut justitia tua parcat peccatori pœnitenti: & ne quidquam desit mihi, aliam legem amplissimam fecisti, & jubes, ut misericordia tua semper, & omni hora peccatori pœnitenti ignoscat. Ergo à te ad has leges provoco, & cum his legibus, de quibus sum certissimus, quòd eas nunquam sis abrogaturus, venio obligatus ad omnes pœnas, sperando à te omnem miserationem, quæ mihi est necessaria.

Sustinuit anima mea in verbo ejus,
speravit anima mea in Domino.

VI. Tu, Domine, non es talis, ut verba tua non serves: non vocas, ut occidas, sed ut vitam des: non offers misericordiam tuam, ut eam neges ad te redeuntibus, sed ut eos recipias omni cum benevolentia. In hoc verbo tuo sperat anima mea; hoc est, quod quærit hæc errans ovicula.

A Custodia matutina usque ad noctem,
speret Israël in Domino.

VII. Vel, ut est in Hebræo: *Anima mea exspectat Deum magis quàm custodes ipsum manè.* Sicut enim, qui noctu stant in excubiis, suspirant & exspectant magno cum desiderio, dum veniat aurora, ut quiescere possint à labore noctis, & gaudeant luce diei usque ad noctem; ita, & multò magis anima mea sustentatur spe, quam habet in te: quia, dum circumdant me tenebræ meorum peccatorum, & pericula tentationum, sum certus & securus, quòd solâ præsentiâ tuâ possis sublevare meam dejectionem, & infirmitatem:

tem: mediante luce tuâ, sperat videre; mediante virtute tuâ, confirmari; mediante misericordiâ tuâ, resistere difficultatibus; mediante gratiâ tuâ, referre victoriam. Si enim tu visita veris pauperem hanc animam, fugient omnes inimici mei, & evanescent mea peccata: dabisque mihi tuam virtutem ad resistendum & perdurandum in nocte tribulationis, ac tentationis, cùm permiseris eam reverti.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.

VIII Tui sunt thesauri misericordiæ, & in eis largiendis non es parcus. Nam ubi decrevisti eos aperire, ut medearis meis malis, quid intermisisti pro mea salute? liberalissimè tribuisti mihi, quidquid habes; & promisisti, quidquid possum optare & copiosissimè succurristi necessitatibus meis, quas meliùs novisti, quàm ego; ex omni parte circumdedisti me bonitate tuâ; suscepisti in te mala mea: pertulisti pœnas, quas ego debui: profudisti totum sanguinem tuum, dedisti vitam, donâsti merita tua, vicisti meos inimicos, aperuisti regnum cælorum, heredem fecisti me omnium bonorum cælestium. Ergo, Redemptor mi, non pereat in me tam larga & copiosa redemptio per infelices tentationes animæ, & miserabiles lapsus infirmitatis meæ; sed conforta me virtute tuâ, protege me misericordiâ tuâ, ut semper te amem, fideliter resistam inimicis, qui cupiunt me separare à te, & omnibus malis, quæ displicent tibi, & multò meliùs novisti, quàm ego. Tanquam copiosissimus Redemptor, purifica illa, ut, cùm erunt restaurata per te, unice Restaurator meus, tu vivas in me, & ego in te: tunc faciam quidquid tibi placuerit, & tu in creatura tua glorificaberis.

O Regina Angelorum, Domina nostra, & Administratrix omnium bonorum Dei! sis Advocata mea in tentationibus, refrena furorem inimicorum, & corrobora debilitatem meam; ut, te juvante, fugiant à me omnes contrariæ potestates, & ego glorificem sanctum Nomen tuum. O cæli cives, glorioſi triumphatores, qui transistis per nostra pericula, & jam estis in tuto, juvate hunc pauperculum, qui adhuc laborat in tentationum procellis; ut adjutus à vobis, etiam socius fiam vestræ victoriæ. Amen.

ÆRVMNA XVII.

Ex Ruditate Discipulorum.

I.

Magna diligentia Domini in tractando cum Patre negotia nostræ salutis.

POst reportatam victoriam ex tentatione diaboli, Christus aliud bellum suscepit longè illustrius, contra mundum, mundique errores & malitiam: cœpitque docere in Synagogis & alibi passim, incipientibus eum aliis deinceps oculis intueri & admirari, qui noverant eum prius, præsertim in Nazareth, qui nihil tale cogitârant de ipso. Cúmque decrevisset obire civitates Judææ, prædicando, & miracula patrando, & se manifestare mundo; ut ostenderet ei suos errores, & medicinam afferret, adjunxit sibi multos discipulos: è quibus primùm quidem duodenos elegit; negotio in excelso monte, per orationem tota nocte continuatam, tractato cum Patre; ostendens nobis, quâ diligentiâ gereret res ad nostram salutem spectantes, & à quo debeamus de rebus nostris capere consilia, quæ nisi cum Deo & Spiritu divino, securè agi non possunt. Quamvis autem Evangelistæ non distinctè singulorum vocationem describant: tamen Dominus ipse in Cœna significavit, se illos peculiariter ad hoc elegisse, ut essent principes & columnæ suæ sanctæ Ecclesiæ, cum ait:

Ioan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Deinde multis post diebus elegit & alios 72. quos per totam Judæam undequaque dimisit, cum potestate faciendi miracula; & mandavit, ut annunciarent regnum DEI per omnia loca, ad quæ ipse erat venturus, & curarent eorum infirmos; ut hâc ratione excitati ad exspectationem ipsius, majore desiderio ipsum exciperent. Et Apostoli quidem officium suum non sine magna omnium admiratione fecerunt; adjuvantibus eos reliquis, qui cum Domino manserunt usque ad ejus mortem: è quibus posteà S. Matthias subrogatus est Judæ proditori; ceteri verò mundum admiratione compleverunt suâ sanctitate, & miraculis patratis in conversione populorum.

II Electio

II. Electio verò hominum ad res tantas ejusmodi fuit, ut Paulus Apostolus ad eam considerandam nos invitet, utpote admiratione dignissimam. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, fratres; quia non multi Sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles! sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit DEVS, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit DEVS, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo IESV, qui factus est nobis sapientia à DEO, & justitia, & sanctificatio & redemptio; ut, quemadmodum scriptum est, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Nam per hoc magis patescit virtus Spiritûs sancti, qui supra tam humilia struxit opus ita magnificum: éstque hæc una ex majoribus nostris obligationibus erga Christum, quòd sua dona dederit nobis per talia instrumenta, ut agnoscamus in eis solam virtutem divinam, à qua bonum omne descendit. Qua quidem re funditus evertit sapientiam mundi, quem, quia videbat non submissurum se fidei ac doctrinæ suæ, sed contradicturum; voluit, ut, quia per sapientiam suam non poterat pervenire ad cognitionem DEI, illuminaretur per abjectissima & ineptissima quædam, ut sunt cruces prædicatæ per pauperes piscatores. Fecit autem hoc Dominus, ut alia omnia, non sine magna sua molestia & humiliatione; dum egit cum hominibus adeò vilibus, crassíque ingenii, & conditionis longè diversæ ab eo, quod requirebatur ad munus eorum; cui proinde omnia deerant ad illud necessaria: quos ideo plantare, & colere oportuit multa continuáque eruditione, cum patientia maxima, ut aptos efficeret recipiendæ plenitudini Spiritûs sancti.

Electio Apostolorũ admiratione dignissima.

1. Cor. 27.

III. Videbor injuriam facere simplicitati, qua sacer Apostolorum chorus cum Domino vixit, quoad ascendit in cælum, dum hoc refero inter molestias Domini, qui amantissimè tractavit eos, ut filios; & qui amârunt eum vicissim, sicut tunc poterant; quósque Dominus sciebat, post acceptum Spiritum sanctum, strenuè laboraturos pro sua gloria, etiam cum dispendio vitæ. Sed ipsi mihi ignoscent, si recensem, qualia fuerint eorum initia, quantúmque Domino creârint molestiæ: quia id meliùs agnoverunt

Ruditas Apostolorũ ab initio.

runt ipsi postea, quàm ego nunc sciam; ideóque se magis humiliaverunt, admirantes magnitudinem divinam, quæ ipsos ex tam rudibus initiis ad tantæ perfectionis culmen provexit; ac tenerrimo affectu prosequentes eum, qui tam paternè dissimulaverat ac toleraverat eorum ineptias, ut eos tantis bonis impleret: nec potuerunt satiari compensando obsequiis & laboribus tædia, quæ ipsi attulerant. Quamvis autem amor ille paternus Domino suave fecerit onus infirmitatis eorum; non tamen ideo minùs ei propterea sumus obligati, quàm si grave id illi fuisset: quia patientia & amor molestiarum non minuit, sed auxit ejus merita.

IV. Posteaquam igitur Filius Dei factus homo assumpsit discipulos, conditione majorem partem piscatores, sensu plebejos, studiis terrenos, judicio rudes ac tardos; sustinuit eos ut pater, instituit ut Magister, maximâ, qua tunc indigebant, patientiâ: quia parùm admodum erigebant suas cogitationes ad res divinas; sed ex his, quæ audiebant, non altiora exspectabant, quàm regnum temporale Judææ, & quisque cogitabat, quomodo priorem in eo locum obtineret: hi quidem, quòd ante alios assumpti fuissent; alii verò, quòd Domino cognati; alii propter alias causas. Et ut hujusmodi cogitationes non sunt sine aliis vanitatibus, ita quisque pollicebatur suis cognatis divitias, dignitates, & favores, toti incedentes in vana gloria. Nec tantùm in animo suo talia versabant, sed etiam inter se disceptabant, dum de mysteriis altissimis Christus differeret; sicut contigit in Cœna, cùm inter divinum illum sermonem facta est inter eos contentio, quis eorum videretur esse major. Imò etiam aliorum interventu sua desideria promovere studebant; ut Jacobus & Joannes, quando per matrem solicitabant primum locum: & alia complura id genus fecêre, longè diversa ab his, quæ postea erant acturi. In spiritu tam erant infirmi, ut sæpe titubârint in fide: tempore passionis omnes eo relicto fugerunt, Petrus eum negavit, Judas tradidit, reliqui dubitârunt, & ægrè tandem crediderunt, eum resurrexisse. Cùm ageret ante Ascensionem apud eos de maximis rebus, ipsi cogitabant de regno temporali. Alii, qui non erant ex 12. audientes differentem de mysterio SS. Sacramenti, scandalizati sunt, & aliqui

qui eum ideo deseruerunt omnino. In Cœna, cùm loqueretur de necessitate armorum spiritualium ad vincendas tentationes, impertinentissimè responderunt, se habere duos gladios; multáque de se polliciti, defecerunt initio statim. Cùm ostenderent Zelum honoris divini, volebant evocare ignem de cælo; cùm quidam in ejus nomine dæmones ejicerent, ipsi questi sunt, & voluerunt eos prohibere; & alia multa satis inepta fecerunt ac dixerunt, velut homines abjecti spiritûs, & crassi intellectûs.

Patientia Domini in ferendis eorum defectibus.

V. Christus omnia dissimulabat, supportabat, reprehendebat placidè; támque familiariter, mansuetè, patienter & amanter eos docebat, ac si essent jam perfecti spiritûs, & ejusdem cordis cum ipso. Tractabat velut æquales: rationem suorum laborum dabat eis, ut sociis: defendebat eos à Judæis & aliis adversariis: patefaciebat eis altissima mysteria; communicabat cum eis consilia, tametsi non caperent. Cùm prædicaret, habebat eos secum, velut homines sibi magis acceptos: cùm oraret, congregabat eos, & inter orandum visitabat, & hortabatur ad insistendum orationi, ostendens, quantam eorum curam haberet. Si quid obscuriùs dixisset populo, declarabat eis privatim, indicans se pluris facere eos, quàm alios omnes. Dubiis eorum crassis satis faciebat, ac si forent hominum valde sensatorum. Cúmque essent ejus Majestati, Personæ & Sapientiæ tam dissimiles, nunquam ostendit ullum eorum tædium; sed tegebat eorum defectus, dissimulabat ignorantiam, sufferebat errores, erigebat infirmitatem, & in se recipiebat onus terrenæ conditionis eorum, habens eos apud se in mensa, in itineribus & familia sua, donec eos ad eminentem illam sapientiam virtutémque proveheret. Plantabat in illo solo inculto & lapidoso, quod postea per Spiritûs sancti operationem erat copiosissimè fructificaturum, contentus interim illa simplicitate spéque secuturi proventûs. Non est exigua materia considerandi æternam sapientiam associatam tantæ ruditati, & agentem de rebus altissimis, & maximos eis favores spirituales exhibentem, cum labore efficiendo, ut discerent gustare, apprehendere & æstimare cælestia; quod tam facilè ac subitò poterat eis infundere, ut postea fecit misso Spiritu sancto. Sanè ipsimet Apostoli, cùm ea

repeterent animis, atque perpenderent sigillatim omnia, mirifico tum rubore, cùm sensu amoris affecti fuerunt erga tantam dulcedinem sui divini Magistri: sic humiliabat, inflammabat ac rapiebat eos ista cogitatio, ut suavissimum fuerit eis, omnes vires, cogitationes, vitam ac sanguinem impendere ejus obsequio.

E qua discas modum tractandi animas.

VI. Fuit hic modus, quem in curanda infirmitate Apostolorum Dominus tenuit, mirabile documentum tractandi animas. Etenim lenitate sua divina curam eorum accommodavit captui, ne magis urgendo plus destrueret, quàm proficeret: nec exaggeravit eorum defectus; quia non oriebantur ex malitia, sed ex ignorantia & simplicitate, per quam non poterant tunc intelligere suos errores. Unde ad humilitatem eos informabat, adjungens exempla sua, & magis curans eos dulcedine conversationis, quàm reprehensionis rigore. Videbat enim eos non esse capaces, priusquam illuminarentur & accenderentur amore divino; sicut ferrum frigidum frustra cuditur: & multò meliùs agnosci defectus in pulchritudine virtutis, quàm in propria fœditate, quæ sine amore Dei videri non potest. Sic ergo curandus est proximus, ut sufferantur ejus defectus, donec possit illos agnoscere; procurando interim, ut suaviter inducatur ad amorem virtutis; ita enim meliùs disponitur ad recipiendam gratiam, qua illuminetur, ut æstimet omnia suis momentis. Hinc dixit Isaias c. 29. *Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus ejus erubescet; sed cùm viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum.* Nempe tunc tempus erit, ut pudeat eum suorum errorum, cùm cœperit velle honorare & sequi Deum, ac viderit, quid eum impedierit hactenus. Unde & Apostolus monet: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui Spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Et de Domino prædictum est: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Licet enim fumus sit molestus, signum tamen est alicujus ignis: quo quantumvis exiguo prudens charitas novit uti, & flatu excitare scintillam, ut crescat. Ceterùm, qui volunt ita curari, ut indulgeatur eorum defectibus, his lenitas ista non prodest, sed asperiore cura est opus; quia cùm agnoscant suos

Gal. 6. 1.

Isa. 42. 3.

Ex malitia peccantibus

suos defectus, & in eis permanere velint, indicant se peccare ex malitia: ut faciunt Religiosi, qui volunt, ut superiores ipsorum moribus se accommodent. Verùm Charitas non docet his condescendere, qui per obstinationem se nolunt subjicere; sed his, qui ex infirmitate ac simplicitate nondum possunt assurgere altiùs.

Grata fuerunt Christo etiam imperfecta suorum obsequia.

VII. Illud quoque est hîc infirmitati nostræ solatio & incitamento, quòd Christus pro sua bonitate sic habuerit grata Apostolorum obsequia, & voluntates erga se, quantumvis imperfectas, ut postea habuit labores eorum & actus heroicos. Ideo dixit in Cœna: *Iam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis, vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Vide, quis hæc dicat, & quibus: nempe Filius Dei his, qui semper ostenderant suam infirmitatem, & illa nocte maximè demonstraturi erant. Ipse autem æstimabat modica illa debilis virtutis opera; & magni facit, quidquid pro ipso facimus, quando plus non possumus, aut novimus, simplici ac pura intentione contentus: neque notat defectus adjunctos, sed utitur bona mente nostra ad sternendam viam majoribus, reputans, quòd postea simus omnino satisfacturi. Pulchrum documentum superioribus, & his, qui degunt in communitate, ubi paria exigere ab omnibus est maximæ ignorantiæ: & occasio, ut gubernatio flaccida fiat & noxia. Quare attendendum est ad vires cujusque & animos, dissimulandum cum debilibus, juvandi & fovendi in eo, quod possunt præstare, animandi ad pergendum, nec plus ab eis sperandum, quàm possint: aliàs absterrentur à virtute, & omnia destruuntur.

Ioan. 15. 15.

Cur non statim fecerit perfectos.

VIII. Duas ob causas Dominus maluit tolerare suorum defectus, quàm statim eos plenè perficere. 1. ut in his heroibus disceremus, quantùm amor terrenus impediat magnitudinem divini Spiritûs, ac dona Charitatis perfectæ, & ne possit ascendi ad fastigium puræ, ac sublimis contemplationis, unionisque cum Deo. Etenim fuerunt semper incapaces lucis divinæ, quamdiu corporali præsentiæ Domini adhæserunt affectu terreno: ut opus fuerit, eam omnino subduci, ut purificaretur amor eorum 2.

Ut, quia electi erant ad summum officium, ad quod opus erat maximis Dei donis, priùs bene humiliarentur, & impleti Spiritu sancto magis despicerent se ipsos, memores ruditatis & imperfectionis prioris. Quia tam excelsis columnis Ecclesiæ necessaria fuit altissima basis humilitatis, ex inculcata agnitione suorum defectuum.

IX Simillimam patientiam Deus exercet hodiéque cum iis, quos ab amore terræ elevat ad familiaritatem, & unionem cum Spiritu suo. Suffert eorum infirmitates, ignorantias, querelas, defectus: modò solatur eos, modò se occultat: modò se blandum exhibet eis, modò rigidum. Sic eos educat, sustentat, humiliat, fovet, castigat, animat, ut pater amantissimus, cum unoquoque eorum se se oblectans. Neque enim solos Apostolos fecit participes amicitiæ suæ, sed hodiéque brachia sua omnibus pandit, nec minore diligentia spiritum nutrit in quolibet nostrûm, quàm in suis discipulis. Unde non minùs obligati sumus ipsi, neque minùs evademus sancti, si fideliter ipsi adhæserimus.

EXERCITIUM
Circa Patientiam Domini in Discipulorum Defectibus.

I.

DOce me, Deus meus, quando velis laudari à me: immitte cordi meo gratitudinem & agnitionem, quam me vis habere, beneficiorum tuorum. Tu vocas omnes: sed quis veniet, nisi tu eum asportes? Vis amari ab omnibus: sed quis amabit, nisi tu largiaris ei tuum amorem? Vis ab omnibus cognosci: sed quis poterit sine tuo lumine? Necessitas, quâ tui indigeo, mecum nascitur & augetur. Obligatio, quâ tibi obstringor, semper me stimulat; sed in te situm est remedium: sine tua potentia, virtute, largitate & auspiciis quid possum, Deus animæ meæ? Conjice, Domine in me illos tuos misericordes oculos, & da mihi aures audiendi vocem tuam, desiderium sequendi, amorem quærendi te, vires perveniendi ad te; cognitionem malorum meorum, ut ea timeam & fugiam; lumen videndi pericula hujus vitæ, ut cognoscens me, veniam ad te. Fateor, Domine, me non meritum

Amorosa petitio.

tum hanc gratiam: quam peto, sed potiùs dignum esse multis pœnis, & ut à te projiciar, dum audeo petere nova dona, qui acceptis usus non sum, neque satisfeci pro commissis in te. Sed animant me peccatores, quos recepisti; latro, cui paradisum dedisti; mulieres peccatrices, quas gratiâ tuâ replevisti; quò minùs inter eos ego despiciar: quia nec illi potuerunt converti neque te quærere, neque tuam vocationem sequi, nisi tua lux & virtus eos intus movisset. Quomodo à te, Bone Iesu, non omnia sperabo; quando non Angelos de cælo misisti ad prædicandam mihi fidem, ac tradendam tuam doctrinam, sed homines peccatores & infirmos, in quibus non minùs video defectus meæ naturæ, quàm dona tuæ gratiæ? Tales fuêre tui sancti discipuli, etiam dum tecum erant, ambitiosi, invidi, vani, debiles in fide, pleni ruditate terrena, abjectissimi spiritûs, & crassorum defectuum. Sed tu, bone Iesu, sicut eos elegisti; ita tecum circumduxisti. Non deerat inter eos publicanus, non qui te negaret, non qui venderet, cui & veniam eras daturus, si eam petiisset: non deerant infirmi, qui te desererent: non sic abjecti & vilis animi, qui nihil saperent aut caperent, nisi terrena. Habebant ob oculos lumen divinum, neque videbant: vescebantur tecum pane vitæ, nec satiabantur de te. Blandè illos tractabas, ut amantissimus pater, nec te hôrant amare. Defendebas eos ut scutum divinum, nec tamen cessabant quidvis timere. Communicabas cum eis divina mysteria, neque nôrant à te petere lumen ad intelligendum: promittebas eis bona æterna, neque ipsi alia desiderabant, quàm terrestria. Tradebas eis doctrinam cælestem, & ipsi parùm proficiebant ex illa. Quid dico, Domine, quid dico? Videbant suis oculis eum, cuius vita in admirationem trahebat Angelos, ditabat cælum, beatum faciebat paradisum, & ipsi eum non agnoscebant.

II. Quomodo sustinebas, Domine, illos tam propinquos tibi, & tam longinquos à te? quomodo potuisti sic tenere tuum amorem, ut eos tanto tempore non totos inflammares tuâ charitate, non animares tuo spiritu, non impleres tuis donis? quomodo, bone Jesu, distulisti gratiâ tuâ cumulare, quos tantopere diligebas, donec te non viderent ampliùs? O Domine, quantum ubique

tibi debeo? scio bene, suave tibi futurum fuisse, si mox, ut eos vocâsti, perfectè regnâsses in eorum cordibus, possedisses intima eorum, purificâsses omnino, ac tuis donis implêsses, ut fecisti postea, cùm in eis perfectâ charitate flagrantibus tibi complacuisti: sed judicâsti meliùs, eos sufferre tantisper, & demittere te ad ignobilem familiaritatem ac ruditatem eorum; ut me doceres, in his, qui futuri erant magistri summæ perfectionis, columnæ veritatis, & lumina mundi clarissima, quid à te possim sperare; & quòd nullæ imperfectiones meæ sint sufficientes ad exsiccandum fontem misericordiæ tuæ. O verum amicum huius pauperis creaturæ! Non solùm in domo patris tui mansiones multæ sunt; sed ideo ibi multæ sunt, quia in tuo divino ac suavissimo pectore omnes locum inveniunt. Ibi Thomas est, adeò quondam incredulus, at postea lanceâ perfossus pro fide. Ibi latro, publicanus, leprosus, publica peccatrix locum habent. Ibi & Judas haberet, nisi sponte se precipitâsset in desperationem. In hoc amantissimo pectore illustrantur tenebræ, consumuntur defectus, solvuntur affectiones terrenæ, pacificantur inclinationes, deificantur spiritus terreni. Ibi plantantur, crescunt, florent, fructificant, quorum supportâsti infirmitatem, vilitatem erexisti, coronâsti victorias.

In pectore JESV mansiones multæ sunt.

III. Ergóne, Deus animæ meæ, mihi soli clausum erit hòc pectus? Non habebit, ô mi bone Iesu, creatura hæc ibi locum, in quo consumantur ipsius defectus, & ipsa renovetur tuo spiritu? Adoro te, pectus divinum, totum ardens amore divino: Lumen meridiano clarius: Sol semper oriens, nunquam occidens: Fons semper manans, nunquam arescens: Pelagus infinitorum bonorum, fundo carens: Umbra refrigerans omnes defessos: Confortatio mœrentium omnium: Refugium omnium tentatorum, Asylum omnium peccatorum. Recipe me, bone Iesu, illuc, ubi me confido scriptum amore æterno. Quomodo possunt consumi infirmitates meæ, nisi in hac fornace amoris? Si non sit ibi locus pro omnibus, quomodo, Deus meus, es generalis Salvator & Redemptor omnium? Verum est, mea vitia esse pejora imperfectionibus Apostolorum: quia illæ erant infirmitatis, ignorantiæ & simplicitatis, neque illi discedebant à te, & tu eos semper tecum habebas:

in

in oratione, itineribus, mensâ, tribulationibus, paupertate, persecutionibus manere tecum, & amavere te, ut poterant; neque defectus eorum proveniebant à radice, quæ separaret à te. Sed ego miser pecco ex malitia, fugio nemine persequente, & quotidie recedo à te, non persistens in tuo servitio: priusquam oriatur tentatio, habeo te pro ignoto; & errores mei nascuntur ex venenata radice, quæ displicet tibi. Illi te audiebant avidè, ego aures obturo: reprehensi humiliabant se, ego me excuso: suas ignorantias tibi proponebant curandas, ego de me ipso præsumo: illi suâ simplicitate merebantur amari à te, ego per meam proterviam mereor fugari à te. Sed ô Salus mea, qui vides, & æquâ lance ponderas mala mea, quis ea tolerat, nisi paternus hic amor tuus? quis me exspectat, nisi pectus hoc plenum misericordiâ? quis mihi dicit, ne desperem, nisi hæc ingenita & æterna tua bonitas & clementia? quis invitat me ad recipienda tanta bona, nisi dulcissimum hoc & suavissimum cor tuum, quod me desiderat semper secum habere? Ergo, bone Jesu, non es tu is, non sum ego ille, quem tu vis semper esse tibi conjunctum? Ecce me hîc, Salus mea: ecce te hîc, qui es omne bonum meum. Quid impedit, ne consequaris, quod desideras? quid detinet hoc, quod tantopere cupis? Vis me adhuc talem relinquere, qualis sum? vis me diutius tolerare; me fugere, me relinquere in luto separatum à te? Mi Amor, cur me non respicis? Esne mei solius oblitus? Jesu, Vita mea! cur me non resuscitas? Jesu, Salus mea! cur me non sanas? Ego te hodie non dimittam, non discedam à te, donec me totum convertas in te. Stringam sacros hos pedes, & sequar, quocunque abieris.

Patientia JESV nos exsp. tantis.

IV. Quid à me petis, Domine? ut me pœniteat, ut me emendem, te amem, tibi serviam, & persistam in eo, quod jam desidero? quid vides in me, bone Jesu, quòd hoc petas à me, si tu non des; si velis, ne id rejiciam, sed datum conservem? Quo modo id faciam, nisi tu mecum ipse id facias? Ah mi Domine, Ah mi dulcis Amor! Volo, volo, volo, quomodo & quantum possum, totus esse tuus, & amando in sempiternum, nolo recedere à te. Volo quidquid tu petis à me: adjuva tu, Deus meus, hanc meam voluntatem, meam infirmitatem, desiderium meum. Volo, & non

scio

scio quantum, nec quamdiu sit duraturum hoc velle. Jam nunc enim sentio me trahi à miseriis meis, & inclinationibus terrenis, quæ me infelicem affectantur ubique. Jam timent, ne debeant me deserere; jam caro mea desiderat mecum confligere: sed tu, qui tuâ pietate me sustines, etiam es ille, qui pro me fortiter dimicat. Defende me, Domine: videant oculi tui fructum tam antiqui, & paterni amoris in me supportando, & extirpa tuo ardente spiritu, quidquid in me tibi non placet; ut efficias me talem, qualem me cupis.

Infirmitas nostra sustentatur à JESV.

V. Non possum, bone JESU! queri de te, sed de me ipso: quia tu semper es, & fuisti amicus meæ! pauperis animæ. Quoties à te recedebam, tu laqueos auferebas, qui mihi positi erant; inhibebas mortem, ne me opprimeret antè, quàm ad te reverterer: inspirabas mihi, quod opus erat: vocabas me multis modis: distinebas me negotiis, ut occupatus minùs peccarem. Permittebas me tentari, ut viderem mea pericula: nonnunquam etiam vinci, ut meam debilitatem agnoscerem: dimittebas me in angustiis, ut videns meam necessitatem, intelligerem, quantùm ope tuâ indigeam: ac licet multùm peccaverim, longè tamen plùs peccavissem, nisi tu me præservâsses. Non retraxisti manum tuam à me, quin spirituali ac temporali me juvares auxilio, & omnia in bonum mihi converteres, etiam peccata permittendo, ut humiliaretur mea præsumptio. Si quando redibam ad te, mox aderas cum favoribus internis, ac dulcedine tuæ præsentiæ. Sufferebas meas ineptias; acceptabas exilia & imperfecta mea desideria virtutis, & excitabas ad renovanda bona proposita, faciebásque me agnoscere in mea infirmitate, quòd illa tantùm gratiâ tuâ possim exequi; meam interim infidelitatem & inconstantiam tolerans.

VI. Ah mi JESU! quando absolverem singula recensendo, quibus usus es mecum in meis malis & imperfectionibus? quando gratias mihi factas, bona mihi impensa? quando, pie JESU, non fuisti mihi Pater? quando avertisti à me faciem inter tot mendacia mea, quibus tibi promisi, quæ postea non servavi? quando non recepisti mea desideria, quæ sciebas brevi abitura in vanum? Ego subitò ibam retrorsum, cùm tu stares tacitus, ac sustineres meos impro-

improbos mores: reducebas meam voluntatem in viam, ut me reciperes in gratiam, licet bene scires, me brevi perduellem futurum & inconstantem. Cujus patris aut matris major est amor? cujus amici fides? O quantum, Jesu bone, debeo tibi! plus certè, quàm tui discipuli; quia non diu patientiam tuam exercuerunt; ego verò per totam vitam id facio. Illi majorem partem vitæ consumpserunt in ferventissimo tui amore, & impenderunt ei, quidquid ipsis dedisti: ego facio totum contrarium. Plus tibi debeo, quàm omnes simul homines; quia multos permittis errare in fide; me verò in ea conservas: permittis, ut multi colant idola, multi falsis opinionibus adhæreant, veritatem non agnoscentes; me verò Christianum fecisti. Multos permittis perseverare in peccatis usque ad mortem; mihi verò das, ut ea agnoscam; das, ut gratiam efficacem habeam, ut petam eandem; ac tot peccata condonas, quot facerem, si tu me ab eis non præservares.

Adoro te, bone Jesu! pro his omnibus, & infinitis aliis gratiis. Infinitas pro illis tibi gratias ago, agúntque pro me omnes justi & Angeli sancti in cælo; quoniam ego non possum pares referre tibi laudes & gratias.

VII. Tu, Domine, qui nôsti, quantùm impediat, ne ex his donis proficiam, si non in omnibus meis rebus recurram ad te, & alia præter te diligam; purifica hoc in me, nec permitte me habere alium magistrum, alium consiliarium, alium arbitrum rerum mearum, neque alium amicum aut sodalem, quàm te. Quamvis enim tibi pro infinita magnitudine tua, non conveniant nisi res magnæ & æternæ; tamen haud ignoro, te delectari purâ simplicitate, ac placere tibi nôsse minutim omnia nostra, & numerare singulos nostros passus motúsque. Quid possum velle ampliùs, quàm adeò fidelem ac sincerum animum? Et si numeratos habeas omnes capillos meos, & folia arborum, quomodo non habebis etiam omnium nictuum oculi, omnium respirationum, omnium articulorum & momentorum vitæ meæ omnium cogitationum ac desideriorum meorum? Si quovis anno, bone Jesu! dignatus esses tantùm unam horam impendere mihi, ut res meas cognosceres, provideres meis necessitatibus, & tuam mihi voluntatem detege-

Cura Domini IESV de nobis.

res; nónne par esset, me toto anno aspirare ad illam horam; habere omnia præparata, ut ea decenter tecum pertractarem, tuísque favoribus & miserationibus implerer, quibus per totum annum sequentem sustentarer, donec illa felix hora rediret? Quomodo ergo non quavis horâ & momento tecum ago, tanquam cum fidelissimo & sapientissimo consiliario, & potentissimo opitulatore ad omnia momenta parato? neque gubernatio totius mundi, neque tota æternitas præoccupat locum tempúsve, ut non semper ad res meas attendas. Quare non venio ad te cum eo verbo, quod me offendit; cum ea cogitatione, quæ me molestat; & cum omnibus, quæ accidunt mihi? Quomodo non offero tibi omnes passus, omnia verba, quandoquidem tu acceptas, & grata habes omnia? quod si facerem, ô quantum mihi boni conferres? Si pro paucis ac frigidis precibus, ac suspiriis mihi das longè majora, quàm unquam ex me promerear; quid faceres, si omnia tibi offerrem, ac totus essem tuus?

Humilitate conservantur omnia bona.

VIII. Ah Jesu bone! una res mihi deest, quæ sola me posset restaurare, & sine qua non sentio, quantæ sit temeritatis ac periculi, vel ad unum momentum non cogitare de te: illa est sancta humilitas, conservatrix omnium bonorum. Tu, Jesu humillime! scis hâc solâ effici posse, ut mihi-ipsi diffidam in omnibus, ac timeam omni momento, ne fortè obliviscar tui, & ut semper suspirem ad te. Illa sola potest me docere, quantùm referat, semper habere vivam cogitationem de te. Scio hanc summè tibi placere: Igitur humilia me, Jesu, & planta in me hanc tuam sociam, & custodem bonorum tuorum; ut cum ea semper mihi metuam, ne semper à te fugiam, sed à te solo regi desiderem, ad te solum aspirem, tibíque arctè adhæream, liber à me ipso, ac totus possessus à te, Jesu, amicus meus, magister meus, tutela mea, consolator meus, salus mea, amor meus, felicitas mea, suavis dux meus, & vera vita mea!

O humillima Ancilla & Mater Dei! quæ nullo momento fuisti, nihílque egisti sine Domino; quandoquidem non satis habuit esse meum refugium, sed insuper te mihi dedit pro domina, advocata, & mediatrice apud se; adjuva me: & quia es filia Adami, quamvis

quamvis libera à meis malis, compatere huic tuæ massæ, ut per tuam intercessionem consequar tuum spiritum. O sacer Apostolorum Chorus, qui fuistis lux mundi, obtinete in præmium laborum vestrorum, huic peccatori gratiam, quam omnibus desiderabatis, se convertendi ad Christum: & quia incessistis per meos defectus, compatimini mihi, & impetrate mihi spiritum divinum, qui perfectos vos fecit.

ÆRVMNA XVIII.

Itinera Domini.

I.

CUm hoc exiguo & Apostolico grege cœpit bonus Pastor obire totam regionem Palæstinæ, ad colligendas oves, quæ perierant, domûs Israël, cui erat promissus; & viam sternendam toti mundo ad pascua salutis, loco eorum, qui pro sua cæcitate ac duritia ipsum audituri & recepturi non erant. Ne verò ullam excusationem haberent suæ proterviæ, & ut mundus tantò foret opulentior è suis meritis, è sua parte nihil omisit, quo possent converti, omnibus annuntiando Regnum Cælorum, legem gratiæ, ac divitias divinas, quas afferebat. Cúmque ipse esset Deus, Dominus & Salvator promissus, quem, ut venit in terram, summo studio quærere, excipere, agnoscere, adorare debebant Iudæi, quorum præcipuè gratiâ venerat; ipsemet illos suæ salutis prorsus incurios quæsivit, vocavit, & obtulit eis gratiam suam; nihil corpori suo indulgens, nulli parcens labori, quantumvis gravi, ut eos illuminaret, eriperet à vitiis, impleret bonis divinis. Dimissâ igitur sanctissimâ Matre, sub cuius obedientia suavissimè vixerat tot annis, contulit se Capharnaum, civitatem Galilææ, in confinibus Tribuum Zabulon & Nephtalim, prope Jordanem, sitam in littore lacûs salsi, quod mare Galilææ vocatum est. Erant hæ tribus jam olim perditis moribus, & ob hoc vastatæ cum reliquo regno Israël, quod decem Tribus complexum, caput habuerat urbem Samariam, refertam tantis sceleribus, ut unà cum toto regno peste & bello consumpta sit.

Iesus peragrávit Regiões magis corruptas.

II. Ergo Dominus Capharnai fecit prædicandi initium, ut Isaias prædixerat: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephtali. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est.* Ibi Dominus uberiorem doctrinæ, & miraculorum splendorem effudit, ibi tamdiu ac sæpe moratus est, ut civitatem suam vocaret. Nam ut sol cælum obit, non tamen dicitur oriri cælo, quod semper est lucidum; sed terræ, quam nox obscurat, & afficit mutatio temporum: ita Dominus, qui sol & lucerna est civitatis cælestis, nulli umbræ mutationique subjectæ, non illi, sed peccatoribus ortus est; quibus admodum breves sunt dies illustrationis divinæ, longissimę verò noctes ac tenebræ peccatorum, ut regio eorum videatur penè inhabitabilis. Et hanc civitatem suam vocat, ubi scilicet plurimum habet, quod agat, & ubi exercet opera majora divinæ virtutis. Atque hoc miseris peccatoribus non est modico solatio, quòd Christus, qui est immutabile cæli lumen, oriatur etiam nobis, nostras regiones frigidas & obscuras accedens tanquam sol, ideo nascendo, ut nos illuminans varios in nobis fructus producat.

Isa. 9. 1.

ortus est sol oriens peccatoribus.

III. Igitur divinus hic sol egrediens supra terram subditam tenebris peccatorum, & supra regionem umbræ mortis, peragravit omnes civitates Tribuum Israël, ubicunque supererat aliquod earum vestigium; quarum numerus in divisione Josue ascendebat ad 300. præter illas, quæ postea ædificatæ sunt, ac præter castella & alia loca. Sola Tribus Juda habebat civitates centum & quindecim. Intrabat eorum Synagogas, ut ibi doceret; hortos & montes, ut ibi oraret integris noctibus; domos, ut sanaret ægros, atque doceret. In plateis patrabat miracula: in campis & litoribus eos colligebat, erudiebat, nonnunquam & pascebat divinâ virtute, omnes humaniter accipiebat, curabat infirmos, resuscitabat mortuos, trahebat omnes post se odore divinarum virtutum, repletos admiratione, consolatione, doctrinâ, & bonis divinis. Neque his contentus ipsemet obibat omnia loca cis ac trans mare, præmissis eò suis discipulis, ut sciretur venturus. Et cùm essent tot loca obeunda, ut inter 72. Discipulos oporteret ea distribuere; tamen ipsemet obivit omnia: útque se pluribus posset im-

set impertire, sic tempus divisit, ut, quantum cuique loco necessarium erat, in unoquoque maneret, ubique relinquens flammas ardentis sui amoris, & spiritum suum; ut is perficeret, quod non potuerat præsentiâ corporis.

IV. Talis fuit cura huius divini cordis, tale desiderium salutis omnium, talis humanitas, quâ illos excipiebat; talis mansuetudo, quâ sufferebat eorum importunitates, & peregrinabatur sine cuiusquam incommodo, ut scribi vel cogitari non possit. Quæ omnia constabant non exiguo labore corporis, cùm incederet pedibus, ut opinio est, nudis, necrarò fortè cruentis ex offendiculo, in regione aspera, saxosa, ardua, in æstu, luto, pluviis, sæpe defessus & affluens sudore, ut cogeretur interquiescere: quanquam ei pro quiete fuit, mox, ut aliquò venisset, prædicare: & opera divina exercere: ac dum discipuli quærerent ei cibum, ipse fuit interim saluti animarum intentus. Bene acceptus est in locis quibusdam, non item in aliis, è quibusdam etiam abactus cum ignominia: sed ipse tanta mansuetudine se inde conferre solitus est aliò, quanta benignitate sua illis bona impertiit, qui parati erant ea recipere. Sanè cùm discipuli quondam indignati vellent ignem devocare de cælo, ipse placidè ipsis respondit: *Nescitis cuius spiritûs estis*: indicans spiritum suum esse spiritum mansuetudinis ac patientiæ, longanimiter exspectantem, non per vim obtrudentem gratiam suam. Alio tempore, cùm dehortarentur eum, ne rediret in Iudæam, ubi paulò antè voluerant eum lapidare, dixit duodecim esse horas diei, & undecim horarum patientiam bene collocatam esse, si vel in duodecima recipiatur gratia sua, contempta & repudiata prioribus. Talis est hic Dominus, ut magna cum voluptate circumeat, homines invitando gratia sua & beneficiis: & ubi non recipitur, discedat invitus & quasi coactus; & pto justissima indignatione, revertatur alio tempore, ut videat, an jam saltem velint eum recipere: & ubi desiderium hoc invenit, oblitus prioris contumeliæ, quâ fuerat rejectus, ita se gerit cum eis, ac si semper fuisset acceptissimus, ultrà vocatus & habitus benignissimè.

Mira mansuetudo, & patientia Domini.

Luc. 9. 55.

V. Beneficia, quibus homines affecit passim in suis itineribus, numerari non possunt: licet enim sat multa scripta sint, nihilominus dicit S. Ioannes, si omnia scribenda forent, totum mundum non capturum eos, qui scribendi sint, libros. Hæc autem non fecit tribus millibus annorum, sed tribus tantùm annis, & paulò ampliùs; neque per alios, sed in propria persona non sine magno labore atque sudore. Et ex hac brevitate temporis, quo Dominus res tantas perfecit, implens terram gratiâ suâ, apparet, quantò plus valeat breve tempus bene impensum, quàm vita longa & otiosa; & quomodo breve tempus sufficiat ad acquirendam magnam virtutem & merita. Si vitam nostram occuparemus totam in servitio DEI, sine dubio citiùs nos transferret ab hoc exilio ditatos suis favoribus: at quia major pars transigitur cum peccatis ac defectibus, egemus majore tempore ad ea deploranda & expianda, quæ impediunt ingressum in cælum, & ad promerendum eundem. Sæpe etiam DEUS ex misericordia prolongat hoc mœstum exilium, ut habeat plures, erga quos possit exercere suam clementiam. S. Scriptura dicit: *Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs consummata longam vitam iniusti.* Quia justus paucis annis, quibus vivit, habet spiritualium bonorum satis pro se & pro aliis, quibus ea communicet: & coram DEO juventus bene collocata reputatur pro senectute honesta, plenáque meritorum; at vita longa peccatoris, otiosa & plena peccatis reprobatur, ut inexcusabilis; qui multis annis, quos habuit ad vivendum, bene uti nescivit, aut noluit, ad suam salutem. Ut verè videatur Seneca dixisse: Malos non propriè dici mori: quia non apparet quomodo moriatur, qui non vixit, & finiat vitam, qui non cœpit. Magis propriè dicitur peccator semper mori; quia nunquam novit vivere: sicut enim non potest esse vita, nisi quæ plena sit bonis, quæ faciunt semper vivere; ita qui semper vivit, ut semper moriatur, revera incipit mori, priusquàm incipiat vivere, & moriens continuat mortem, in qua semper fuit, nunquam gustando, quid esset verè vivere. Ergo qui diu vivunt sine vita bona, sunt similes navi, semper litus oberanti, quæ multùm agitata parum viæ confecit.

Exigno tempore magna possunt obtinere merita,

Sap. 4. 16

Mali non videntur vivere.

VI. Iustus,

VI. Justus, qui totus occupatur in obsequio DEI, & procuratione suæ salutis, in paucis annis invenit multum temporis ad orationem, jejunia, eleemosynas, danda bona consilia, juvandum proximum, scribendos libros, exantlandos labores, exercendas virtutes: quia omnes horas bene impendit, & ex omni rerum successu ac tempore, capit occasionem virtutis, & meritorum augmentum. Negligens autem suæ salutis, qui alteri rei non studet, quàm suis desideriis & inclinationibus, plurimo tempore indiget ad satis faciendum illis, ad iram sedandam, satiandos appetitus inhonestos, comparandas oblectationes gulæ; ad recreationes, lusus, musicam, elegantias, vanitates; ad explenda puncta & momenta honoris, ad satisfaciendum centum millibus rebus, ad quas obligatur ratione suæ personæ vel statûs, ad quæ Deus non obligat: ut necessariæ forent ei totidem, & tam longæ vitæ, quot & quantæ sunt res, in quas unicam, & eam quidem perbrevem incertámque partitur. Unde cùm vult agere de se ipso, suâque salute, non invenit tempus, nec locum; quia tot res, quæ nihil, aut perparùm referunt, maximam vitæ partem præripiunt. Cùm autem venitur ad mortem, tunc primùm cogitatur, quid agendum fuisset: sed ut res, quæ properè fiunt, plerumque non absolvuntur tempestivè, vel sunt ejusmodi, ut nihil prosint, aut parùm; ita Deus novit, an is, qui in illo articulo tantùm satagit suæ salutis, possit tam brevi, circumdatus doloribus, cogitationibus ac timoribus, expedire vestem nuptialem, sine qua non datur ingressus ad cæleste convivium. Quòd si contingat errare illo momento, heu! quàm longa videbitur vita peccatori, quam habuit; quàm longa item, quâ deget in pœnis!

Bonorum vita satis est longa.

cùm ad bona facienda malè tempus non inveniant.

VII. Christus Dominus noster illo triennio suæ peregrinationis, habuit satis temporis ad obeundas omnes illas civitates, sanandi infirmos, excitandi mortuos, facienda laboriosa itinera, docendi plurima divina mysteria, instituendi collegium Apostolicum, perferendi multos labores, patiendi gravia tormenta, moriendi, resurgendi, ascendendi in cælum: ut plus attulerint omniũ saluti illi tres anni, quàm prodesse potuerit singulis longissima vita multorum justorum, etsi piè sanctéque peracta. Cujus ratio est, quòd omnem suam cogitationem Christus impenderit saluti generis

Mirum quanta IESVS triennio fecerit, docuerit, pertulerit,

generis humani, quæ fuit voluntas & obedientia Patris æterni. Unde cùm fatigatus esset, non reperiebat majorem refocillationem, quàm in occasionibus multa bona conferendi hominibus. Hinc nullum iter feciſſe, nullum locum adiiſſe legitur in sacra hiſtoria, in quo non mira beneficia præſtiterit suâ divinâ præsentiâ. Quondam prope civitatem Samariæ, supra fontem sedebat fessus ac sudans; ex eo, quod ibi contigit, est conjicere, quas cogitationes in corde suo versaret, quáque re se reficeret in suis laboribus. Nam cùm à femina peccatrice, quæ tum eòdem venit, discipulis ad cibos comparandos digressis, petiisset bibere, ipsáque frigida ratione id ei negâsset; Dominus, qui sitiebat ejus salutem, ne quid temporis amitteret, cœpit ei dicere de aquis divinis, & fluminibus orituris in corde justorum, salientibus in vitam æternam. Quorum desiderio in illa excitato, ut removeret impedimenta tanti boni, eam ad agnitionem mali statûs, in quo versabatur, suavi oratione deduxit: ad cujus emendationem, quia necessaria fuit agnitio Salvatoris, quod nec aliis publicè, neque privatim Apostolis indicârat, nisi à longè, huic peccatrici dixit apertè, se esse Messiam promissum à Deo, qui non minùs propter ejus unius, quàm totius mundi salutem venisset. Et sic illuminatam atque conversam, subitò fecit gratiæ divinæ præconem. Discipulis postea rogantibus, ut manducaret ex iis, quæ attulerant, respondit se cibo sustentari, quem ipsi haud nôssent, videlicet explendo voluntatem Patris æterni in salvando animas, & attendendo ad segetes, quæ albæ jam essent, ac maturæ ad messem. Quæ dum diceret, venerunt cives, qui eum secum introduxerunt, audierunt & agnoverunt pro Salvatore. Atque hic cibus ejus fuit, quo refectus est eo die, majore cum gustu, quia eo solo delectabatur.

Refocillationes Domini.

VIII. Ideo divina Majestas cupiens nos liberare à molestiis & superfluis occupationibus vitæ, suasit, ut præcipua cogitatio & delectatio nostra sit in quærendo regno Dei, & justitia ejus: quâ ratione fiemus immunes à multis ærumnis, non degendo vitam inertem, sed in omnibus occupationibus nostris lucra gloriæ divinæ sectando. Si enim in occupationibus vitæ hujus primariò quæratur aliquid aliud; vel non procedunt, vel protrahuntur in longum,

Solius gloria Dei lucra semper quærenda sunt.

longum, vel non reddunt operæ pretium, habéntque semper adjuncta tœdia & miserias, quæ fatigant, cogitationes malæ implicant, ac vitam non bene consumunt. Sed qui in omnibus præcipuè quærit vitam æternam, quietè comedit, dormit, & agit sine fatigatione: quia in jactura temporalium locupletatur patientâ & laude divinâ; in prosperitate verò majorem habet occasionem meritorum in cælo.

IX. Cùm desiderium cæli magnum est, quælibet exigua res terræ sufficit ad necessitatem explendam: sed cùm illud est exiguum, nulla res terræ sufficit. Apparuit hoc in divite epulone, qui, cùm abundaret opibus, tam parcus erat, ut neque micam panis daret Lazaro: at ubi in inferno constitutus Lazarum vidit in sinu Abrahæ, nescivit è tantis bonis cælestibus plus petere pro refrigerio animæ suæ, quàm guttam aquæ stillantis à digito Lazari. Quia ergo Christus Dominus noster pro refocillatione famis suæ, ac refrigerio fatigationis, sudoris & laborum suorum, habuit, quærere salutem nostram, remedium afferre nostris necessitatibus, & locupletare nostram pauperiem: par est, ut noster cibus sit, ei satisfacere, servire, placere, & non perire.

Cælestia desiderans non eget multis terrenis.

EXERCITIUM
De Fatigatione Domini in suis Itineribus.

I.

OMnipotens fortitudo, divina & invictissima virtus debilium & peccatorum, Deus meus, Dominus meus, ac tota mea felicitas! quid me fieret, si aspiceres mea peccata pro meritis, & non oculis misericordiæ tuæ? quàm pridem me abjecisses à te? quoties periissem, si attenderes mea mala ad pœnam, & non ad veniam? Sique me permisisses incedere, ut merebar, quoties te offendissem, & dignus fuissem reprobari à te? sed quia me respexisti cum misericordia, per ipsam vivo: quia me sustentâsti tuâ potentiâ, ideo non sæpius perii, neque sum defixus in centro malorum meorum: & quia tuis meritis supplevisti justitiam, quâ carebam, ideo non reprobâsti me hactenus, sed mihi dedisti spem veniæ, & piè me vocas ad communionem bonorum tuorum. Tam

Perierâm, absq; misericordia Dei fuissem

miserabilem peccatorem, bone Jesu, vis habere in tua familia? quomodo non timebit tanta fœditas mea huic puritati conjungi? quomodo mea miseria, vilitas mea audebit oculos conjicere in hanc Majestatem divinam? quæ communicatio tantæ egestati erit cum tanta abundantia? peccatori tam obsito plagis, cum supersubstantiali divinitate ac salute? tenebris meis cum hac luce tam clara & suavi? Ego sum ille, quem tu vides; & tu es ipse, quem nôsti, tam altus, ut à te solo possis plenè cognosci.

II. O bone Jesu, ô Deus cordis mei! qui propterea, quòd talis sis, & me propter te feceris, non vis me abjicere, sed te ipso illuminare tenebras meas, curare vulnera mea, recreare languorem meum, expiare culpas meas, condonare meas offensas, erudire meas ignorantias, resuscitare mortem meam, ditare meam inopiam: tu scis, quàm ego sim miserabilis absque te, & quomodo possim in hac mea miseria fieri templum & habitatio tua; ideóque cupis me separare à me ipso, ac tibi unire. Si ergo id mihi tam convenit, ac tu tantopere desideras, tuo gustu, meo commodo; quid me detinet vel unico momento sejunctum à te? Ego, qui altà voce invocare te debeo, sto mutus; ac tu me rogas: ego, qui semper debeo pulsare fores tuas, occupor aliis cogitationibus; & tu me urges: ego, qui semper obedire tibi debeo, surdus sum ad tua præcepta; & tu me continuò provocas. Quomodo fit hoc, bone Jesu, ut reus recuset, & offensus roget veniam; creatura fugiat, & eam insequatur Creator; infirmus nolit sanari, & medicus divinus omni studio velit eum sanare; percussus amet vulnera, & tu, Deus meus, illa sentias, movearisque compassione? O Deus animæ meæ, hic vides me, qui amo meam perditionem: videam & ego te, qui solus, ut amantissimus Pater ac Dominus procuras mihi remedium.

Homo fugit Deum se quærentem.

III. O si ego tantùm sentirem mala mea, quantùm ea tu sentis! ô si tam illa horrerem, quàm tu! ô si tam curarem ab eis exire, quàm tu me cupis educere! ô si tantùm laborarem pro meo bono, quantùm laboras tu pro eo mihi obtinendo! Tu, bone Jesu, qui nôsti gravitatem peccatorum meorum, ac damni provenientis ex illis, boníque, quod perdo per ea; & jam diu antè, quàm nascerer, vidisti, quàm parùm curaturus id essem; compassus mihi fuisti

neque,

neque pepercisti ulli labori in quærendo mihi remedio necessario: apparuisti lux divina, populo, qui sedebat in regione umbræ mortis; & ut bonus Pastor, quæsiisti oves errantes per saxa, per montes & valles, per vicos ac civitates, nudis pedibus, sudando, fatigando, frangendo tuum sacratissimum corpus. Nec fuit, ut vim ei faceres tu sponte currenti, sed operibus violenti amoris provocabas omnium corda ad te amandum, quærendum, & recipiendos tuos favores. Omnes implebas doctrinâ cælesti, operibus admirandis, tolerantiâ, humanitate, ac suavitate longè admirabiliore. O quantas gratias fecisti peccatoribus inter medios labores ac sudores! quantum, DEUS meus, debet cor meum istis itineribus, & istis gressibus laboriosis!

Quanto studio nos Jesus quæsierit.

IV. Nemo te invitavit in domum suam, quem non adires, dissimulans ejus exiguam fidem, & supplens omnia misericordiâ tuâ, & remunerans largis favoribus. Cùm te non invitabant, ipse studiosè, misericorditer, ac placidè quærebas illos, quos sciebas te indigere. Apud mare quæsivisti piscatores, ut ascisceres eos in discipulos: occurristi viduæ mœrenti, ut filium ejus resuscitares in Naim: accessisti piscinam Probaticam, ut sanares paralyticum tot annis derelictum ab omnibus: venisti Tyrum ac Sidonem, ut invenires mulierem Chananæam: intrâsti domum Pharisæi, ut sanctificares peccatricem: subiisti domicilium Petri, ut socrum ejus juvares: ingressus es viam, in qua sciebas Zachæum occursurum cupidum tui videndi, ut eum benignis oculis respiciens, salutem afferres ipsi ac domui ejus: adiisti domos peccatorum, ut manducares cum illis, eos divina doceres: sole ardente fessus ac sudans quæsivisti Samaritanam, ut eam aquâ vitæ cælestis potares; sæpius occurristi cæcis, ut eos illuminares; insessis à dæmone, ut liberares; leprosis, ut mundares; mœstis, ut recreares; errantibus, ut reduceres in viam; obduratis, ut emollires; oblitis bonorum animæ suæ, ut illis offerres. Nullum passum fecisti, nisi largiendæ gratiæ causâ. Si quando cadebas, vel offendebas sacratissimos pedes tuos ad saxa, aut præ fatigatione non poteras progredi, & cogebaris obvio loco sedere; quando item ventis pluviisque grave habebas iter, cogitatio errantium ovicularum te

animabat; periculum, in quo versabantur, non te sinebat quiescere; necessitas earum te urgebat ad festinandum. Ideo summo manè surgebas, ideo noctes tibi longæ videbantur, dies autem perbreves: & ut omnibus adesses in tempore, multiplicabatur tibi fatigatio, quia cura & amor tui cordis non te sinebat uno loco consistere. Et quamvis undique confluerent ad te quærendum, per campos & montes, tu tamen usitatâ misericordiâ satisfaciebas omnibus, neque intermittebas ire ad varia loca, utquæreres vel salutis incurios, vel impeditos, quò minùs venirent ad te. Non sustinebas, ut ullus te desideraret, quem non juvares tuâ præsentiâ; & eos, qui extra viam erant, tui cognitione carentes, vocabas.

Iesus mei causâ suscepit omnes labores.

V. Ah Pastor bone ac pie, aperi mihi oculos, ut videam & agnoscam, me esse ovem illam perditam, quam ita ferventer quæsivisti his itineribus & laboribus. Me vocabant illæ voces, me invitabant illæ miserationes, me instruebant illæ doctrinæ, me animabant illa solatia peccatorum, me curabant illa miracula, me recreabant illi sudores, me respiciebant illi oculi, qui convertebant peccatores. Illic tuum corpus erat, sed cogitatio mecum, paupere peccatore: illic bona faciebas hominibus, at me pauperem vocabas ad percipiendum fructum illorum. Quid dabo tibi, Domine, pro tantis favoribus? O bone Jesu! quia tanta fatigatione ac sudore me quæsivisti, fac, ne tantus labor, tanta cura sit frustra. Ego non sum minùs miser, quàm ullus eorum; neque tu minùs es Reparator, Pastor ac Redemptor mei, quàm illorum. Da igitur mihi quoque locum in mensa peccatoris Matthæi, vel aditum in domum Zachæi, vel ad pedes tuos, ut lavem eos lacrimis cum Magdalena; vel micam unam de pane tuo divino, ut vescar illis cum catellis, ut Chananæa; vel pauxillum aquæ tuæ dulcis, ut eo illuminer ad mei tuique cognitionem & amorem, cum Samaritana. Quòd si nihil horum promereor, audi bone Pastor, vocem hujus ovis immundæ clamantis ad te, & dic ei tantùm unum verbum, & ipse mundabitur. Tu, Domine, dixisti, te, quamvis missus sis ad oves, quæ perierunt domûs Israël, nihilominus habere adhuc alias oves, quas ab Oriente & Occidente debeas adducere, ut non pereant. Ego, Jesu bone, sum una de illis: tu nôsti bene meam miseriam,

vides

vides mea vulnera, ut sim laniatus à lupis infernalibus, & à meis peccatis. Ergo reporta me, Domine, ad tuum ovile, age me in tua vestigia, ut pascar tuis herbis cælestibus.

Iesus ideo tam pere nos quærit, quia novit mala nostra.

VI O Pater cælestis, ô Clementissime Rex ac Domine! qui me vides, & non videris à me, fac, ut videam te, sicut tu me vides; & me noverim, sicut tu me nôsti. Quid est hoc, Lux divina, quod in me vides? & quid est hoc, bone Iesu, quòd ego in te non videam utrumque, & oderim me, desiderem te. Tu, Domine, vides meam internam inopiam, & quàm longè absim à te; ideo tanto labore me quæris: quàm cæcus sim in tui cognitione; ideo progrederis, ac tot circuitus facis, ut me in hac regione mortis illumines. O quantas causas habeo sperandi, quòd me sis recepturus, cùm te associes peccatoribus! O Domine, si descenderes ad id, quod in me vides, quódque ego neque cognoscere, neque confiteri sat possum! Tu id vides, ac suffers, ac valde compateris meæ miseriæ. Et super hæc omnia vides bona, quæ in te sunt, quæque possunt me juvare, ego verò ea non video. Non, inquam, video Patrem, Amicum, Pastorem, Cibum, Ducem, Sodalem, Opulentiam ac Beatitudinem meam Non video amorem, quo me sustines, nisi per similitudines: non vim operum tuorum, nisi per conjecturas; non tua suavissima bona, nisi per guttas & micas. Non video incomprehensibile pelagus, quod es tu, quódque totum est meum. Et licet totum hoc credam, tamen fides mea est frigida; quia deest mihi lux & experientia perfecti amoris; & quasi cæcus non video neque progredior, nisi ad ea, quæ me semper magis occæcant. O lux divina, quæ nuquam extingueris: ô splendor, qui nunquam obtenebraris: ô dies, qui semper es lucidus: ô sol, qui nunquam occumbis! & quare cùm quaquaversum tantum effundas luminis, absconderis oculis unius noctuæ, vespertilionis miselli, qui in sole magis cæcutit? quoties illuxisti locis obscuris? illucesce semel & huic animæ meæ, ut te videat, gaudeat, amet.

Oratio, ut Iesus ad nos veniat.

VII. Ah mi Jesu! in eo, quod vides in me, nihil invenis solatii: at ego, si te viderem, & nôssem; quid me teneret, quin te amarem, te amplecterer, te possiderem? Eia, Domine, perge in hac tua pulchritudine, ingredere in hanc animam & regna. A-

peri portam hanc ferream, dirue hunc murum æreum, emolli duritiam hujus cordis, intra in hanc obscuram cavernam, ubi latent tot viperæ, ubi tot bruta & terrena desideria stabulantur. Fugiant præsentiam tuam potestates adversæ; & tu cum tua ovicula reperta, inter brachia gaudens sana morsus luporum: tonde superfluitates terrenas: da illi spiritum, ut te videat, mi bone Pastor & omne bonum meum! O quando hoc erit? quando te videbo Deus meus, sicut tu me vides? quando te amabo, sicut me amas? quando mea tota cogitatio erit in te, sicut est tua in me? quando te possidebo, sicut me possides? Si tu, Domine, quæris peccatores propter id, quod in eis invenias; vides, quàm simus egeni & inanes: noli fatigari in vanum. At si quæris eos, ut eis aliquid des; da, da, Salus mea, quidquid vis, & invenies in me, quidquid desideras.

Cæcitas nolentium Iesum recipere.

VIII. O mi Domine! quantùm interest meâ, non recedere à te; quando video homines, mei similes, ita perperos, ut, cùm te lucem divinam habeant ob oculos, cum sudore & fatigatione accedentem ad illos, ipsi te nolint recipere, lapidibus fugent, & qui sunt humaniores, te rogent, ut discedas ab eis! O cæcitas cordis humani! ô temeritas, quæ cogitat, te fugato se habituram aliquid melius! Moyses à te illuminatus noluit recedere, nisi promitteres te comitem futurum ac ducem. Sed infelix populus, qui tuo comercio usus non erat, fecit sibi vitulum aureum, quem haberet pro duce. Ut adeò, quisquis te novit, timeat esse sine te, vel unico momento: qui verò te non cognoscit, sine te malo suo sit contentus. O Deus animæ meæ! da mihi cognoscere, quàm malum sit esse sine te, ne ad momentum velim separari à te.

Commutamus Iesum cum rebus vilissimis.

IX. Sed ô quoties, bone Jesu! te fugavi ex corde meo, neque acceptavi tuas inspirationes, & renui tuam societatem! quin ergo abscondo faciem meam in tua præsentia, Deus meus, talis cùm sim? & quid quæsivi, cùm dimisi te? cui obedii, cùm non obedii tibi? quid sum lucratus, te fugato? Ah miserere, Domine! non te commutavi cum porcis, ut Genezareni, sed cum cloaca, sterquilinio & luto desideriorum terrestrium, & cum his, quæ tu vides in hoc misero corde. Vertantur, Domine, omnes meæ

venæ

venæ in fontes lacrimarum, quibus abluam tuos divinos pedes ad obtinendam veniam. Reliqui te, Vita mea! & quam vitam speravi sine te? Abegi te, fidissime amice animæ meæ! & quem alium volui pro te recipere? Occlusi tibi januam, thesaure bonorum omnium! & quid tunc habui te excluso? O salus animæ meæ! ô dulcis Redemptor! quo dolore cordis, qua confusione mei confitebor tibi hanc miseriam? & quomodo satisfaciam tibi pro hac ignominia? Amor animæ meæ! respice priùs te ipsum, postea quid ego promerear. Quis tunc te tenebat, ne vocares in me ignem de cælo? quis te placabat, ne terra dehiscens me deglutiret? quis intercedebat, ne traderes me in manus inimicorum meorum? at ultra hæc omnia, quis adigebat, ut redires toties, pulsans, me vocans, & urgens, cùm ego deberem id facere? quis erat, ô Deus meus! nisi magnus hic amor, quem erga me geris? O amor, tutor meus! ô amor defensor meus! ô amor, qui me sustinuisti! ô amor, qui convertis me! tu es Creator meus, protector meus, sanitas mea, medicus meus, pater meus, dominus meus, unicum remedium meum, & omne bonum meum: adjuva me, muta me, cura me: veni citò amor, quia te desidero: ingredere citò, quia te cupio: recludere intus, quia januam tibi aperio: sana me, quia te rogo: posside me, quia tibi me mancipo: rege me, quia tibi me trado: libera me, quia tibi me jungo; ab hac hora in perpetuum dominare animæ meæ; quæ tibi servire cupit, te amat, te quærit, te cupit ac recipit, ô amor mi, ô mi bone Jesu, & omne bonum meum!

Mater Dei ac Domina nostra! quæ hunc Dominum recepisti semper in anima tua, neque dimisisti eum, etiam cùm à te abiret me quæsiturus; recipe me quoque in tuum: da mihi angulum in domo tua, ut, quia tecum libentiùs habitat, me apud te inveniat.

O Curia cælestis, servi & incolæ domûs Dei! quoniam ipsi grati estis, egóque ad hoc sum creatus, ut sim vester socius, nolite esse sine me. Impetrate mihi, ut cessent tandem mei errores in hac infelici terra, & deceptiones habitaculorum hujus exilii; ut receptus ad vos ab illo semper possidear, egóque illum semper adorem præsentem.

Amen.

ÆRVMNA

ÆRVMNA XIX.

Duritia & obstinatio Iudæorum.

I.

Iudæi semper duræ cervicis.

IN itineribus Domini fuerunt alia longè graviora, quàm labores viarum; inter quæ facilè præcipua fuit pertinacia Judæorum, antiquum vitium gentis istius, quo plena est sacra Historia. Nam etsi Deus eam præ omnibus nationibus, elegerit in populum sibi peculiarem, ut coleretur ab ea; totámque rerum naturam in stuporem conjecerit miraculis maximis, quæ in gratiam ejus patravit; nunquam tamen potuit eam subigere, ut constanter sibi serviret. Deduxit eorum originem à stirpe sanctorum Patriarcharum; portavit eos in manibus suis, maximis beneficiis cumulavit; promisit eis Salvatorem, omnia bona cæli ac terræ; misit ad eos multos Prophetas; severissimè castigavit peccantes: recepit in gratiam, eruit ab inimicis, liberalissimè providit eorum necessitatibus: & nullâ rerum istarum obtinuit, ut sibi parêrent: semper ei rebelles, semper queruli, semper perfidi ac perjuri fuerunt, etiamsi promitterent obedientiam. Moysen ducem suum in deserto voluerunt lapidare: in oculis Dei, è medio ignis loquentis ad illos, fecerunt sibi vitulum aureum, quem coluerunt pro Deo. Occiderunt Prophetas, statuerunt idola in templo, adoraverunt deos gentium; denique semper fecerunt contrarium ei, quod Deus volebat. Estque ipsis tam propria & hereditaria hæc obstinatio ac duritia cordis, ut etiam in gravissima servitute, inter barbaros, licet evidenter convicti de suis erroribus è sacra Scriptura, non cedant; sed quæ de pertinacia sua dicuntur ab illa, sibi ducant honori. Est autem tanta eorum improbitas, & malitia, ut nulla natio similis illis reperiatur in mundo; crediúntque se etiamnum esse Deo chariores omnibus, tanquam filios Abrahæ; cùm tamen sint venundati, ut faciant malum; & exuti omnibus bonis, solum Dei nomen retinentes, eum labiis honorent, cor autem eorum longè sit ab eo. Tot etiam errores habent contra legem suam, ac tam absurdis fabulis contaminant sacram Scripturam,

pturam, ut pudendum; & manifestè impletum sit vaticinium Isaiæ; *Peribit sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.* Sive, ut S. Paulus id refert: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Quo, ut Augustinus ait, quid aliud significavit divina providentia, nisi apud Judæos solas divinas litteras remansuras, quibus Gentes instruerentur, illi excæcarentur. Summa, dum obligarentur lege Moysi, non potuerunt adigi, ut eam servarent: nunc eâ liberati, retinent mordicus. Quo fiet, ut sicut noluerunt recipere Christum, recepturi sint Antichristum.

Isa. 29. 14.

1. Cor. 1. 19.

Serm. 2. de Epiphania.

II. Cùm ergo, qui hodie sunt, eâdem omnino sint cervice, quâ fuerunt eorum majores, colligimus, quantùm exercuerint mansuetudinem Christi: pro qua proinde nunquam satis grati esse possimus. Moyses ægerrimè sustinuit eos annis 40. licet esset mitissimus hominum: multis prophetis conatus eos emendandi vitam ademit: cúmque nihil quidquam proficeret Deus cum eis, demum misit Unigenitum suum, uti promiserat, quem ipsi non tantùm rejecerunt, sed etiam interfecerunt crudelissimè. Cùm doctrina ejus, miracula & beneficia debuissent saxa convertere; vix 12. invenit Apostolos cum aliis nonnullis discipulis, ac devotis mulieribus eum sequentibus. Si qui ex primariis eum agnoverunt, clàm id habuerunt, præ metu cæterorum Principum ac Sacerdotum. Et, cùm viderent in ejus persona impletum, quidquid erat prædictum de Christo; clauserunt oculos, pessimè de ipso senserunt, insidias ei struxerunt, contradixerunt omnibus ejus dictis & factis; & cùm plurimis ab eo cumularentur beneficiis, nihil agnoverunt eorum. Etenim libenter acceperunt ab eo restitutos suos infirmos & mortuos: at postea consilia quæ fierunt eum perdendi. Cùm quondam in patria sua declararet eis locum Isaiæ impletum in ipso, ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut præcipitarent eum. Nolebant pati, ut miracula faceret Sabbato: proscripserunt eos, qui eum sequerentur. Denique nihil erat, quo non odium & obstinationem suam ostenderent. Videbat ac prodebat eis cogitationes ipsorum, in omnibus interrogationibus eos convincebat, quotidie confundebat eorum Principes coram populo; at ipsi quotidie magis indurabantur: qui tametsi admira-

retur ejus doctrinam & miracula, secutus tamen & ipse suos Principes, conjuravit in ejus interitum, & ultionem sanguinis ejus accepit super se, & super capita filiorum suorum. Semper defecit in fide, nunquam aperuit oculos ad lucem clarissimam: non èvigilavit ad ingressum Magorum, attestantium de nativitate illius: non est lætatus nuncio pastorum: non observavit publicum testimonium S. Joannis Baptistæ, & vocis allapsæ de cælo in ejus baptismo: nec ad ejus præsentiam, doctrinam cælestem ac divinam, quam passim experiebatur in se, suis parentibus, liberis, vicinis, amicis, virtutem, cùm sanaret eorum brachia, pedes, & alia membra infirma, veritatem agnovit: imò quidquid ageret, etsi demum petræ scinderentur, terra tremeret, sol obscuraretur, idololatra Centurio confiteretur esse Filium Dei, populus hic semper magis induruit, incredibili ac detestabili pertinacia.

Ex eâ duritia magnus fuit IESV dolor.

III. Quantùm autem Dominus hoc senserit, multis modis ostendit. Objecit eis Ninivitas, qui ad vocem Jonæ egerunt pœnitentiam: Reginam Saba, quæ occurrit ad audiendam sapientiam Salomonis. Ostendit eos esse obstinatiores Sodoma & Gomorrha, Tyro & Sidone, quæ ad talia signa, qualia ipsi videbant, utique se convertissent. Questus est dolens, quòd, cùm sæpiùs eos voluerit colligere, sicut gallina pullos sub alas, ipsi renuerint. Gravibus parabolis demonstravit eis suam duritiam, & propriis eos responsis convicit; quibus cùm damnarent se ipsos, magis tamen indurabantur, omnem occasionem quærentes eum tollendi è medio. Inter applausus populi, dum intraret Jerosolymam, ipse deploravit excidium urbis, quod sua ei creatura erat duritia. Multùm doluit, quòd verum Dei Filium respuentes, olim falsum Christum essent recepturi, in pœnam: ac talia sæpe cùm dixerit, necesse est, non leviter senserit obstinationem eorum. Neque alia sensûs ac doloris istius exaggeratione est opus, quàm quòd studio tam indefesso, desiderio tam ardente, modis omnibus quæsiverit eorum salutem; sed omnia frustra. Nam si consideremus, quantus fuerit hic amor ac zelus, facilè intelligemus, majorem fuisse dolorem, ac tormentum cordis tam benigni & amantis, quàm liceat assequi. Quem dolorem tanti fecit ipsemet, ut Apostolos exemplo

exemplo suo animandos putaret; ne, cùm olim parèm in illis duritiam essent reperturi, desponderent animum, sed suo se exemplo consolarentur, qui cùm esset ipse filius Dei, nihilo promptiores invenit ad recipiendam suam cælestem doctrinam.

IV. Quàm grave sit malum duritia cordis, è duobus præcipuè constat. 1. Quòd illud tolerare non posset infinita bonitas Dei, nisi insolitâ & excessivâ pietate & amore. Nam ignoscere veniam petentibus, consuetum est ejus misericordiæ: sed parcere iis, qui nihil pensi habent, quique juvari non volunt, est altioris, & planè incomprehensibilis bonitatis. Quòd patuit apertissimè, quando Moyses affectuosissimè oravit veniam populo, qui vitulum pro Deo conflaverat, & multis gravibúsque argumentis egit, ut Deus porrò vellet ire cum ipsis: neque tamen plus obtinuit pro illa vice, quàm quòd Deus promitteret, se illos non deleturum, ac pro se missurum cum eis Angelum; additâ hac causâ, quòd populus esset duræ cervicis: unde si ipsemet comitaretur eum, fieri non posset, quin accenso aliquando furore suo omnes disperderet, propter eorum contumaciam. Deinde, cùm idem pro signo gratiæ petiisset ostendi sibi faciem Domini, atque hic promisisset se ostensurum ei, quantum satis esset, ad cognoscendum se esse in gratia; audivit sonum juxta se transeuntis cum his verbis: *Dominator Dominus: DEVS misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est: qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.* Accepit hinc argumentum Moyses, quo Deum permovit, ut denique comitaretur populum. Etenim ajebat Moyses, quia populus est tam duræ cervicis, neque ego, neque ullus Angelus poterit eum sustinere: opus est ergo præsentia tui ipsius, cuius tanta est bonitas, ut non punias peccata ultra quartam generationem, & misericordiam tuam extendas ad mille, imò millia; adeóque proprium tibi sit, invenire modos parcendi & juvandi ultra consuetudinem, & supra omnem rationem & ordinem. 2. Quòd, cùm Christus esset perfectissimum exemplum omnis virtutis, tamen omnem doctrinam suam ad hoc restrinxerit, ut ab se discamus

Duritiæ cordis, quantum sit malum.

Exod. 34. 6.

mansuetudinem & humilitatem cordis, tanquam radicem ac dispositionem omnis divinæ lucis, virtutis & gratiæ; directè oppositam alteri extremo, quæ est duritia cordis, abominabile malum. Cur enim homo est durus erga DEUM? in quo confidit? quo nititur? quis est ipse? quæ substantia eius? vas plenum miseriis & luto. Et cur Dei Filius ita te submittit, ut sufferat nostram contumaciam, & cohibeat suam Majestatem, ne reducat nos in pulverem, qui audemus Creatori nostro resistere? Atqui Deus è nostra superbia sumit occasionem ostendendi suam bonitatem: demittit suam Majestatem, moderatur potentiam, constituit magistrum mansuetudinis & humilitatis, ut confundat extremam superbiam cordis humani rebellis, & obstinati contra Deum suum. Videns hoc Apostolus, miratur incredibilem nostram duritiam, ac dicit:

Rom. 2. vers. 4. *Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam thesaurizas tibi iram.*

V. Nullum est vitium ita contrarium naturæ humanæ, quæ mutari ac transferri potest è malo in bonum, & ratione gubernari. Angelis non datum est remedium peccati, quia sunt naturâ suâ immutabiles ab eo, quod semel elegerint: neque verò erat, cur eis daretur spatium melius cognoscendi, quod ad eligendum esset necesse, cùm omnia clarissimè perspexerunt initio. At homo propter consortium corporis, non omnia plenè cognoscit initio, sed indiget tempore ad res meliùs considerandas: unde fit, ut, quod semel malè statuit, possit corrigere. Cùm ergo assumit cordis duritiam, similem se diabolo constituit, contra suam naturam. Inter mala damnatorum præcipua est perpetua obstinatio in malo, ut videntes illud non possint abhorrere, & sic ament peccata, quasi haberent naturam diaboli: ad cuius societatem meritò damnati sunt, contra suam naturam, quia contra eandem in vita sua noluerunt mutare voluntatem in melius. Radix huius mali est, quòd homo sit addictus proprio judicio & voluntati: cuius vitii sæpe tam exigua ratio habetur, ut nonnunquam etiam reputetur pro virtute & sapientia: at si non corrigatur maturè, sic tandem facit inniti suo judicio, etiam quando errat, ac si esset certissimum; quæ est qualitas damnatorum simillima.

Angeli sua natura sunt immutabiles.

Obstinati in malo accedunt ad naturam diaboli.

VI. Hinc

VI. Hinc oriuntur paulatim diversa genera duritiæ cordis, donec tandem veniatur ad obstinationem infernalem. Primò ex usu sequendi suum judicium fit, ut paulatim minùs obediatur legi divinæ, & permittatur voluntati licentia peccandi, quamvis nondum cum obstinatione in illis: sed frequentatio lapsuum, & exigua vel frigida cura emendationis facit, ut cupiat quidem homo aliquando resurgere: non tamen inveniat in se modum dolendi de commissis, quantumvis ea agnoscat ac desideret detestari. Istis adhuc multa remedia suppetunt: ego efficacissimum puto, se humiliare coram Crucifixo, quantùm possunt; & sine omni confidentia propria, supplicare illi, ut virtutem sui calidi sanguinis in ipsis dignetur ostendere. Fuit, qui obsitus peccatis, cùm ab iis recedere cuperet, nec posset, ut oportebat, dolere de ipsis, præ mœrore domo exivit, incertus quò tenderet, reperiundi solatii caussa. Cùm obviavit ei ad januam egenus omnino miserabilis: recordatus, Dominum dixisse, quod suis fiat, sibimet factum id reputaturum, iterum ingressus domum attulit ei stipem, & flexis coram eo genibus, detecto capite, cogitans se esse coram Christo, quâ potuit humilitate dixit in corde suo: Domine Jesu Christe! tu es in hoc paupere: si possem, darem tibi cor meum; sed est tam durum, ut non possim dare, neque tu acceptares: accipe interim hunc panem, quem nunc dare possum: de corde meo fac tu, quod lubet. Tanta fuit vis huius humilitatis, ut priùs quàm surgeret, subitò diffluxerit lacrimis corde tenerrimo, & magnis postea gratiis fuerit à Deo donatus.

Gradus duritiæ cordis, licentia peccandi.

VII. Qui non sanatur in hac prima duritia, Secundò paulatim non curat ampliùs; sed delectat eum peccare, & vivere in ea cloaca, unde non cupit exire. Agnoscit malum, sed non habet animum, nec fervorem ut doleat, vel resistat; & magis gustu peccandi rapi se sinit, quàm cognitione suæ miseriæ. Hi quia sunt in periculo callum durissimum obducendi conscientiæ, indigent crebro usu Sacramentorum, ut sæpe renovatâ gratiâ robur ad resistendum acquirant, & ut obediant prudenti Confessario, qui applicet opportuna remedia suis tentationibus, inclinationibus, & motivis peccandi. Quod malum, nisi curetur cum diligentia, paulatim

Secundus gradus, delectari peccato.

latim vergit in omnimodam duritiam cordis, quâ nihil amplius curatur, neque admituntur ulla remedia, Tertiò tandem eò usque venitur, ut neque consilia tolerentur, neque reprehensio: imò ut etiam pudeat emendare, de quibus sunt moniti: quæque si agnoscerent aut se reflecterent, ultro essent facturi, nunc solùm eo ipso non faciant, quòd sint moniti vel reprehensi. Reprehensionem accipiunt pro injuria, consilium pro coactione ac violentia, ac citiùs perdunt omnem timorem DEI, quàm respectum humanum. Hi nisi maturè mutent conditionem, struunt murum inter Deum ac se, ac demum assuetudine mali sic indurantur, ut quidquid eis boni offertur, cedat in majus damnum eorum, quàm incurrerint peccatis ante commissis: nam ex omni bono deteriores evadunt. Talis fuit Pharao, eò quotidie durior, quò plura vidit miracula: tales Iudæi, de quibus Isaias, quòd videntes non viderint, fuerintque tam cæci, ut non permiserint se sanari, divinis monitis ac beneficiis peiores effecti. Utinam cum eis cessârit hæc duritia, & non etiam hodiéque inveniatur in Christianis: quam etsi Christus in cælo non sentiat, habuit tamen jam tum præsentem, cùm versaretur in terra, multóque magis sensit, quàm ipsorum Iudæorum. Cùm autem DEUS illos deserit, ac sinit peccare pro libito, jam hoc est initium ejus derelictionis, quæ apud inferos erit. Hæc duritia Filium Dei cruci affixit: hæc semper est persecuta Ecclesiam: hæc hæreses invenit, & corrupit tot animas; hæc sparsit tot errores contra fidem & legem Dei: hæc est mater damnationis, & animas parit inferno. Et quia Christus ipse non potuit flectere duritiam Judæorum, timeat sibi meritò, quisquis sine Christo vivit, obstinatus inter brachia diaboli.

Tertius gradus, reprehensionē & monita spernere.

EXERCITIUM
Contra Duritiam Cordis.

I.

MItis & humillime Jesu, fili Dei vivi, Domine & magister animæ meæ, & pie Medicator omnium malorum meorum! tu non es minùs potens ad curanda vulnera mea, quàm patiens ad toleranda; quia toleras ea, ut sanes. oro, ne finas ea putre-

fcere

scere, tantúmque augeri, ut me denique totum separent à te, Vita mea salutaris, ac salus vitalis & æterna! Tu scis, quòd habeam causas timendi, & semper implorandi misericordiam tuam: quia in meipso nascuntur pericula te amittendi, in quibus versor semper, ac servor sola tua virtute. Tu dixisti, bonum proferre bona de thesauro cordis sui, malum verò mala. Et quis est bonus, nisi tu? quis malus, nisi ego? Ex meo corde oriuntur mala, quæ vides ac suffers: affectiones, quæ à te abducunt; surditas, qua te non audio; duritia, quâ non obedio; tepiditas, qua res tuas non gusto, ut merentur; negligentia in tuo servitio; & quidquid in me vides & improbas. Non alium fontem habet mea perditio, quàm cor meum: atque utinam fons esset, qui omne malum effunderet ac tandem purus & limpidus fieret! at nunc est talis, ut longè plus scaturiat semper mali, quàm effundat; atque ita semper est, quod purgetur; quidquid autem mali non habet, aut non emittit, hoc, Deus meus, à tuo beneficio est. Nam ut primùm à te recedo, sum obnoxius omni malo, & omni bono indignus. Nam cùm feceris me tam capacem, quanta sunt bona tua; cùm his sum vacuus, quid mali non habet locum in me? O Salus æterna juva me, juva me: quia, cùm non possim verè cogitare, me semper fuisse tecum, in quanta malorum abyssо sine te fui? Abyssus miseriæ meæ à sola misericordiæ tuæ abyssо potest curari; tu solus eximere potes venenum, quod intravit in cor meum.

Cor est fons malorum nostrorum.

II. O mi Creator! qui me formâsti ex eadem massa, qua ceteros peccatores: ego sum, qui ceteris plùs pecco; aut si minùs, tibi soli hoc debeo. Erant Judæi quondam & nunc sunt filii Adæ, pleni tuis promissionibus, favoribus, donis. Vixisti inter eos, docuisti res divinas, opera mira patrâsti, ostendisti in tua humanitate perfectionem omnis virtutis, demonstrâsti adimpletas in te omnes prophetias; neque tamen ipsi te cognoverunt. Splendebas inter eos, Lux æterna, & ipsi magis excæcabantur; detegebas eis sua peccata, & ipsi non agnoscebant: deliniebas eos tua mansuetudine, & ipsi exasperabantur: conabaris penetrare corda eorum, at ipsi magis ea obturabant: ingressus eorum domos, amantissimè colloquebaris, & virtute divina levabas necessitates eorum, at

ipsi

ipsi te nolebant agnoscere, sed potiùs aversabantur lucem tuam, veritatem, opera, vitam, personam tuam; ac sua mala præ tuis bonis malebant. Tu deplorabas eorum interitum, sed hoc ipsi gaudebant; conabaris inde eos eripere, at eum arctiùs ipsi complectebantur: & præ amore peccatorum suorum, execrabantur te, qui es vera salus, & verus medicus. Quomodo, bone Jesu! plùs possunt tenebræ, quàm lux tua? quomodo crescunt illæ, & tu dolens laboras in vanum? Nec bonis, quæ conferebas, nec peccatis, quæ ipsis monstrabas; nec pœnis æternis, quas minabaris; & quod plus est, nec suavissimâ ac divinissimâ præsentiâ & conversatione tua potuisti vincere illorum duritiam. Quid hoc est rei, mi Jesu? imminuta est fortitudo tua? siccatus fons aquæ vivæ, apud hanc gentem? moreris pro illa, & ipsi lavant manus in sanguine tuo, neque tamen mollescunt, sed ipsi & omnes posteri manent in sua obstinatione: semper te invocant, precantur, laudant, confitentur Deum suum, semper legunt verba tua in divinis Scripturis, & semper manent obstinati, sine luce, sine te, sine corde humano, cum corde diabolico, & infernali duritia. O mi Domine! quomodo non timebo mihi ipsi, hæc videns?

Magna duritia ludæorum.

III. Nemo eos coëgit, nemo excæcavit, nemo induravit, nisi id quod habebant intra se. Infernus te agnovit, dæmones tremuerunt, mors obediit, elementa & bruta subjecta fuerunt tuæ voluntati, cælum tuo imperio patuit latroni, cùm justis clausum fuisset; & humana corda, quæ creâsti propter te, quæque sunt propria tua habitacula, & quorum felicitas tu es, te non cognoscunt, non audiunt, non volunt, neque recipiunt. Quid me fiet Deus meus, si deserat me gratia tua, & possideat mea malitia? O quoties fui secutus hanc internam duritiam! & quod ex ea mihi deest, à tuo beneficio est. Vix natum replêsti me gratiâ: & quoties me vocâsti, quoties instigâsti, ut tibi servirem? quot ærumnas & pericula mihi ostendisti, ut redirem ad te? quot peccata remisisti? quomodo me tolerâsti? quot veritates mihi aperuisti? quot perpetuò dona dedisti mihi, præparâsti, & obtulisti? At ubi sum, Domine? quomodo tam miser coram te compareo? Ubique mecum es, & ego te non audio. Confiteor tibi meam

culpam

culpam, nec tamen emendo: recipio tuum sacratissimum Corpus, & te intra me habeo, neque tamen te audio, amo, invenio. O mi bone JESU! nunquid mea duritia est pejor, quàm Judæorum, & ego propter eam tibi magis displiceo? Illi te non credebant, ego credo; illi te non recipiebant, ego te manduco: & nihilominus vivo in meis peccatis; non exeo ex meis imperfectionibus; maneo in meis ulceribus, & ea fortè plùs amo, quàm te, Deus meus! Nam si verè odissem, liber essem ab eis. Domine mi, Domine mi! succurre mihi tuâ misericordiâ, emolli hanc meam duritiam, ne progrediatur & separet me à tua præsentia. Conjice oculos tuos in hunc peccatorem, opus bonitatis tuæ, & sanguine tuo pretioso redemptum; & cùm petræ comminuantur igne, tu igne amoris tui confringe duram hanc animam.

sed mea non minor.

Oratio efficax contra duritiã cordis.

IV. Non potes dicere, Domine, te velle, sed non posse. Dura fuit peccatrix; sed stantem ad pedes tuos emolliviſti, & recepisti in amicitiam. Quid minus habent nunc pedes tui, quàm tunc? ego eos reperio apertos clavis, & quomodo mihi non exit virtus ab illis? si illa id consecuta est lacrimis, quibus eos abluit; ego quidem lacrimas non habeo, sed tu largitor omnis boni, potes & mihi dare uberem fletum, quo præparer ad alia, quæ mihi cupis largiri. Cor illius ad te clamabat, quantùm poterat; clamat & meum, voce quidem dura & sicca; sed tu non ideo es minùs bonus, quàm tunc eras. Ah mi JESU! noli indurari mihi, qui cupio pro te liquescere. S. Petrus tam erat obstinatus in tui negatione, ut, nisi tu eum respexisses, etiamnum perseveraret in ea; sed unico motu oculi tui emollitus, & conversus est. Quis oculis iisdem ademit virtutem emolliendi & me? Respice, Domine, hunc pauperculum simili misericordia. Tu, JESU, potes omnia. Quanta cum duritia Latro ascendit in Crucem, qui & in totâ vitâ te offenderat, & in ipsa cruce te blasphemabat? Potuit Crux tua subitò emollire illum, & facere tibi Socium Paradisi; & ego solus non experiar virtutem ejus, quæ omnia trahit ad se? Memento mei Domine, Paradisus bonorum omnium. Quòd si ego sum pejor hoc latrone, tu tantò es melior. Non exspectâsti Paulum, donec te rogaret, quando sæviebat maximè in tuos fideles,

ut omnes necaret, tu solo nomine illum prostravisti, emolliviſti, in vas electionis convertiſti, plenum tua virtute, & pro toto mundo abundans. Subitò clamavit, non se jam vivere, sed te in ipso; subitò sic amavit, ut securus esset, nulla re mundi se posse à tua charitate sejungi. Ergo quanta possum humilitate clamo cum illo: Domine, quid me vis facere? Notam fac mihi voluntatem tuam, deduc me semper in tua custodia, & fac me semper esse sub tua suaviſſima ac benigniſſima manu.

JESVS est semper suavis, placidus, facilis.

V. Ah Jesu bone! quis me juvabit, ut petam à te hanc teneritudinem cordis, quam desidero, si ego induro me ipsum, surdus ac durus ad omnia, quæ mihi expediunt? quando te durum inveniam, nisi cùm cesso me tibi conjungere? & quando tibi conjungar, si te non inveniam placidum ac facilem, qualem optare me facis? Tuæ, Domine, virtutis est, finem huic contentioni imponere; quia miseria mea me trahit semper in pejus. De eo, quod in te semper inveni, queri non possum; sed bene gratias agere infinitas, quòd, cùm aliquando veniſſem ad te peccatis onustus, durus ac timidus, receſſerim releyatus, & verè suavem expertus misericordiam tuam. Imò ad meam confusionem plus confitebor tibi, felicitas & gaudium meum, optime Jesu! Si quando oblitus malorum meorum me permisisti amplecti suaviſſimos pedes tuos, & rudes voces audîsti ex meo misero corde prolatas, quibus peterem tuum amorem; num te, Deus meus, durum ac surdum inveni? semper vidi te meæ improbitatis immemorem: loquebaris mecum sine voce: sinebas me tecum agere, quasi cum æquali: ardebat cor meum tui amore; & quidquid tibi placeret, grave mihi non erat: deplorabam horas, quibus te non amavi; desiderabam tui amore consumi; oderam, quidquid me separabat à te, & ab eo, quod de te me faciebas sentire: tu nôsti, quæ me sine voce humana docebas. Et ego scio, quòd, quidquid est in hac vita, respectu eorum sit nihil. Cùm autem reversus ad meas miserias, quæ tuum suavem gustum impediunt, me gravatum sentirem, ac propterea redirem ad te, nullam in te mutationem inveni; sed semper suavem, semper placidum, semper humanum, semper eundem, & semper amicum animæ

meæ

meæ fidissimum. Quid ergo, bone Iesu! actum est eo gustu? ubi eum amisi? Etiam quando pro meo bono mihi abscondebas faciem tuam suavissimam, ac dabas mihi spiritum alta voce te invocandi & requirendi, mox redibat splendor, ac subitò desinebam essem, qui eram; & oblitus exilii mei & miseriæ, adiungebar tibi, cum desiderio non ampliùs recedendi à te. Quis ergo me sejunxit? ubi tantum bonum amisi? quomodo rursus indurui? Nónne pejus est, mi Domine, rursus indurari post cognitam tuam bonitatem, quàm si eam nunquam gustâssem? O mi Redemptor, propterea imploro misericordiam tuam, quia sum talis, qualem me vides. Noli, Deus meus, me separare à te: noli permittere, ut ex mea voluntate coram tanta luce excæcer, ne fortè in hac duritia mea obdormiam, & acquiescam. Et quandoquidem non mereor illum gustum, quem toties meâ culpâ perdidi; saltem non denega mihi per bonitatem tuam, ut semper agnoscam ac videam necessitatem meam, quâ indigeo tui, & cum inclinationibus meis pravis confligam. Da mihi, Domine, vires validè tundendi semper hoc ferrum & hoc saxum cordis mei, ut in me vivat saltem desiderium ejus, quod perdidi, & odium malorum, quæ incurri.

Pejus est, indurari post degustatam bonitatem Dei, quàm nunquam gustâsse.

VI. Liberalissime, ditissime, potentissime, suavissime Jesu! da mihi tuum amorem, & sic infige in cor meum, ut verè possim dicere: Quis nos separabit à charitate Christi? quid est, quod mereatur cor meum, & possit illud subire pro tuo amore? cùm pro amico, re terrenâ, vel voluptate corporis te perdo, quid lucror? si ad fugiendos labores perdam tuum amorem, statim in alios amores abripior, qui me comsumunt: si propter amicos, tandem infideles experior: si levandi tædii, vel recreandi corporis causâ, in fine me inquietum & mœstum invenio: si ex tepiditate, negligentia, & frigore spiritûs, in mille tentationes incurro: quacunque causâ perdo tuum amorem, remaneo spoliatus tuis beneficiis, languidus in tuo servitio, & pronior ad explendas meas malas inclinationes, quàm ad curandas. O Deus meus! quis me separabit à tuo amore, à tua conversatione? Si bonas horas, quas perdo in rebus, quæ suavem tuam communicationem impediunt, & quod in illis facio, & quàm vilia sint ea, quibus occupatur cor meum,

Amisso IESV quid lucri?

compare cum suavissimis & maximis thesauris, quibus tunc non gaudeo, imò quos fugio; heu, quàm pauper sum! super hæc omnia (qui summus est gradus miseriæ) cùm hæc videam & intelligam, nescio quid me teneat, quod pondus ac tœdium sit, quo impedior, ne curram ad gustandam suavitatem deliciarum tuarum. Ah Domine, nulla res me avellat à tuo amore! & quia subjectio, mansuetudo, humilitas est, quâ debeo deduci ad te, & ad perfectam curationem plagarum mearum; ecce me, Domine, ad pedes tuos! humilia me; fac ut mihi ipsi diffidens, timeam id, quòd à te separat; ut tibi, cui debeo totum, quod sum & spero, debeam etiam curam miseriarum mearum. Quando videbo te, Domine, possessorem & pacificum inhabitatorem cordis mei? ô bone Jesu, usque eò sum miserabilis, nec video, quò ruam ad interitum nec scio te rogare, ut me liberes à me ipso. Tu, qui non indiges instrui, cùm optimè videas omnia, fac pro tuo libitu mirabilia tua in hac terra plena miseriæ.

O Domina Angelorum, advocata peccatorum, agna sine macula, dulce habitaculum Jesu, pia mediatrix durorum & obstinatorum! Dominus te mihi dedit, ut impetrem per te, quod ipse non mereor; quandoquidem vides, quanta mala proveniant ex cordis mei duritia, fac, Domina, descendere à fonte misericordiæ, quem tu peperisti, aquam vivam, quæ semper proluat & emolliat hanc duritiam.

O ditissimi incolæ domûs Regis æterni, natantes in dulcedine Agni! cùm toti diffluatis amore Dei, nolite pati, ut ego sim tam durus. Pluite super me, quod vobis redundat: rigate hanc aridam, ut vestra demum possim societate gaudere. Amen.

ÆRVMNA XX.

Sinistra Iudicia de Actionibus Domini.

I.

Duritia fructus, sinistra judicia.

DUritia Judæorum talia fecit in eorum animis, ut admirandum sit, quomodo bonitas Christi potuerit ea velle sufferre. Eorum unum fuit, quòd semper malè

malè judicarent de ipsius persona, dictis & factis: manifestum signum virulentiæ in eorum corde latentis, maximè contrarium rationi humanæ. Etenim ista prona est ad judicandum de rebus, prout apparent. Quid autem erat in Christo, quod ullam speciem mali haberet? sed malitia in eis ordinem naturæ pervertit, quæ nunquam judicat malè de bono, nisi saltem falsa cum apparentia mali: quæ ipsa in Christo non fuit. Unde confidenter eis dixit: Quis ex vobis arguet me de peccato? non tantùm non convincere potuerunt eum, sed ne arguere quidem & insimulare, quantumvis eum odissent. Ad quod ipsi ne verbum quidem habuerunt reponere. Quod enim vitio dabant, curare ægros in Sabbatho, ita confutârat manifestè, ut non auderent ampliùs id ipsi objicere. Culpârunt illi quidem, quòd Deum Patrem suũ vocaret: sed & hoc operibus ita confutavit, ut non esset, quod dicerent. Annam petentem ab eo rationem suæ doctrinæ constanter ad ipsos suos inimicos remisit. Apud Caipham, cùm nihil afferri posset criminis, quòd non esset apertissimè falsum, statuerunt eum clamoribus & seditione opprimere; quandoquidem nulla mali species offerebatur, quâ decipi posset eorum iudicium.

II. Qui meliùs de illo senserunt, non ascenderunt altiùs, quàm quòd eum pro sancto Propheta haberent: ceteri pro sua quisque conditione judicârunt de ipso, si ageret cum peccatoribus, sanctissimè licet eos tractaret & converteret ad meliora; non tamen evitavit, quin haberetur pro homine profano, voratore & potatore vini. Doctrinam eius aliqui novitatis insimulârunt, quo titulo mundus multa condemnat: cúmque ipse sit omnium novitatum inventor, novitatis accusat, quidquid obstat eius inveteratis sceleribus. Alii, cùm illum turbæ multæ sequerentur bonorum caussâ, quæ recipiebant ab eo, habuerunt eum pro seditioso, ac turbatore quietis publicæ: alii censuerunt, saltem fore meliùs, si non publicè, vel in campis, sed privatim doceret ac sanaret ægros in ædibus, ad vitandum concursum ac rumorem populi. Vetus hic mos est mundi, ut populi concursum ad spectacula, & res profanas non culpet, sed approbet: sed ad templum, confessionem, indulgentias, ubi concurritur, pluvia fiat judiciorum parvorum ac discortorum. Solet enim probare illa, quibus vitia sua foventur; im-

probare, quibus impediuntur vel parùm. Denique malitia eorum adeò proceſſit, ut miracula Domini tribuerent commerico dæmonis: non poterant opera ejus, quem deprimere volebant, alteri auctori adſcribere, quàm cui ipſi obſecundabant in omnibus.

ſiniſtra iudicia deſ. quàm gravia fuerint Chriſto.

III, Gravis fuit hæc ærumna Domino, quæ multis argumentis exaggerabatur. Primum, qui perperam iudicantur à mundo, ſæpe tardè id reſciunt, decepti à ſuis cenſoribus, alia omnia erga eos præſeferentibus. Sed Chriſtus vidit omnium corda, & novit, unde procederent eorum iudicia, ac ſimul etiam damna, quæ ſibimet ipſis inferebant, & quanta obſtacula ponerent bonis, quæ ipſis erat collaturus: quod quidem acerbius ipſi fuit, quàm ſua ipſius injuria, Nam ut amor facit ſentire, quæ ſunt ei contraria, propter mala ac damna illis adjuncta: quæ mala cùm omnia in hos Domini cenſores incumberent, quantùm eos amavit eorúmque ſalutem, tantùm utique ſenſit damna, quæ incurrebant. Præterea Magnates, qui ferè meta ſunt iudiciorum humanorum, quia ſunt potentes in mundo, nemo facilè vult eis diſplicere, ſed potiùs aucupari gratiam eorum. Unde etiam ii, qui malè de ipſis judicant, eos in faciem laudant, & extollunt illa ipſa, propter quæ de ipſis malè ſentiunt: ſaltem omnes judicia ſua ſiniſtra diſſimulant, cavéntque ne reſciantur ab illis; multò minùs dicunt eis in faciem, ne malum incurrant. Chriſtus autem pro exemplo & ſolatio ſuorum, qui ſimilia erant paſſuri, voluit ſubire mala judicia cum omnibus circumſtantiis, quæ poſſent ea graviora efficere. Quare ſuſtinuit, ut poſita omni verecundia in faciem ipſi impudenter ingererent, quæ ſentiebant de ipſo. Denique homines bona intentione ſe munire ſolent contra ſiniſtra judicia, tametſi non ſemper opus externum bonæ intentioni mentis ſit congruum, imò ſæpe contrarium. Sed Chriſti non intentio ſola, verùm etiam opera adeò fuerunt inculpabilia, ut etiamſi mali quid potuiſſet habere in animo, nulla tamen ratione etiam maligna, id poſſet deprehendi in eius operibus: adò uſquequaque ſancta & perfecta fuerunt, & quidem conſtanter per omnem vitam: atqui mala intentio tanto tempore ſub mantelo virtutis non poteſt latere, quin aliquando appareat.

Quantùm

Quantùm verò sensérit hæc judicia Dominus, in pluribus Psalmis ostendit, cùm per os Davidis petiit judicari secundùm justitiam suam, & liberari de gente non sancta: & deinde etiam in Evangelio questus est, quidquid agat, à Judæis malè accipi; nec posse se quidquam apud eos proficere, propter sua perversa judicia: aliàs disertè dixit eis, ut justum judicium judicarent, ne judicentur, & pari mensura in se arcessant judicium.

IV. Sanè, qui proni sunt ad judicandum, graviter sibi ipsis præjudicant. Nam sive in bonis actionibus aliorum sint nimis rigidi exactores, sive in malis notoriis judicent absque misericordia; certi sint, se quoque manere judicium sine misericordia: si verò de bonis judicent malè, habent judicium Apostoli dicentis: *Tu quis es, qui judicas alienum servum? in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas:* Id est, ut explicat S. Chrysostomus: etsi illa non facias, non tamen judicares malè, quæ alius facit, nisi in te ipso haberes inclinationem ad illa. v. c. Impatiens, cùm videt alium patienter aliquid ferre, ex se ipso metitur illum & judicat, non ex patientia sed ex mera dissimulatione ipsum id ferre. Ita profanus ac tepidus, videns alium insistere orationi, judicat eum id facere ex hypocrisi: quia scilicet ipsemet non ex pietate id faceret, sed ex hypocrisi. Et improbi, quidquid boni vident ab aliis fieri, tribuunt odio, iræ, simulationi, aut alteri vitio, qualibus ipsi abundant. Siquidem omnia judicia sinistra proveniunt è radice mali, quod est in animo judicantium. Quod clarissimum est è multis experimentis: nam eodem opere bono alius ædificatur, quo alius offenditur, puta oratione, jejunio, sermone pio &c. cujus non est alia ratio, quàm quòd judicium suum non fundent in ratione, sed in affectione propria; quæ quò pejor est, eò deteriùs judicant. Similiter duo vident idem opus malum; sed unus condolet, cupit mederi, occulere; alter autem castigare, propalare &c. & sic eodem opere unus movetur ad misericordiam, alter ad crudelitatem. Ac proinde verum est, eum, qui malè de altero judicat, condemnare se ipsum: quia talis mali radix latet in illo, quale est ejus judicium: unde nisi Deus impediret, ille idem omnino patraret, quod

Quam malum sit, malè judicare de altero,

Rom. 14. 4.

Iud cium la oriunt. è malo te de.

quod alter, quem judicat. Ac licet non debeas judicare bonum, quod apertè malum est; id enim esset contrarium judicio Dei: nihilominus tamen ea moderatione judicii utendum est, ne ex eo appareat vitium latens in animo tuo, & sic te ipsum condemnes.

Remedium contra hoc vitium.

V. Qui proni sunt ad malè judicandum de omnibus, in oculis Dei cogitent se esse omnium pessimos, ac Deo soli debere, si non patrent omnia, quæ malitia humana potest excogitare: quia clarè vident, quòd, cùm ipsi tantum mali reperiant in omnibus, hoc totum oriatur ex propria imaginatione, & suo corde, tot malorum capace. Cohibeant ergo linguam, ut ea malignitas maneat inter Deum solùm & ipsos. Deinde omnia judicia mala, quæ ipsis occurrent, vertant in se ipsos; & accusent se de maligna radice, è qua illa proveniunt, sempérque studeant invenire modum excusandi proximum: quem si non inveniant, fateantur coram Deo, se esse adhuc pejores proximo, utpote qui contra eum tam duri sint: & cogitent, si ille sic agnosceret errorem ut ipsi, futurum ut se ipse emendet. Unde meritò infertur, eum, qui sic judicatur, esse meliorem his, qui eum judicant, utpote qui sint adeò maligni censores. Quibus autem ex officio convenit alios judicare, & corrigere, priùs in corde condemnent se ipsos, ut alios judicare possint cum Dei timore. Omnes autem nôrint, quod Theologi docent, eos Deo plus debere, qui præservantur à peccatis, quàm quibus remittuntur commissa: sicuti plus illi debeo, qui me defendit à plaga, quàm ei, qui sanat percussum. Et verum est, quod S. Augustinus dicit, Deum condonare mihi tot peccata, quot potui committere, & commisissem, nisi me ille præservâsset. Non est autem peccatum, quod facit ullus homo, quod non faceret alius quisque, nisi præservaret eum is, à quo factus est homo. Ac proinde meritò quisque potest habere se ipsum pro tam malo, quàm videt alium esse: & gratias agere, quòd sit præservatus ab illis, quæ videt alios facere; & rogare ne sinatur eadem facere.

Cur non curanda mala

VI. Hinc etiam intelligitur, non esse, cur servi Dei curent inconsiderata judicia hominum, habentes pro certo, se illa declinare non posse; cùm neque summa innocentia & sanctitas Christi fuerit

fuerit ab illis immunis. Imò cùm primùm ſtatuerint DEO ſervire, aſpiciant hanc crucem & moleſtiam; quam ut Chriſto intulit mundus, ita ſervis eius non parcet. Mundum appello, quicunque in quolibet gradu vel ſtatu non habent ſpiritum faciendi illa bona, de quibus iudicant malè, neque ſunt experti pulchritudinem virtutis. Cujuſmodi ſunt non ſæculares tantùm, ſed etiam Religioſi & Eccleſiaſtici, ſuæ obligationis immemores & perfectionis, quam profitentur. Verum quidem eſt, iis, qui nondum longè proceſſerunt in rebus divinis, valde dolere hujuſmodi ſiniſtra aliorum judicia: ſed cùm altiùs elevati fuerint, facilè perferent. Interim recordentur, quantum DEO debeant, ut conſtanter ſequantur bona, quæ Deus ipſis dat intelligere: ſibíque perſuadeant, mundum non judicare malè de bonis ex odio mali, ſed tantùm ex ſtudio elevandi ſeu deprimendi virtutem. Amat enim vitia, licet nôrit eſſe mala; & ut ea defendat, poſsítque liberiùs ea ſectari, extollit & approbat; ac proínde virtuti, quæ eſt ipſis contraria, nomen illorum imponit. Hinc pietatem vocat hypocriſin, zelum paſſionem, juſtitiam rigorem, &c. ut, cùm fecerit virtutem haberi pro vitio, illa perdat æſtimationem, & ipſe vitia ſua ſequi poſſit liberiùs. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ita, ſi virtuoſi verè forent improbi, ſicut eos judicat mundus, laudaret & extolleret; ſicut vindicativos laudat quaſi cordatos; vanos, ut generoſos; prodigos, ut liberales; & faveret eis in malo, quod eis imponit per ſua judicia. Sed quia ſcit ſe virtute, quam probi ſequuntur, condemnari, ideo eos odit, & ut malos perſequitur, quò trahat eos in ſuam partem, vel ſaltem infamet virtutem. Quare, ut aliis in rebus non curatur judicium imperitorum, ita nec eorum judicia curanda ſunt, qui nullum habent uſum virtutis, ſed tantùm ſunt exercitati in vitiis. Nec tamen hoc dico ſervis Dei, ut ceteros habeant omnes pro improbis, ſed ut nôrint aſtutiam dæmonis, quâ conatur eorum conſtantiam labefactare per ſiniſtra judicia; & illa vincant ſuâ patientiâ, orantes pro his, qui ſe, & virtutem perſequuntur, dicántque cum Apoſtolo: *Mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque*

judicium hominum.

Mundus Dei ſervos vexat præviis judiciis.

Io. 15. 9.

1. Cor. 4. 3.

me ipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.

Servi Dei, quomodo armandi contra judicia.

VII. Ubi notanda ſunt tria monita magni momenti. Primum, ut neque in bono, neque in malo pendeamus ab humano judicio; quod ut infirmum eſt, ita falsò, & absque ratione probat, improbat quidlibet, ac magis ex propria imaginatione vel affectu, quàm ex rei veritate. Ac proinde non eſt ſufficiens cauſſa aliquid agendi vel omittendi. Si enim hæc judicia ſequi velimus, non poterimus ſatisfacere omnibus: quia quilibet habet proprium judicium, diverſum ab aliis. Secundum, ut in rebus noſtris non fidamus etiam judicio noſtro. Sufficiat nobis bona intentio, & cum timore Dei, atque conſilio alicuius ſervi Dei, quando eſt opus, id ſequamur, quod videbitur melius, & majoris obſequii Dei, cui ſoli purè deſideramus placere, quantùm poterimus. Eſt autem tanta noſtra obligatio erga Deum, & noſtram ſalutem, tanta etiam imperfectio noſtræ miſerabilis naturæ, ut nemo debeat cogitare, ſe Deo placere ex toto, neque juſtificare ſe ipſum: id enim eſſet involare in officium Dei, & humilitatem amittere. Nec eſt levis tentatio, quâ quis cupit nôſſe, in quo ſtatu ſit animæ ſuæ. Deus, qui tantopere nos amat, non id nos celâſſet, ſi noviſſet expedire, ut hoc ſciamus. Noſtrum eſt, ut ſtudeamus ſatisfacere: ſciamus autem, nos nunquam facere, quantùm debemus: & quantò magis judicaverimus contra nos ipſos, tantò ſinceriùs & perfectiùs faciemus noſtrum officium. Tertium, ut, qui vult quietus vivere inter humana judicia, conjiciat oculos in Deum, qui videt omnia, ſéque humiliet, procurando ei ſemper placere. Cùm enim regamur ſummâ Sapientiâ videntis, & juſtâ lance ponderantis omnia, nihil apud eum perdemus; quia eſt Judex, qui bona, quæ videt, adjuvat & auget gratiâ ſuâ, ac ſupplet favore ſuo noſtras imperfectiones, excitat noſtrum languorem, & illuminat intellectum, ut videat ac fugiat mala: & quæ mala videt in nobis, impedit, corrigit, & miſericordiâ ſuâ condonat.

EXERCITIUM
Contra Siniſtra Iudicia.

I.

SApientiſſime Iudex, & æquiſſime Scrutator interiorum meorum, quem nihil latet, & cuius oculi ſemper aperti ſunt ſuper bonos & malos: tu vides cor meum, & quod in eo tibi diſplicet, tu ſcis: tu nôſti, quantùm tibi debeam, & quàm malè ſatisfaciam obligationi meæ in ſervitio tuo. Ubi me abſcondam à tuo judicio; *Si aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in inferuum ades:* in centro terræ oculis tuis patebo. Melius eſt mihi, videri ac cognoſci à te, quàm abſcondi, etiamſi poſſem: quia abſconditus retinerem mala; tu verò ſemper aſpicis me cum miſericordia. Et quamvis propter id, quod in me eſt, habeam rationem timendi te, & fugiendi; attamen quonam extra te fugiam, qui potes mihi mederi? Ergo Deus meus, & Judex meus, aſpice me piis tuis oculis. Vide, quomodo creſcant in me mala: vide laborem ac ſtudium, quo conantur hoſtes mei me ſeparare à te: vide debilitatem meam in reſiſtendo, malitiam in peccando, inopiam virtutis, & negligentiam in tuo obſequio. Judica me, Domine, ſecundùm juſtitiam & innocentiam meam, quæ oritur à meritis laborum tuorum, & ſecundùm amorem æternum, quem erga me habes, videns, quidquid eſt in me & contra me: & quòd ex mea parte habeam juſtam quodamodo cauſſam, quæ valet in tuo divino judicio, & quam dat mihi ſudor tuus, ſanguis tuus, dolores tui, & ærumnæ, quas exantlâſti in hoc mundo, ſimul cum innocentia tua, & ſuperſubſtantiali perfectione, quæ patrocinatur mihi apud te. Lege, Domine, in his legibus, quas tu mihi ſcripſiſti, ſententiam mihi congruam; & ſecundùm illas pronuncia. Aſpice, Domine, radicem totius mali, quod in corde meo plantatum eſt, & inclinationem ad omne peccatum, omníſque boni imperfectionem: exerce juſtitiam: totum expelle à me, & planta in meo corde, quidquid vis in eo creſcere & fructum afferre.

Iudicium Dei non-poſſumus evitare.

Pſal. 138. 8.

II. En, bone Jesu! cùm video cor meum malignum, timeo videri à te, & cogor dicere, ut avertas faciem tuam à peccatis meis: cùm

Ea proinde ſola timenda ſunt.

cùm autem video, quòd à te solo possit curari, timeo, ne id digneris aspicere, & cum eodem Propheta supplico, ut respicias illud cum misericordia, ac dico: Cor mundum crea in me, DEUS: quâ re omnia sana effeceris. Recordare, Domine, quod olim ad Noë di-
Gen. 8. 21. xisti, tanquam verus inspector cordium: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Unde nihil ab eo boni procedit, quo gloriari possimus, ut meritò pro omnis mali fonte id reputes. O Fons omnium bonorum, qui non minùs restaurare potes, quod corruptum est, quàm creare de novo; crea in me spiritum novum, qui restauret animæ meæ bona, quæ perdidi. Nisi enim tu id facias, quid in eam boni intrabit? Tu vixisti inter homines, & studuisti curare illorum vitia: exhibuisti te speculum omnis perfectionis: nihil omisisti, quod ad eos erudiendos & illuminandos spectaret; & tamen inveniisti eos tam perditos ac perversos, támque suffocatos virulentiâ malorum, oriundâ ex corde humano, ut non modò bona tua rejicerent, sed etiam veritates, quas docebas, reputarent pro talibus, quales erant ipsimet. O Fili DEI vivi! adoro hanc mansuetudinem ac patientiam, quâ tolerâsti tantam improbitatem cordis humani. Videor mihi quodammodo plus debere tibi, quòd volueris ita iniquè judicari, quàm quòd occidi. Quia ad occidendum potuit eos excæcare furor ac perturbatio, quâ inferrent tibi mortem, qualem optabas; sed nullâ diligentiâ & studio poterant invenire in tuis dictis & factis, quo decepti sic iudicarent, ac malè de te sentirent: nec erat, quo excæcarentur, nisi propria malitia vilissimi animi, & mendacia, quæ tu aversaris tantopere.

In actionibus Domini nihil culpari potuit.

III. Quæ bonitas est ista, quæ hoc tolerat! Ah mi JESU! mundus adhuc nescit judicare de te, nisi secundùm ea, quæ ipsemet agit. Nescit manducare cum suis, nisi inebriando se: ita non potest cogitare, quòd te fontem salutis divinæ demiseris ad manducandum cum peccatoribus, ut eos salvares. Ipse commercium habet cum diabolo, cui obedit vel servit; unde non potest cogitare de tua divina virtute, quòd, quæ ex tua bonitate præstas hominibus, facias sine auxilio satanæ. Quid videt in te, quòd talia de te sentiat? non audivit unquam verbum otiosum ex ore tuo: non vidit in modestia

modestia tua innocentissima ullam levitatem aut vanitatem: non reperit in tua doctrina quidquam, nisi divinum: non invenit in tuis miraculis ullam impostūram: nihil prorsus in te vidit, quod esset reprehensioni affine: nihil desiderâsti de rebus ipsius, nihil admisisti, neque procurâsti. Cur igitur adeò malè sentit de te, nisi quòd hanc injuriam voluisti ferre pro me? ô bone Iesu! Tua flagella, corona spinea, colaphi, crux tua, faciunt è latronibus cives cæli, & sanant peccata tuorum tortorum: sed iniqua judicia, quæ toleras, faciunt hos Judices magis incurabiles, & occludunt omnē aditum luci tuæ, & excludunt ab eis omnem misericordiam. Sis benedictus in æternum, qui tuo tanto dispendio voluisti me consolari, quando similia patior; & ostendere, quantum cavere debeam ab hoc perverso corde humano.

IV. Ah mi Domine, Redemptor animæ meæ, & Salus istius cordis infirmi! Ecce me hîc ante misericordiam tuam conquerentem, & lamentantem ex intimis visceribus in auribus tuis. Tu dicis, quòd omnis inclinatio mea semper tendat in malum: & corda filiorum Adæ mihi confirmant, hoc adeò verum esse, quòd semper desiderent malum, ut etiam bona tua, quæ incurrunt in oculos eorum, non possint aspicere, nisi ut mala. Ah Deus meus, ah bonitas infinita! ego jam non venio ad bonitatem tuam, quia non possum fugere me ipsum, nisi saner per ipsam, quæ sola vim habet superandi tantam malitiam. Sanè hodiéque sum talis; quod mihi prohibes, judico bonum; habeo pro vita, quod occidit; pro solatio, quod me sejungit à te; reputo legem tuam pro gravi, tuam conversationem pro tristi; dimittere peccata pro molesto; committere verò pro jucundo; occupari semper tecum, pro fastidio; consumere vitam, in vanitate pro refrigerio; tuas delicias pro nausea, corporales autem pro refocillatione. Et quod pejus est, etsi per tuam fidem credam contraria, sequor tamen judicium terrenum, quod semper deorsum me trahit. Quando, Deus meus me liberabis ab hoc? quid est in me, quod non semper crurat in malum? ipsa bona, quæ mihi largiris, judico tam malignè, ut, si ea modò mihi dedisses, non esses qui es: nam à misericordia tua fumo ansam judicandi, quòd me possim effundere in plura peccata: à

Malignitas cordis humani.

ta: à tua patientia, quòd emendationem securè possim differre: à tua pietate, quòd salvari possim, & placere tibi, vivendo ut libet cogito in corde meo, posse convenire tuum cibum divinum cum his meis abominationibus: censeo, tuam justitiam leni brachio perstricturam peccata mea, & sine emendatione condonaturum: omnia in me sunt inordinatus affectus, & perversum judicium. Extende, Domine, & ô mi bone Jesu! hanc bonitatem, qua me nunc toleras, ut me cures etiam, sicut est opus.

Non possumus judicari tam mali, quam Deus videt nos esse.

V. Bene vides, Domine, me esse tam infirmum, ut pro sano me habeam, & glorier qualicunque scintilla boni, ac virtutis, quam interdum mihi das habere vel concupiscere. Volo ab hominibus aliter æstimari, quàm sim; nec fero judicari sinistrè, cùm fieri non possit, ut pro tam malo ducant homines, quàm tu vides me esse. Sana, Domine, hæc ulcera mea tua virtute, fac ut levem oculos meos ad te, & illumina eos, ut videant in te, quod habeo in te; & in me, quod displicet tibi in me. Non sinas me ampliùs decipi in judicio rerum; sed fac, ut judicem de illis prout sunt; ac de me, prout revera promereor; de te verò Deus meus ita, ut æstimem, desiderem, & amplectar te, velut meum verum Dominum, judicem, Patrem, & omne bonum. Reforma, Domine, vires istius animæ; quandoquidem eas propter te creâsti: munda cor meum, quandoquidem vis, ut hoc tibi præcipuè præbeam. Abundet in me tua misericordia, faciendo ex hoc altissimo malorum pelago, domum & habitationem tui divini Spiritûs: & quia sum semper inclinatus ad venenum, quod me à te separat, occidit ac fugat à te; veni tu ad me, ac præsentia tua errores hujus creaturæ emenda.

Humana judicia curare superbia.

VI. Una ex præcipuis illusionibus, quæ oriuntur à superbia mea, est, quòd nimium curem humana de me judicia. Nam tu, Deus meus, optimè scis, quòd ea non ita sentirem, si non magni facerem ab aliis laudari, quæ facio. Quanta verò sit hæc vanitas, tu nôsti humillime Jesu; quantùm noceat mihi, tu intelligis. Quid mihi facere possunt hominum judicia? Ego in rei veritate sum talis, qualis judicor à te: laudibus illorum non fio melior, nec pejor eorum vituperiis; quando nullus eorum est ita perver-

perversus, ut tantum mali de me judicare possit, quantum nasci posset ex hoc miserbili corde. Et si omnes creaturæ convenirent ad me condemnandum de malis, quæ contra te facio, non possent ea justa lance pensare: quia fœdiora & magis abominanda sunt, quàm ipsæ possent perpendere. Quid igitur queror? O mi justissime Judex! ego queror, homines queri de me: in omnibus, quæ facio, cogito, quid judicaturi sint homines: omnia verba trutino, ut placeam illis: vellémque omnium affectus & judicia conjungere, ne ullus discrepet, aut sequiùs de meis rebus judicet. O misera vanitas! quantum orationis adimit mihi? quomodo occupat meum cerebrum? quomodo contristat? quot cogitationibus implet, tibi Deus, non gratis? quantò maior autem vanitas est illa, quòd mihi complaceo, cùm illis videor bene feciſſe; cùm audio, mea conversatione esse contentos; cùm desidero nôsse, quid de me sentiant, non ut emendem aliquod erratum; sed tantùm, ut satisfaciam mihimet ipsi? O quàm purus est ille Spiritus, qui negligit hæc omnia, nec vult aliquid eorum audire.

VII. O piissime Curator animæ! rape ad te omnem meum sensum, cogitationem & intentionem: miserere cordis mei tam dissipati. Satisfacere tibi, Deus, animæ meæ, grave non est; quia facilè acquiescis, & bonitatem tuam accommodas ei, quod possum ac scio. In his, quæ meam salutem concernunt, manifestâsti mihi voluntatem tuam, ne errem: in aliis, quæ tanti non sunt, ut sit opus certos esse de tua voluntate, contentus es bona intentione, ac bono desiderio, quamvis tuæ voluntati non ad unguem conveniat. Cùm labi me vides, sustines & adjuvas ad resurgendum: neque unquam coram te sum tam malus, quin pietas tua inveniat rationem mihi favendi. Tecum, Deus meus, semper bene procedo; sed hominibus, qui parùm intelligunt, & judicant ex affectu ac diversissima inclinatione, quomodo possum satisfacere? sine consideratione approbant, improbant quidlibet. Unus vult me pati, quod alter vult me ulcisci: unus habet me pro humili, alter pro simulatore: unus pro homine nauci, alius pro circumspecto: & sic omnia temerè judicant absque fundamento. Si verò etiam satisfacerem eis, quid facerem lucri? quid prodesset hoc animæ meæ?

Deo facile est satisfacere.

VIII.

VIII. O mi Creator ac divine Magister, infinitas tibi gratias ago pro amore, quo me voluisti solutum omnibus istis curis, omnes meas cogitationes & obligationes conferre in hoc unum, ut te amem, tibique serviam toto corde. Si obligarer ad non offendendum quemquam, sed satisfaciendum omnibus, fuisset impossibile facere tuam voluntatem, & non peccare in homines. Uni ergo tecum has dispersiones Israëlis: aufer ab isto corde æstimationem judicorum hominum, sive bona, sive mala sint; ne ulla res extra te illud attrahat sibi. Non sinas me velle satisfacere mundo, cui tu nunquam satisfeci sti; neque audire judicia ejus, qui nunquam judicavit bene de te. Tibi soli cupio satisfacere; tibi offero omnia interiora & exteriora mea. Viva semper sit in corde meo divina tua præsentia; eleva semper ad te spiritum meum; ut avulsus ab omni eo, quod non potest implere me tuo amore, vivam semper in, te de te loquar, de te cogitem, ad te aspirem, in te quiescat cor meum, ô mi bone Jesu, mi Judex æquissime, mi amice piissime, mi suavissime Redemptor & Salvator!

O Mater Dei, plena gratiâ, & Domino, qui semper est tecum, quàm magna ac dives fuisti in oculis Dei Domini nostri, & quàm ignota mundo! Per illa vincula puri amoris, quibus unita fuisti semper Deo, Domino, Sponso, Filio ac divino thesauro tuo, impetra mihi, ut sibi cor meum simplici & sancta intentione ac puro amore in omnibus rebus adstringat, ne unquam ab ulla creatura trahatur. Curia cælestis, gratissimà Domino, ac Iudici divino, sed mundo non cognita neque accepta; conjicite inter hæc vestra bona cogitationem in me pauperem, ut occupatus vobiscum, non possim perverti rebus vitæ istius. Amen.

ÆRVMNA XXI.

Murmurationes.

I.

Murmuratio proles mali judicii.

Malis judiciis plerumque murmurationes nascuntur: quas quàm grave sit pati, ex eo cognoscitur, quòd alias hujus vitæ molestias mitiget assuetudo; hæc autem quò diuturnior, eò intolerabilior fiat. Est murmuratio Carnifex & Lictor mali judicii; quia

quia cor malignum nemini nocet, nisi malum judicium linguæ demandetur; hæc postea facit officium nocendi, non modò promendo, quod erat occultum; sed etiam colorando, ut jure factum appareat. Et sicut omnes ferè homines, plùs minúsve, tacti sunt hoc vitio; ita nulla etiam persona, nulla res est, quæ obmurmurationem effugiat: nec est quod cogitet quisquam, se inter homines degendo, fore ab hoc malo immunem; quando ipsum D. N. Jesum Christum, neque sanctitas Personæ, neque innocentia vitæ ab eo defendit. Quod quidem ipse pari patientiâ pertulit, quâ alia omnia. In viis & plateis, in domibus & officinis, in synagogis & consiliis Judæorum, inter Doctores ac Principes eorum tantæ, tam fœdæ fuerunt murmurationes de Christo, quantas & quales nullus unquam Justorum est passus. Nullus tunc erat hominum cœtus sive in aprico sive in umbra; sive in mensa, sive in itinere, ubi non murmuraretur de Christo, & eum sequentibus. Si quis eum defenderet, acuebantur hoc ipso linguæ aliorum: & ut malitia, cui contradicitur, magis accenditur; ita linguæ murmurantium indigniora dicebant: si quis voluisset eum defendere, dicebant, peccatorem non posse miracula facere; illum non posse non esse peccatorem, qui non observaret Sabbathum. Sacerdotes dicebant, nullum Principum eum sequi, sed vulgus tantùm, & quòd ageret tantùm cum plebe & fœce hominum. Doctores murmurabant, quòd se diceret esse Filium Dei; Pharisæi, qui se pro sanctis gerebant, vocârunt impostorem, & rem habentem cum Diabolo; omnem ejus conversationem cum peccatoribus reprehendebant; consumebant etiam tempus in traducendis ejus discipulis, quòd essent ferè piscatores: deridebant aliquos, qui eum sequebantur: & varia eis nomina imponebant, diversis rebus eos conferendo, & aliis modis illudendo, ut assolet mundus: quæ omnia redundabant in opprobrium Domini. Atque omnis hæc murmuratio & obtrectatio fundabatur in malitia cum mixtura variarum falsitatum, communiter murmurationibus consuetarum adjungi: ut adeò pro illarum tolerantia, & quòd se propter novaculas maledicorum non sit passus à prosequenda Redemptione nostra averti, tantùm ei simus obstricti, quantùm pro ipsomet opere Redem-

ptionis. Quia non debemus ei minus pro modo, & pro qualibet circumstantia exhibitæ nobis gratiæ, quàm pro ipsa gratia.

II. Et verò hoc genus molestiæ tantam vim habet ad frangendam voluntatem, & animum benefaciendi murmurantibus, & ut desistatur à bono cœpto; ut, quamvis Deus non omiserit implere promissionem factam Abrahæ, nullum tamen ex tota multitudine eorum, quos eduxerat ex Ægypto, in terram promissam introduxerit, propter murmurationes eorum, duobus exceptis. At posteaquam factus est homo, patienter sustinuit murmurationes quascunque, nec desiit illis benefacere: voluítque suos Apostolos idem facere in procuranda salute hominum: unde etiam eos monuit, ne curarent obmurmurationes; quia si patrem familias Beelzebub vocârunt, quantò magis domesticos ejus? Neque levis est hæc consolatio servorum Dei, quòd faciendo bona opera patiantur oblocutiones, atque ita verè fiant domestici Dei, qui similia passus est. Ut autem conservent hoc privilegium, & eximium honorem, debent eum in hoc imitari, ut murmurationes tolerent cum patientia. Nam cùm hic mundus sit locus ærumnarum & pœnarum, nemo est qui non debeat pati, ut alia, sic & murmura; quæ non est minima ærumnarum: sed patientia distinguit servos Dei ab aliis: namque hi non patiuntur, nisi inviti, coacti, vel patientia quadam impatiente & rabiosa, quâ nonnunquam plus merentur pœnarum, quàm illis peccatis, propter quæ patiuntur: sed illi, servi Dei, molestias, quas promeriti sunt, accipiunt cum humilitate, ut expient sua peccata; quas autem non sunt meriti, ferunt cum gaudio, quòd digni sint fieri similes Domino suo, qui non minùs obtulit sua bona his, qui nolebant recipere, quàm his, qui cum gratiarum actione susceperunt, ac laudibus Dei.

Serverum Dei solatium in murmurationibus.

III. Estque hoc perfectissimum artificium confundendi linguas obtrectantium, constanter illos instruere in virtute cum patientia, lenitate, ac beneficiis. Nec ulla re tempus inutiliùs consumitur, quàm studendo satisfacere linguis malignorum. Quia ut murmurans non curat rationem ejus, quod dicit, sed tantùm ne desit, quod dicat; ita eò magis accenditur ad dicendum, quò

Non conatu satisfaciendi linguæ opprimuntur.

plures

plures rationes afferri contra se videt: & qui priùs murmurabat solùm contra tuas actiones, postea etiam rationes, ad earum defensionem allatas, impugnat tam argutè, ut jam etiam intentiones tuas condemnet; & quidquid attuleris, ei serviat pro materia ignem obtrectationis augendi. Sed silentium, patientia, lenitas, mansuetudo, perseverantia in bono, religiosa dissimulatio, quasi non audiveris, sunt armatura fortissima contra murmurationes: nam si hæc oriatur ex malitia, satis punitur propria rabie, & quòd non possit satiari, te non contrà pugnante: si verò ex ignorantia vel mala consuetudine oriatur, magis impeditur silentio tuo, ac citiùs desinit. Unica ratio est curandi, quid de nobis alii dicant, ne scilicet justam eis murmurandi causam demus; non autem, ut actiones nostras dirigamus eorum sermonibus. Si enim non tantùm bona intentione, sed etiam eo modo, quo Deus præscribit, actiones nostras instituerimus, nullam ampliùs causam habemus attendendi, quid dicant. Imò experientia docet, in vita virtuosa nullam esse pestem magis pernicioſam, quàm si attendatur, quid homines dicturi sint: qui enim se huic legi subjiciunt, ii cessant facere, quod debent. Pauci enim sunt spiritûs adeò robusti, ut faciant quod debent, si displiceat amico, majori aut æquali, aut etiam populo, quantumvis erranti: & plùs valet ad prosternendam nostram imbecillitatem timor vel uni displicendi, qui dicere potest, quidquid etiam contra omnem rationem venerit in mentem, quàm valeat omnis obligatio virtutis ad resistendum ei, quod dicturus est. Unde Christus præmonuit, non fore, ut sui domestici sint immunes ab oblocutionibus, neque eos sibi placituros, nisi obturatis auribus agant, quod debent, sicut ipsemet egit. Non ergo servi Dei se multùm fatigent injustis de se oblocutionibus: licet enim has vincat virtus cum perseverantia, nunquam tamen omnino linguas domabit.

sed silentio, & perseverantia in bono.

Timor, vel uni displicendi sternit minùs robustos.

IV. Ideo Dominus in persona Davidis dixit: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, & audivit me: Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Ubi gratias agit Patri de liberatione à murmuratoribus; non tamen, quòd ora eorum penitùs obstruxerit. Hoc enim reservatur extremo judicio, ubi plena

Psal. 119.

demum de illis erit victoria, cùm viderint eos, quibus obtrectaverunt, in tanta gloria: dicent enim: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, &c.* Credant ergo servi Dei, pessimè collocari tempus, quod expenditur in satisfaciendo murmurationibus: & quia tempus vitæ est tam breve, melius esse servare patientiam, & imitari Christum, omnia alia dimittendo. Neque tamen per hoc tollitur obligatio, in certis casibus, publicè, vel privatim pro salute aliquorum, vel pro honore Ecclesiæ, aut gloria & servitio Dei, reddendi rationem rerum suarum: modò id fiat suaviter & mansuetè, cum ea moderatione, quæ obligationi sufficiat, non laxando linguæ habenas, ne judicemur ipsi murmurare contra maledicos. Aliàs enim ex una parte justificabimur, ex altera condemnabimur eodem crimine. Et quia in propria causa plerumque excedimus, oportet in hac re quærere, & sequi consilium alicujus servi Dei. Maximè verò cavendum est, ne nimiùm queramur de obtrectatoribus, & exaggeremus, quàm exiguâ ratione id fecerint. Quia enim hoc videtur fundatum in justitia & ratione, cedit in majus damnum animæ. Nam qui nimiùm queritur, perdit puritatem patientiæ, incidit in periculum præsumptionis, imminuit fidem proximi, truncat perfectionem amoris ipsi debiti, arrogat sibi partem ejus, quod solius est Dei: & si post ejusmodi lamenta seipsam recolligat, inveniet plerumque plura emendanda in se, quàm in linguis obtrectatorum. Multa bona perduntur nimiâ lamentatione, multæ imperfectiones includuntur in ea; quas deprehendet, qui peculiarem habuerit curam proficiendi in spiritu. Consultissimum est, tempus conquerendi cum Deo insumere, qui videt omnia; & meminisse, quantum & quàm occultum thesaurum bonorum spiritualium comparet sibi, qui suffert ac tacet, gaudétque in secreto placere æterno patrifamilias; quæ non capiunt maledici, qui non sunt ex ejus familia.

Sap. 5. 3.

Quando & quomodo sit respondendum obtrectatoribus.

Murmuratio malum quasi incurabile.

V. Habet murmuratio eam proprietatem, propter quam de illa curare non debet, qui velit esse quietus. Est autem illa, quòd sit morbus ferè incurabilis: quia major pars obloquentium id per otium facit, fallendi temporis causâ, vel per malitiam: & sicut ea, quæ fiunt recreationis causâ, frenúmque rationis non habent, libentiùs

bentiùs faciunt plerique, & sectantur liberiùs; ita non admittunt remedium, quantumvis molestiora sint aliis. Unde si quis oblocutionibus affligi se sinat, vel se opponat, oblocutores majore cum delectatione pergunt obloqui, tantóque magis incitantur, quantò ægriùs ferri se vident, si per ludum id faciant: si verò per malitiam, gaudent se id obtinuisse, quod volunt, nimirum, ut tibi sit malè. Rectiùs igitur veteres consulunt, obtrectationibus utendum pro admonitione, vel speculo nostrorum defectuum: nam quod amicus in bonam partem interpretatur ex amore, vel dissimulat ex respectu, vel ex incuria non animadvertit, hoc obtrectator liberè dicit: ex quo discimus, quid emendandum nobis, aut saltem cavendum sit. Denique semper prævalet virtus, vitium autem proprio judicio & linguâ murmuratoris damnatur. Ex his patet, magnâ ratione S. Bernardum lib. de consid. dixisse, virtutem fore otiosam & inertem, si non essent, à quibus exerceretur; tales autem sunt homines otiosi, murmuratores, malitiosi: hos enim sufferendo, & beneficiis ornando, fit pulchrior & perfectior. Nescio verò, an non de eodem Sancto conqueri possim, cùm addit: recreationem Monachorum esse murmurationem. Graviter utique senserit hic Sanctus hoc genus recreationis, quòd à sua virtute non potuerit obtinere, ut hoc non scriberet. Utinam autem faciamus, quotquot Religiosi vocamur, ut hoc verum non sit: ac recordemur, quod scribit Apostolus: *Si quis putat se Religiosum esse, non refrenans linguam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.*

potest tu-men curari.

Iacob. 1. 26.

EXERCITIUM
Contra linguas obtrectatorum.

I.

O Bonitas infinita, Deus animæ meæ, bone Jesu, Dominus & felicitas mea! ego te adoro, & ago infinitas gratias, quòd tot viis, tantisque tuis impensis eximas mihi amorem omnium rerum terrenarum, & offeras mihi cor tuum, ut teipso satisfacias desideriis meis. Si haberem oculos apertos, quomodo possem adhærere terræ, & genti, in qua tanta est improbitas, ut audeat os aperire contra te, summum bonum meum? & quomodo possem non laudare

dare te? cur dego in hac vita? Duc me, Dómine, ubi semper te laudem & adorem. Duc me ad societatem purissimorum Spiritum cælestium, qui te vident, æstimant, amant, adorant, & occupantur semper in tuis laudibus. Donec autem differs hanc gratiam, da mihi intimum contemptum laudis & favoris humani, & omnium linguarum, quæ nesciunt te honorare & laudare prout oportet. Si omnes nervi, venæ & ossa hominum verterentur in linguas, & omnis amor cælestis jungeretur cum illis, ad extollenda, quæ pro nobis fecisti; quid esset hoc totum respectu ejus, quod tu es, & amoris, quem erga nos habes? & tamen nec unica lingua, quam cuique dedisti, occupatur in tuo servitio.

Omnia in Jesu laude dignissima.

O amor animæ meæ! quid est in te, quod laudari non possit ac debeat? an quòd comedas cum peccatoribus, quòd non observes Sabbathum, quòd socieris pauperibus & plebeis, dimittendo superbos ac divites, quòd sis dæmonis mancipium, & Samaritanus? quòd nihil boni feceris hominibus, nihil in te boni inveniatur, non sis memor in tuis actionibus tuæ Divinæ virtutis? an non videbant misericordiam & mansuetudinem tuam? tam cæci sunt, ut nihil in te possint videre, quàm sua vitia. Quomodo ergo, Deus meus, ego volo, ut mundus videat in me, quod non videt in te, & dicat de me, quòd non potuit dicere de te? Amor animæ meæ! quia mors & vita est in manu linguæ, & hi non inveniunt in te, qui es vita, nisi mortem; aperi tu labia mea, & os meum annunciabit laudem tuam. Toto corde laudabo magnitudinem tuam, & gratias agam pro bonis, quæ mundus non potuit in te cognoscere, & quoad vivam, laudabo te, qui es vita mea æterna, & adorabo te; quia propter eadem bona, quæ faciebas eis, contra te murmuraverunt.

Agere cum peccatoribus, ingredi domos languentium,

II. Adoro te, mi bone Jesu! pro misericordia, quâ manducâsti cum peccatoribus, & illos tibi adjunxisti. Quid mefactum esset, si ageres tantùm cum justis? quam spem veniæ haberem, si te vidissem tantùm cum Sanctis & innocentibus? quid fieret vulneribus & infirmitatibus meis, ô salus mea! si non intrâsses in domos infirmorum, & perditarum animarum? Ah mi Deus! dicant Pharisæi, quod volent; tu es salus mea, misericordia mea, refugium meum; & tibi non minùs conveniunt triclinia pecca-

peccatorum, quàm mensæ Angelorum: quia apud nos ardet amor tuus in duriore materia; & quia difficiliùs comburitur, magis exerit in ea vim suam. Ergo, Domine, ingredere in cor istud, & veni, manduca mecum; quia bene scis, quid tibi possim apponere; sufferenda erit immunditia domûs istius, omnia in ea frigida, tepida, amor congelatus, nec fixus: desideria insipida, sine sale spiritûs: opera prorsus corrupta & marcida, & talia, ut non possint aspici; & alia omnia erunt, qualia tu jam vides. Nihilominus, Deus ac Domine animæ meæ! te excusare non potes, ne manduces mecum, quando hoc desidero: quia omnia facies ad tuum modum; nam omnia bona venient tecum. Recordare, quòd, etsi dixeris te venturum, & cœnaturum cum his, qui amaverint & observârint doctrinam tuam; tamen tantam curam susceperis peccatorum, ut ires ad manducandum cum eis, quamvis te non amarent, neque cognoscerent: accedis enim justos, quia te amant; peccatores verò, ut & ipsi te ament. Ergo Deus meus, resuscita hunc spiritum, reple me tuo amore; & reforma, quidquid in me invenis. Si murmurent Pharisæi, adorabunt te Angeli, & ego in æternum laudabo te.

III. Adoro te, DEUS cordis mei! quia noluisti aliam quietem habere die Sabbati, quàm in benefaciendo hominibus. Divinus amor tuus, qui nunquam otiatur, cùm sex diebus Mundum condidisset, septimo requievit: voluistíne tu, Deus amoris, forsan otiari in Sabbato? O amor animæ meæ! quia Pharisæi te non intelligunt, ideo de hoc beneficio tuo murmurant. Tuum festum est, quiescere in anima mea; ideo noluisti me alia re occupari, quàm tecum. Sed dic mihi, Domine, voluistíne me festa servare, ut operer tecum, an ut tu solus opereris in me? Dicat mundus, quod vult; ego agnosco, & adoro hunc amorem æternum, quo vis omnia in bonum meum: adoro desiderium, quo vis in me solus quiescere: adoro gustum, quo fecisti omnia propter me: adoro amabilem voluntatem, qua dixisti te esse Dominum Sabbati, ut in eo mihi benefacias; sicut aliorum dierum, quibus creâsti omnia; non impediant mea peccata, quò minus habeas delectationem in me. Adoro te, mi Samaritane, & victor dæmonum!

sanare ægros in Sabbato,

Nescie-

Nesciebant illi, quid dicerent, quia omnia malo corde dicebant, sed ego tibi infinitas gratias ago, quòd me hanc veritatem docueris. Tu, mi bone Jesu! te in figura peccatoris, Samaritanum fecisti, Mundo incognitum; sed obeundo terram, inveniſti misere vulneratos à diabolo, & semimortuos absque remedio: misericordiâ motus nos sustuliſti in humeros, alligâsti & curâsti vulnera nostra, ostendens te verè esse nostrum proximum, & nostrum amicum. O Divine amor! ostende mihi cor istud: quantùm lætabaris, cùm te per contemptum Samaritanum vocarent, recordatus amoris, quo voluisti Samaritanus esse pro nobis? ex una parte multùm accendebatur, quòd illi maledici non agnoscerent istam gratiam; ex altera flagrabas desiderio, ut se omnes curari permitterent. Non voluisti, ut amor proximi ullum te propinquiorem haberet, in quo se exsereret. O mi proxime! observemus hoc mandatum, quod nobis dedisti: fac mihi hoc, quod vis, ut faciam tibi. Dilige me, demonstra in me magnitudinem tui amoris; esto semper mecum; pone in me oculos tuos; quia abilis provenire debet mihi virtus, lumen & robur ad id, quod à me petis.

esse Samaritanum,

divertisse ad Zachaü

IV. Adoro, & laudibus infinitis extollo te, mi bone Jesu! propter magnam misericordiam tuam, quam exhibuisti peccatoribus, dum præteritis multis domibus Principum, Doctorum, Sacerdotum, & aliorum divitum ac potentium, pluris fecisti desideria peccatoris Zachæi, qui desiderabat, videre te & excipere domi suæ; etsi bene scires, contra hoc murmuraturos. Quid est hoc, Domine! tantine sunt ante oculos tuos, támque infixa memoriæ tuæ desideria peccatorum, etiam imperfecta? O Jesu mi bone! & quis major est me peccator? ego te desidero, salus mea; desidero te, summum bonum meum; desidero te, misericordia mea; desidero te, divitiæ meæ; desidero te, amice meus, redemptor meus, pater meus, thesaurus meus, & omnis gloria ac beatitudo mea, desidero te videre. Sed pusillus sum, nec possum videre te; scio tamen, quòd tu me videas, & me intelligas; neque spectes, an perfectum sit desiderium meum, dummodo verum sit. Tu, veritas æterna, fac ut hoc defectuosum cor meum te verè des-

rè desideret. Aspice me, Domine, cum misericordia, sicut aspexisti Zachæum, & Matthæum. Veni mecum, & fac, ut excipiam te cum amore & gaudio; affer salutem huic domui; morare in illa, omissis illis, qui te non volunt; veni, & apud me permane.

V. Ego te adoro, propter omnem gratiam à te mundo collatam, & ab eo non agnitam; propter omnia, de quibus contra te murmuraverunt, ego te laudo; pro omnibus rebus infinitas tibi gratias ago; magis autem pro eo, quòd volueris pro me sufferre hanc tam gravem molestiam improbarum linguarum. Speciatim verò te adoro, & laudo pro ista gratia, quâ voluisti me esse de tua familia, & in ea me à linguis malis defendere. Ah Domine! da mihi cognoscere hanc beatam veritatem, quam prodidit sanctus tuus Propheta, cùm dixit de te: *Abscondes servos tuos in abscondito faciei tuæ: proteges eos à contradictione linguarum.* O bonum latibulum! O absconditum Divini vultûs tui! quando recipies in te cor meum, ut non curem, quid de me homines dicant? dicunt illi, quod nec vident, nec sciunt: sed qui est in illo abscondito faciei tuæ, quid non scit? gaudet refrigerio tuæ aquæ, vivit pane tuo Divino, delectatur conversatione tuâ secretâ, & thesauris, qui sunt absconditi ab oculis mundi. Ah Domine! cur sentio, quod homines dicunt, nisi quia adhuc amo id, quod eos dicere vellem; neque delector eo, quod est in te absconditum? si vivam de te, quid interest mea, si dicant me inopem esse, & mori fame? si sim captus amore tui, quid refert, si dicant me esse ignavum, ac totum occupari tui amore? utinam habear inops mentis & judicii, dum te diligam! utinam fiam prorsus inutilis mundo, dum totus à te possidear! utinam dicant homines, quidquid lubet, dum ego te audiam! optime Jesu! Murmurent illi, gaudeam ego: querulentur illi, & ego te non amittam: dicant illi mala de me, & ego placeam tibi. Quid per hoc amittam ego? mi Jesu! imò, quid faciam lucri? amor Divine! O cælum! disrumpere, & sine me videre hunc meum Dominum, hoc meum bonum! sed ô bone Jesu! quid dico? Cælum hoc surdum est, neque me intelligit. Tuum hoc suave cor est meum cælum vivum: hoc habet

Tutum refugium contra maledicos.

Ps. 30. 21.

Cor Domini Jesu.

oculos, & videt; habet aures, & audit: habet voluntatem, & amat; sapientiam, & intelligit; pulchritudinem, & recreat: lucem, & illuminat, locum per omnia delectabilem. O meum cælum vivum! tu me vides, & me intelligis: aperi te mihi, & sine me videre, quod intra te fit. Recipe me, suave meum cælum, & include me in te; & postea quicquid volunt, dicant contra me. Ah cælum Divinum! cælum amabile! ex natura tua durum non es erga peccatores; ne durus sis erga me. Si ego sum siccus & aridus, demitte in me pluviam aquæ Divinæ: si ego sum cæcus, mitte mihi lucem tuam; si peccatis onustus, da mihi vocem tuæ misericordiæ, ut fiam dignus intrare in te. Ego scio, quòd me tu desideres; & tu scis, quòd ego desiderem te. Aperire mihi, aperire, & recipe me. Ego te debeo amare & laudare: tu me debes possidere, & ego possideri à te. Fugiam à me, & vivam in te. Ah Divine amor! qui facis, ut desiderem te, novisti me, & novisti te; fac in me, quod tu vis; & postea require à me, quidquid volueris.

VI. O Divine Paterfamilias! qui dignatus es dici Beelzebub, pro solatio omnium, qui sunt è tua familia; ac tantam rationem habuisti eorum, quæ ego eram passurus, ut ipse prior eadem, & longè plura pati velles; doce me magnificare, quòd possim similis evadere domesticis tuis. Mundus censet valde congruere, ut servus magni æstimet suum Dominum; pro illo labores, injurias, pericula, mortem subeat: quantò pluris æstimare debeo ego, si possim te sequi? Non dedisses te mihi pro magistro & speculo, si non vidisses, quid ferat mea infirmitas. Memento ergo mei, & exime cordi meo sensum, quem efficiunt in eo linguæ hominum. Tu scis, quòd mihi nihil crearent molestiæ, si cor meum non cuperet eis placere. Quando erit, mi Domine! ut, quod cupio ex toto corde, etiam servi tui minùs bene de me sentiant, ut tibi soli velim placere? è domo tua recipio omnia bona corporis & animæ, & spero quoque cælestia: quid ergo magni sit, sufferre malam linguam pro te? quid magni sit, si complaceo tibi, mundo non placeam? O Jesu! imperfectum cordis mei, quo sentit ac timet hominum dicta, tu scis. Miserere mei, & doce me agnoscere hanc veritatem. Juva me, ne dem justam causam, murmurandi de me,

Murmuret mundus, dum Iesum sequamur, amemus.

ac te

ac te offendendi: sed purè cupiam tibi placere, neque movear hominum dictis: neque tempus in mei apud eos justificatione consumam; sed tota vita mea, tempúsque impendatur studio tibi placendi, & omnia sufferendi tuo amore.

VII. O Magister æternæ veritatis! tu jussisti nos orare pro calumniantibus nos: non jussisses, nisi velles exaudire. Rogo ergo, ut parcas omnibus, qui malè loquuntur de me. Tu scis, eos non tantum mali dicere, quantum est in me; neque tantam esse malitiam dicentium plus, quàm sit in me, quanta est bonitas tua, in me tolerantis ea, quæ non dicunt. Tu Domine, mederi potes omnibus, & mihi, ut emender; & illis, ut desinant obtrectare. Fac, Domine, ne meâ causâ pereat quisquam, à te tam carò redemptus. Da illis nôsse puritatem tui amoris, ut eum desiderent: divitias tui spiritûs, ut eum petant: dulcedinem tuæ conversationis, ut eam requirant: bona, quæ tuis largiris, ut occupentur tecum, & me dimittant, non meâ causâ, sed sui spiritualis profectûs. Converte linguas eorum in tuas laudes, ut honoreris per eas, non offendaris. Da illis charitatem, ut me adjuvent emendando, quod in me desiderant; & uni me illis amore sincero, ut lauderis in omnibus. Mater Dei! impetra mihi locum inter domesticos Filii tui, & omnibus, qui de me non bene loquuntur. O cives cælestes, impetrare nobis, ut lingua nostra semper eum laudet, in cujus laudibus vos toti occupati estis in secula, Amen. *Oratio pro maledicis.*

ÆRVMNA XXII.

De Contradictione Doctrinæ, & Actionum CHRISTI.

I.

ORdinariè peccatum, quod in consuetudinem venit, secum trahit alia multa, etiam se graviora, quibus aperit viam. Nam ut S. Gregorius ait, culpa, quam non diluit pœnitentia, suo pondere trahit alias multas post se: quod experitur, quisquis attendit ad res suas, si non refrenet inclinationem ad aliquod malum, per eam subintrare alia, quæ multùm possint ei nocere. Quare tentator diabolus id inter alia præcipuè studet, ut ejus in- *Consuetudo etiam levium periculosa. Et hanc Damon*

curat præcipuè,

clinationis emendationem impediat: quod cùm obtinuit, parùm curat impedire alia bona, quæ talis facere potest; securus, dum hæc sibi porta patet, non defuturam occasionem, nec tempus, homini plus nocendi. Hinc etiam non refert, levia sint, an gravia, modò consueta sint: nam etsi rarò graves lapsus contingant, æquè periculosi sunt leves, cùm negliguntur. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet*, inquit Sapiens. Sanè apud Religiosos, qui profitentur majorem curam animæ suæ, passim clarissima sunt experimenta istius. Nèque enim subitò prolabuntur in dissolutionem per graves defectus, sed per leves relaxationes: nec apud omnes, sed apud paucos quosdam; quos imitantur sensim alii, ac denique omnes. Ita, qui oblivisciturfervoris, quo cœpit, incipit nugari; postea vagari & effundi; tum descendit ad murmurationem, hinc ad impatientiam, deinde ad inobedientiam, denique ad fastidium disciplinæ. Alius otio, alius per desideria rerum exiguarum, alius visitando amicos, & discurrendo per domos, amittit recollectionem internam; alii ex rebus per se planè levibus, dum Superiores tantùm attenduntad magna, velut è tenuissimis liciis, deveninnt in funes crassissimos, neque securi, neque igne solvendos. Ita major pars malorum nascitur ex mala inclinatione, quâ peccatur, dum ab initio non occurritur; sic ex consuetudine murmurandi, quod solùm temporis fallendi causâ fieri videtur, quanta non mala proveniunt? Nam illam comitantur mendacia, quibus res minuuntur, augentur: judicia temeraria, malignæ interpretationes, infamationes, maledicentia, falsa testimonia, non sine cholera, rabie, indignatione, contemptu, irrisione; & obligatio restituendi famam, quæ tamen nunquam ferè impletur: ac demum ex usu murmurandi contra omnia, fit ut malum dicatur bonum esse, & reprobetur, quod erat virtutis, studio contradicendi, auctoritatem alterius imminuendi, & quàm pessimè illi faciendi.

Eccl. 19. 1.

quia levis inclinatio sensim ducit in gravissima.

Quantas contradictiones Jesus sit passus.

II. Hujus rei clara demonstratio est in malis horribilibus, in quæ devenerunt linguæ, quæ murmurabant de Christo, posteaquam cœperunt contradicere toti doctrinæ, & omnibus ejus operibus, ut quò clarior & notior erat ejus doctrina, eò magis eam conarentur obscurare; & quò magis admiranda opera, eò magis acueren-

acuerentur ad obloquendum. Per hanc januam murmurationis, quia non tenebatur clausa, irruerunt plurima, gravissimáque peccata, quæ commiserunt in illum: ac præter damna, quæ fecerunt sibimet ipsis, Christum Dominum nostrum afflixerunt gravissimè; quia tangebant id, quod maximè sentiebat sua Majestas. Retrahebantur enim animæ debiles, ne reciperent gratiam, quam eis parabat: scandalizabantur cordati, animabantur malitiosi, avertebantur, qui erant modicæ fidei: indurabantur contradictores, impediebatur lumen, quo poterant imbui; ac Domino creabatur magnum fastidium, quòd perderet tempus, quod in eorum bonum expendere decreverat; cùm totum in illis refutandis, & avertendis majoribus damnis videbat consumi. Quando illis dabat spem obtinendi veniam peccatorum, eámque utpote tanti momenti, confirmabat miraculis, arguebant eum blasphemiæ. Cùm demonstraret, se esse filium Dei, arguebant eum falsi, quòd solus hoc sibi testimonium daret, opera Divina, quibus id confirmabat, eludendo; ut adimerent ei fidem apud homines, interrogabant eum, quanam auctoritate prædicet, ac patret miracula. Cùm suam doctrinam stabiliret miraculis, submovebant homines è Synagogis, prætextu Sabbathi. Sæpe consultabant, quomodo impediri possent ejus opera Divina, prætextu boni publici; ne Romani putarent, eum seditiones moliri. Si quis ex occultis discipulis ejus, aliquid in ejus defensionem diceret, mox opprimebatur clamoribus, rixis, & contumeliis. Videntes veritati se prævalere non posse, dicebant in Concilio: *Videtis, quia nihil proficimus?* ex quo patet, longè majorem fuisse interiorem malitiam eorum, & studium contradicendi illi, quàm possent foris exprimere. Atque hæc omnia bene videbat Christus sapientiâ suâ. *Ioan. 12. 19*

III. Cùm in die Palmarum populus & pueri sequerentur eum, laudantes Deum, illi rabie pleni culpabant eum, quòd illos non juberet tacere. Cùm populus admiratus ejus opera Divina Deum laudaret, ipsi palàm se opponebant, ut illa obscurarent. Multas ei quæstiones proposuerunt, audiente populo, ut eum confunderent; sed cùm ad ejus Divina responsa cogerentur obmutescere, versi sunt ad consilia, quo modo possent eum evertere.

In his contradictionibus exacti sunt tres anni, quibus prædicavit, donec videntes frustra se esse, jusserunt eum capi. Sed cùm ministri ad hoc missi, præ admiratione doctrinæ ejus, id non feciſſent, sub gravi pœna prohibuerunt, ne quis eum sequeretur: cúmque, ut non desunt, qui gratiam aucupentur majorum, referrentur illis nova miracula, rigidè examinârunt eos, qui fuerunt sanati, ut ansam aliquam invenirent, eum damnandi, sicut fecerunt Paralytico sanato ad piscinam, & ei, qui natus fuerat cæcus: à quo, cùm potenter essent refutati & confusi, ut non possent respondere, cum contumelia ejecerunt illum è Synagoga. Quin & Lazarum à morte resuscitatum cogitaverunt occidere: quòd multi propter id miraculum crederent in Dominum. Creabant hæc Divino agnello tantum fastidium, ut jam per Isaiam diu antè graviter de hoc fuerit questus, & postea per Apostolum: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Unde etiam aliquoties cedens eorum malitiæ abivit ex Judæa, vel se ad tempus abscondit; identidem revertendo, si fortè rediissent ad mentem saniorem. Cùm abiret, præcipiebant, ut quisquis nôsset ubi sit, eum deferret: cùm rediret, ringebantur præ rabie, quòd ei nocere non possent; & ubique sequebantur eum, contradicendi occasionem quærentes, quicquid poterant inferendo molestiæ illi, qui tanto studio quærebat eorum salutem. Quàm hæc gravia Domino fuerint, explicari non potest: magis tamen admiranda est malitia mentis humanæ, quæ semel obstinaverit animum ad contradicendum agnitæ veritati, ac Divinis operibus: nam in Christo nullam occasionem habebant, quando nec aversatus est societatem, nec dedignatus mensas eorum, nec domos, cùm invitaretur, omnem eis veritatem & humanitatem ostendens.

Isa. 65. 2. Rom. 10. 21.

IV. Neque etiam affectavit, aut imminuit eorum auctoritatem, honorem, opes, aut libertatem: quin disertè docuit homines eis obedire: & tamen ei contradicebant in omnibus. Et cùm ostendissent, se paratos accipere Joannem Baptistam pro Messia, si ipse id non abnuisset; Christum, in quo omnia erant majora, noluerunt agnoscere. Non desiit hoc malum contradicendi virtuti & veritati, cum hac improba gente; sed hodieque servis

Contradicitur

Dei

Dei gradiendum est per hos turbines, ut eorum virtus probetur: & eos quidem excitatos à cognatis, amicis, sociis, & his, quos multis modis habent obligatos; nec rarò ab his, qui sunt alicujus nominis & auctoritatis: qui tantò sunt inhumaniores carnifices, quantò majore colore tegunt malitiam, rationem officii sui, boni publici, vel justi respectûs alicujus obtendentes. Quæ crux adeò crescit nonnunquam, ut nesciam, an aliqua possit esse acerbior, & magnâ servo Dei vigilantiâ sit opus, ne dejici aut vinci se sinat; cùm totum eò tendat, ut illi adimatur fides, auctoritas, & existimatio. Et est hoc semper invenire in mundo, ut, quorum operâ maximè indiget, ac magno cum emolumento frui posset, eos maximè conetur pessundare, malítque eos perdere, quàm bonis illis ditari per ipsos; non quòd sibi aliquid ab eis incommodi timeat, sed ideo tantùm, ne videantur illa bona, vel etiam perfectiora, & uberiora provenire ab ipsis, quàm ab aliis: atque adeò mavult illis bonis carere, ac suis malis mederi majore sumptu, dispendio, & interdum non sine aliqua sua nota, quàm videre tales viros aliqua re præstanda florere: nec justitiam, neque conscientiam, nec amorem proximi aut boni publici, neque proprium honorem curando, hoc solùm spectantes, ut virtuti, honori & personæ servorum Dei obsistant. Quæ fuit ipsissima malitia Judæorum: nam hi neque plus honoris, sanctitatis, aut securitatis habere poterant, quàm adjungendo se Christo Domino Cæli & terræ, Sancto sanctorum, domitori maris & malignorum spirituum: sed ne ipsum honorare vel æstimare viderentur, statuerunt illi semper contradicere. Quod vitium si fortè illos invaserit, qui profitentur sanctitatem, persecutores fiunt acerbissimi, contra quos difficillimum est remedium invenire; quia professione sua pro pallio zeli utuntur, & laxando frena indomitæ naturæ sæviunt eò crudeliùs, quò manifestiùs contra obligationem suam persequuntur agnitam veritatem.

etiamnum servis Dei.

gravissimè autem à profitentibus sanctitatem.

V. Essent hìc multa dicenda pro solatio servorum Dei, qui talia patiuntur, crucem verè gravem purè amantibus Deum ac proximum. Sed cùm Dominus, cui serviunt, hoc ita permittat in majorem eorum coronam, sufficiet eis oculos defigere in Christum

illis solatio sit exemplum Domini.

Christum, quèm vident eadem passum; & gratias agere, quòd eodem ipsos honore dignetur, qui est unicum refugium ipsorum & Judex. Plura dicenda forent his, qui laborant hoc vitio. Sed cùm luci Divinæ locum non dent, quis eorum cæcitatem sanabit? sufficiat afferre, quo muniantur alii, ne in malum hoc incidant; quò spectare potest illud apud Oseam, quo, cùm Deus prædixisset, se plurima maxima peccata populi sui non posse non punire pro meritis, rationem ejus comminationis hanc affert; quia *Populus tuus, sicut hi, qui contradicunt Sacerdoti:* quasi diceret, peccata populi esse nimis enormia, atque adeò paria his, qui contradicunt Sacerdoti. Nam cùm illis ideo dati essent Sacerdotes, ut per eos perpetuò conservaretur Religio, & vera notitia DEI Legisque Divinæ, ac si fortè peccâssent, sacrificiis & orationibus Deo reconciliarentur; Sacerdotibus contradicere, erat omnia bona abjicere, & omnis mali remedia contemnere. Quid ergo fuit contradicere summæ veritati, Filio Dei vivi, Sacerdoti æterno, Redemptori & Salvatori nostro? res verbis exaggerari non potest. Quia verò contingit aliquos in istud peccatum labi, qui non satis intelligunt, vel advertunt, quàm grave sit contradicere cognitæ veritati; sufficiet eis pro remedio, ut agnoscant istam consuetudinem contradicendi, esse quasi pactum quoddam cum mendacio, & odium propriæ salutis: neque talem Deo placere. Quia omne bonum, in quocunque inveniatur, est res Dei: cùm ergo te opponis veritati prolatæ ab eo, quem aversaris, Deo te opponis. Quisquis autem assuescit sua dicta tueri contra manifestam veritatem, prolatam ab altero, nec vult retractare suum errorem, sensim devenit eo, ut amittat omnem respectum veritatis & virtutis, sine metu contradicendi. Propterea monet Sapiens: *Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Nam clarum signum est exigui judicii, quod veritatem vel non capiat, vel emendare se nolit. Veritas enim tam pulchra est, ut hominem ornet, & verè liberum faciat, juxta dictum summæ Veritatis,

Media contra vitium contradicendi.

Ose. 4. 4.

Eccli. 4. 30.

EXER-

EXERCITIUM.

De Contradictionibus.

I.

ÆTerna & ſumma veritas, Verbum ſempiternum, & Fili Dei vivi! ego te glorifico cum omnibus Angelis, Beatis, & Juſtis, cum omnibus, quos redemiſti, & cum tota ſancta Eccleſia tua, & cum omnibus creaturis, cum omnibus virtutibus, & operibus tuis, quæ te ſemper glorificant: quia tu es mea Via, mea Veritas, & mea Vita. Via, per quam ad te venio: Veritas, per quam te cognoſco; Vita, per quam in te vivo: Via ſine periculo, Veritas ſine dolo, Vita ſine morte. Qui non per te ambulat, patitur: qui in tua luce non videt, cæcus eſt, neque te novit: qui in te non vivit, ſemper moritur. Tu es mea vera vita, mea viva & æterna Veritas, Vita mea ſecura. Tu es Deus meus vivus, cui ſervio: Deus meus verus, quem diligo: Via mea ſuperna, quâ ambulo. dirige, Domine, pedes meos, ut non eant aliâ viâ: da mihi lucem tuam, ut ſemper videam veritatem tuam; & vive tu ſemper in me, ut non habeam aliam vitam, quàm te. Et quia hoc bonum à tua manu provenire debet, libera me à malis, quæ mihi ab inimicis tuis, & à meipſo poſſunt evenire: niſi enim tu me liberes, ego ſemper tantò pejor efficior, quantò minus habebo de te. Tu ſcis, Domine, me luce tua magis excæcatum iri, niſi penetret cor meum, ut per ipſam videam. Recordare, Domine, quòd olim dixeris illis, qui ſe illuminatos putabant, Deum velle, ut ſuam cæcitatem agnoſcant: quam quia non agnoverunt, luce tua magis excæcati ſunt. Scio, Domine, me natum eſſe cæcum, & per me ſemper talem futurum. Miſerere mei, Fili David! ut videam te, & agnoſcam in operibus tuis, captúsque pulchritudine tuæ lucis, ſemper te ſequar. Per hoc autem aliud non peto, quàm quod ipſe mihi dare vis, & pro quo tantum exhauſiſti laboris. Ergo, Domine, da mihi gratiam, ut & ego eam velim; fac, ut eam promerear; cum gratiarum actione & amore acceptem omnes iſtos favores, quos offers, & mihi cupis præſtare. Et cùm nolis beneficia mihi prodeſſe ſine me; ego verò ſine te illis uti non poſſim, doce me, ut illa cognoſcam; fac, ut ea

IESVS eſt noſtra via, veritas, & vita.

desiderem: da, ut illa acceptem, amem, æstimem; ut per illa talis efficiar, qualem tu vis.

Fiducia in Deum.

II. Et quomodo mihi, Domine, quod à te peto, potes negare; licet eo dignus non sim, nec sciam, quomodo me oporteat petere? nonne es tu idem Salvator, & Redemptor misericors, qui extendebas tota die manum tuam plenam gratiâ, ad populum non credentem, neque te recipientem, imò & contradicentem? Cùm ergo sis idem, nec amor tuus sit imminutus, neque minùs sis meus, quàm omnium; audi me, dita me, & da mihi de miserationibus tuis. Recordare, Domine, quanto amore egeris cum gente incredula; quanta mansuetudine toleraveris eam; quanta cum molestia tua dissimulaveris eorum contradictiones in omnibus rebus. Tua luce ita excæcabantur, ut ferre non possent, mundum illuminari à te. Perseverabant suâ malitiâ tegere tuas virtutes: conabantur homines abstrahere à tui cognitione & amore: contradicebant clarissimæ veritati: & opera tua divina pro viribus elevabant; in oculis tuis, & coram toto populo se opponebant tuæ doctrinæ cælesti; leges condebant adversùs te, & ex bono suo pejores fiebant; misericordiâ ipsis exhibitâ condemnabantur, lumine excæcabantur, curatione & redemptione peribant; quia oderant bonum suum, & malitiam adamabant.

Gravius fuit Christo ferre contradictionem, quàm crucem.

III. Agnelle mitissime! quantò suaviùs amori tuo fuisset, crucifigi quotidie pro eorum salute, quàm videre contradictionem infidelium cordium, quâ seipsos perdebant? In cruce conversus ad te latro, paradisum obtinuit: illi verò in templo, & suis ædibus, cùm viderentur Sancti, promeruerunt infernum. Nihilominus multa cum molestia ac dolore misericorditer eos supportâsti, & conatus es mansuetudine vincere duritiam eorum, & continuis beneficiis expugnare nequitiam: neque per hoc obtinuisti quidquam, sed ipsi damnati sunt; tu verò, bone Jesu! mansisti in tuo dolore. Muta, Domine, in me has curas; ego confiteor veritatem, quam ipsi non crediderunt: adoro virtutes, quas oderunt: laudo opera divina, quibus contradixerunt. Cùm ergo tantùm facias pro his, qui te nolunt, veni, Domine Jesu, ad eos, qui te invocant. Tu, Domine dixisti: *dilata os tuum, & implebo illud*: si sufficiat,

Psal. 80. 11.

ficiat, os aperire, opto, ut omnia interiora mea vertantur in os fame tui laborans, ut saties illud. Dilato ergo, quantùm possum, suspiria cordis mei, ac desidero impleri te, ac Spiritu tuo. Veni, Domine, *emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, & omnia bona, quibus replere soles servos tuos: reple hanc animam te ipso, ut evacuatis aliis rebus omnibus, gaudeat divitiis bonorum tuorum. *Psal 42. 3.*

IV. Ah, mi bone Jesu! bene scio, quòd, si cum rigore justitiæ consideres merita mea, clausurus sis divinos oculos tuos, ne respiciant me; obturaturus aures, ne meas voces audiant; & subducturus mihi suavem tuam præsentiam, ut fugiat à me: qui non minores pœnas promereor, quàm obstinati contradictores tuorum verborum & operum. Nam credendo, quæ illi negabant, & adorando, quibus contradicebant, nihilominus fui semper rebellis tuis vocibus, & inspirationibus. Ego sum pauper & miserabilis; quia semper est defectus in me, & non in te. Quando te non noveram, tu me docuisti: cùm te fugiebam, tu me vocâsti: cùm tui obliviscebar, me illuminâsti: cùm peccabam, aderas cum inspiratione tua: cùm frigebam, accendebas me: semper succurebas cum abundantia, juvabas cum diligentia, cum liberalitate circumdabas me bonis tuis: die & nocte in omni negotio, nisi peccarem, & actu te offenderem, mihi non denegabas tuum favorem: & nihilominus ego secutus meas cupiditates, voluntatem tuam non feci, nec obedivi verbis tuis: sed magis delectatus sum mendaciis, quæ perverterunt meum amorem, & sensum, ac spoliaverunt hoc miserum cor meum purissima tua veritate, plena divinis thesauris. Ego sum unus eorum, de quibus justissimè quereris, quòd obvertant tibi tergum, vultu averso. Tu conjiciebas pios oculos tuos in me, & ego meos in infelices quisquilias terræ: tu me semper insequebaris, & ego fugiebam à te: Tu me amabas, & ego creaturas: Tu eras totus in me, & ego totus in aliis extra te: & si fide non contradixi veritati tuæ; gustu & cogitatione favi falsitatibus mundi: si non sum obloquutus tuis operibus; me tamen subduxi suavi tuo servitio. *Deploratio miseria peccatoris.*

V. O misericors Domine! non possum, nec scio satis confiteri, quàm rebellis tibi fuerim semper: scio me circumdatum gra-

tiis tuis, & sum tamen pauperrimus: excitatum tuâ doctrinâ; & tamen sum cæcus: cumulatum iis, quæ pro me fecisti, & sum tamen miserabilis. Affectus mei semper abripiunt omnes meas cogitationes; & si quando memini tui, cui omnia debeo, recordor & mei tanquam unius è rebus vilissimis: quando enim non venundedi me pro quavis earum? Ah mi Deus! malo tacere mea mala, quàm dicere: tu ipse vides illa cum ea misericordia, quâ toleras. Igitur etiam illis medere eo amore, quo mihi das omnia. Ah mi Jesu! quid sum lucratus eundo contra tuum gustum? quid remansit mihi ex eo, quòd me opposuerim tuæ voluntati, nisi ut jam coram te sim pauper & destructus, ulcerosus & miserabilis, cùm possem abundare tuis bonis? sed tu, mi bone Jesu! non es, ut ille dives avarus, qui Lazarum ad sua limina jacentem fastidiosè præteriens, non est ullo cibo dignatus, minus habendo pietatis, quàm canes, qui lingebant eius ulcera: tu Domine mi, tam tenax bonorum tuorum esse non potes, cùm tam liberaliter offeras ea nolentibus. Non vis ea pro te solo, cùm sis omnium Salvator & Jesus. Ergo mi ditissime Jesu! da veniam pro eleemosyna huic peccatori: da lucem pro eleemosyna huic cæco: sanitatem pro eleemosyna huic obsito plagis: amorem pro eleemosyna isti congelato: subjectionem huic rebelli: correctionem huic erranti: vitam huic mortuo. Et quia non dedisti mihi canes ad ulcera mea linguenda, sed sanguinem tuum ad abluenda; sentiam eius virtute me mutari totum ad gustum, & beneplacitum tuum. Aufer tecum totum cor meum, totum amorem, omnes facultates, totam animam meam. Cessent ab hac hora, Domine, fugæ meæ, & oblocutiones tuæ sanctæ voluntatis. Recupera, bone Jesu! quod tuum est, de manibus inimicorum meorum: tene illud, ac posside semper.

optandum à mundo contemni.

VI. An non facies, Domine, ut mundus me ejiciat à se, & omnibus, quæ in illo tibi non placent, méque condemnant, neque se dignum judicet propter te? Fecit hoc illi cæco, qui confitebatut mirabilia tua, & cùm te non videret, à te visum recepit: & cùm foras ejectus tanquam unus è tuis, quærere te non posset, tu illum quæsivisti, ac dignum inveniisti, qui te oculis à te apertis conspiceret; & tui amore sustineret, ut mundus eum tanquam male-

maledictum nollet aspicere: tunc ipse te vidit, tunc te adoravit: tunc te cognovit, tunc ei dixisti, quis esses; tunc ille te secutus est, & tu eum inter tuos recepisti in perpetuum. O qui haberet hanc felicitatem! si mihi nocet, habere oculos, Domine, mihi eripe illos, ut mihi des te aspicere: & si nocet, mihi videre aliquid extra te, pone oculos meos in te, & meo cordi ostende te, ut amor tuus apprehendat me. Ah, mi Domine! tantine facis contemni à mundo, quem hactenus ego tam magni æstimavi ac desideravi æstimari ab illo? O me pauperem! si non merear, quod pauper hic cæcus! ut primùm ille te vidit, subitò dives fuit, nec potuit sentire amplius ullam miseriam. O divitiæ incognitæ mundo, cur tot annis me permittitis mendicare à paupere mundo? Appare tu mihi, divitiæ meæ: monstra te oculis meis, magnitudo infinita: & quia plus non requisivisti à cæco, quàm ut crederet, ac desideraret videre Filium DEI, & mox ei te manifestâsti: ecce, & ego credo, Domine, ac desidero Domine, nôsse te, videre te, amare te. Noli mihi negare, quod facis me desiderare. Verum est, optime Jesu! quòd ille cæcus antea nihil viderit, quòd occuparet cor ejus, & Pharisæi capti affectu rerum terrenarum, te non cognoverint, sicut & ego: sed, tu, Domine, non restrinxisti virtutem tuam ad cæcos tantùm: nam S. Paulus cæcus non erat, quando excæcâsti eum, ut te videret. Claude, mi Jesu! oculos meos, ut non videant vanitatem; tolle de corde meo vincula terrena, ut videam te, lumen oculorum meorum; æterna, copiosa, & infinita satisfactio cordis mei!

Mater DEI, & humilis ancilla Domini, quæ semper pluris fecisti subjectionem ancillæ quàm dignitatem Matris; humilia cor meum, & subjice veritati; tolle ab eo fallacias mundi ut veritas ab illis me liberet. Spiritus, ac cives cælestes, qui videtis, desideratis, ac possidetis æterna bona, quæ diligitis; quandoquidem ego sum propter illa creatus, elevate cor meum à rebus terrenis, ut liber ab illis, & à me ipso, vivam semper vobiscum in DEO. Amen.

ÆRVMNA XXIII.

Insidiæ ac Inventiones ad evertendum Christum.

I.



Actum est non modicè pondus Ærumnæ prioris, quam Dominus in perpetua contradictione sustinuit, per astutias ac dolosas inventiones Principum, Sacerdotum, Doctorum & Pharisæorum; dum conabantur eum capere in sermone, fundamentum aliquod & colorem haberent malorum, quæ ipsi desiderabant inferre. Id quod multas ob causas pro peculiari ærumna, & una ex præcipuis molestiis Domini computari potest: pro quali Propheta illam habuit, cùm toties deplorat & exaggerat in Psalmis laqueos & insidias Domino structas: ut eum è medio tollerent. *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo: sub lingua eius labor & dolor: Psalm. 9. laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam. Psalm. 56. In via hac, quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi Psalm. 141. Cogitaverunt supplantare gressus meos. absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi. Psalm. 139. Præoccupaverunt me laquei mortis. Psal. 17.* Quia consilia eorum tendebant eò, ut illum per astum tollerent.

Insidiarum insidiis.

II. Unde quacunque incedebat, illum insequebantur, in omnem occasionem intenti: quando erant multi cum illo, ipsi erant à tergo, impetentes eum variis interrogationibus, non sine importunitate, & multa inconvenientia, ut S. Lucas notavit c. 11. cùm illi graviter insisterent, & os eius opprimerent, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum. Veniebant modò Sadducæi, modò Pharisæi: modò mittebant suos discipulos; aliquando non sine tumultu, ut cum muliere deprehensa in adulterio, magno mitissimi Agni fastidio, nullam ei quietem permittentes. Ubi admireris malitiam eorum, qui cùm viderent omnes suas artes ei manifestas esse, ac proinde frustra se agere, denique suismet responsis convictos ita se expediri ab illo,

ut

ut non haberent, quod contrà mutirent, ac proinde venirent in contemptum apud populum, nihilominus non destiterint; sed omni pudore semoto, illum tandem proditoriè captum ad mortem crudelem adegerint. Ille verò, cùm defeciſſent scrutantes scrutinio, semper evasit victor, & sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Gratis enim absconderunt illi interitum laquei sui, & captio, quam absconderunt, apprehendit eos, & ipsimet in laqueum inciderunt.

III. Ex quo clarè intelligitur, virtuti non esse opus aliis armis contra malitiam, quàm se ipsa. Malitia enim & quisquis persequitur virtutem, aliud non quærit, quàm ut virtutem à se ipsa deturbet ac vertat in vitium: huc tendunt omnes astutiæ, machinationes ac violentiæ: nec aliâ viâ quidquam contra virtutem effici potest. Unde si hæc sibimet ipsa constiterit, omnia ipsi contraria in irritum recidunt. Quod etiam Philosophi gentiles intellexerunt, cùm dicerent; Arcem virtutis nec expugnari nec suffodi, neque transcendi, neque dolo capi posse: atque ut solis claritas obscurat lumina minora, sic magnitudine virtutis dolores, molestias, injurias quasvis elidi & opprimi: neque plus posse, cùm in illam inciderint incommoda, quàm nimbum in mari. Sic iram sola vincit patientia, mendacium veritas, humilitas superbiam: ut adeò servus DEI, aliis armis contra quævis adversa non egeat, quàm ut nitatur virtute, ac perseveret in illa. Hinc dicit Propheta Ps. 124. *Non relinquet Dominus virgam*, id est, sceptrum, potentiam, dominatum *peccatorum super sortem justorum: ut non extendant Justi ad iniquitatem manus suas*, ei se submittendo quasi superiori, potentiori, & honoratiori; vel alia contra eam arma sumendo, quàm ipsam justitiam, quâ solâ sunt tuti. Unde illos Dominus per Malachiam dicit fore suum *Peculium, in illa die*, quâ faciet, ut appareat, *quid sit inter justum & impium, inter servientem Deo, & non servientem ei.*

Virtuti contra malitiam non est opus aliis armis, quàm seipsa.

Malach. 3. 17.

IV. Præterea verò ex insidiis illis Judæorum hoc etiam est ortum, ut earum occasione Christus revelaret nobis divinissima secreta ad illustrandam fidem nostram, accendendum amorem DEI, & consolationem servorum ejus. Ut cùm dixit, sabbatum esse

Ex occasione insid. arum Dominus

revelavit magna secreta.

esse propter hominem, ut cultui divino possit vacare impensiùs: se esse plus, quàm Salomonem & Jonam; plus scilicet habere sapientiæ, divitiarum & suavitatis: Castos fore similes Angelis Dei: se, licet secundùm carnem sit oriundus à Davide, nihilominus Dominum esse Davidis; & eos, qui credunt in ipsum, apud Deum anteponi quibusvis incredulis, Scribis & Pharisæis: Pacem internam nequaquam turbandam, si Deo demus, quæ Dei sunt, & mundo, quæ mundi, nihil ultrà quærentes vel altercantes: se sponsum esse animarum nostrarum, cujus conversatio suppleat omne jejunium; nos non solicitos esse debere de lavandis manibus, sed de puritate interna: misericordiam erga peccatores, declaratam similitudine prodigi recepti à patre, item quæsitæ ovis ac drachmæ, gratiorem esse Deo, quàm sacrificium: Fluminibus gratiarum abundaturos fideles: non esse accusandum quenquam, nisi quis priùs cognoscat se ipsum: denique Deum diligendum ex toto corde, Proximum sicut nos ipsos; & alia innumera, quæ occasione malitiæ suorum inimicorum, ingenti nostro bono expectore suo divino deprompsit, omnem suam persecutionem vertens in nostram salutem. Pari modo qui impugnantur à malis, de suo capitali securi, cum Dei timore & amore, occupari debent non in reperiendo modo illis resistendi, sed in Deo illis reconciliando, constanter perseverantes in bono, gaudendo occasione monstrandi se fideles Deo suo, imitatores sui Magistri, inimicos inimicorum ejus, Secretarios veritatis mundo ignotæ, fortes propugnatores honoris Christi passi, & victores omnis malitiæ.

EXERCITIUM
De Insidiis Domino structis.
I.

Oratio pro amore Dei.

Suavissime Jesu, Amor animæ meæ, purissime & fidelissime Amator tuorum! quis est ille, qui audet, ô Deus & bonum animæ meæ! molestiam afferre mitissimo tuo Spiritui? Amas, mi Jesu! & non amaris: Illuminas, Lux animæ meæ! & non cognoscaris: recipis ô Bonum meum! & quæris omnes, & à nullo tu quæreris: obis, Vita animæ meæ! corda hominum, velut eleemosynam

mosynam petens, dicendo; *Præbe mihi cor tuum*; & à nullo admitteris, nedum amaris; quod maximè flagitas. Quare hoc, ô bone JESU? quis reperit in te, quod possit sperni? aut quid sine, vel extra te inveniri potest, quod ametur? sed ô Deus animæ meæ! non te fatigent mala nostra. Recordare, Domine, quòd olim dixisti, duodecim esse horas diei. Tu, Domine, potes mihi dare unam horam bonam, quâ te cognoscam & amem. Incipe à me, Deus, in hac hora, quanquam sera & forsan ultima, cùm priores impenderim te non amando: sit hæc hora, quâ incipias à me cognosci, & possideri in meo corde. Tibi non minùs accepti fuêre, qui, cùm tota die stetissent otiosi, te vocante serò iverunt ad laborandum in vinea tua: quia tantùm hi tibi displicent, qui venire non volunt. Ergo, Deus animæ meæ, præteriti obliviscere, & ab hac hora inter tuos me recipe. Amet te cor meum, desideret te spiritus meus, amplectantur te viscera mea. *Prov. 23. 26.*

II. O quando dicam cum veritate: *Quis ergo me separabit à charitate Christi?* Et tamen, ô Suavitas mea! si amem te verè, quomodo id verè non dicam? Non separabit me à te timor mortis, quia tu es vita mea: nec amor hujus vitæ, quia desidero illâ privari pro te: nec virtutes cæleſtes, quia tu major es illis: non præsentia, quia transeunt; non futura, quia in illis nihil est, quod cupiam nisi te: nec tribulatio, quia tu me consolaris; nec angustia, quia tu me dilatas: nec fames, quia tu me satias: nec paupertas, quia tu me ditas: nec pericula, quia tu me assecuras: nec persecutio, quia tu me liberas: nec gladius vel tormenta, quia pro te sunt suavia: nec servitus, quia in te est vera libertas: nec libertas, quia gaudeo esse servus tui amoris: neque creaturæ, quia nihil sunt ante te; nec vicissitudines vitæ, nec astutiæ inimicorum, neque tentationes hominum, quia tu omnia convertis in bonum. *Rom. 8. 35. Nihil verè amantem separare potest à Christo.*

III. Si tu, bone JESU! sis pro me, quis erit contra me? si tu cum æterna charitate mihi te totum dedisti, quomodo non tecum dabis mihi omnia? Te amando sum fortis, sum patiens, sum benignus. Omnia credo, omnia spero, omnia magna præsumo, omnia possum, omnia mala effugio: quia te amando te possideo, *Cum JESV non est, quod tua mea.*

& tecum nihil mihi deest. Amando te sum homo, sum Angelus, sum civis cæli, sum mortuus cupiditatibus & peccatis, & vivo solùm propter te. Si te non amo, quid boni possum habere? quo malo non scateo? Unum mihi dolet, quòd aliquando te non amaverim. Sed hic dolor viventis est: nam cùm te non amo, illum non sentio, & sum velut mortuus. Ah mi Jesu! fac doleam valde, quod te non amaverim; ut, cùm vivo tuo amore, amem te valde. Illumina, mi bone Jesu! oculos meos, ut videam semper suavitatem, benignitatem & charitatem cordis tui; & captus tuâ pulchritudine, nulli alteri deinceps rei dem aditum. Hoc est, bone Jesu! quod speras: hoc, propter quod me sustines & exspectas. Ergo, Deus animæ meæ! veniat tandem illa felix hora, quà te amem.

Qui non amat Iesum, non vivit.

IV. O bone Jesu, quàm perditus ille, qui te non amat? vivit solùm ad mala, & ad suam perditionem: stultus est, quia vult gubernari à se tantùm, & non à te: plùs quàm infirmus est, quia cogitat esse sine te: imò pejor est mortuo, quia vult vivere sine te. Quid dico, Deus meus! quis poterit exprimere, in quàm infelici statu sit sine te? Et quid pejus esse potest, quàm velle tibi se opponere, & quærere, quod culpet in te? O mi Jesu! mi Deus! qualis est hæc stultitia cordis humani destituti tuo amore? Conatur obscurare te, lux divina; culpare te, puritas divina; decipere te, sapientia divina; vult facere, ut retractes tua dicta, veritas divina; vult te, Verbum æternum, capere in sermone. Ah mi dulcis Jesu! cur volo ampliùs nôsse, quid agatur in amoroso tuo corde, cùm videam te videre & intelligere illorum stultitiam; & tamen tacere, sufferre, & permittere te tractari pro libitu cujusque? Vides solicitudinem istorum improborum, vides rabiem contra te, & infernalia consilia contra tuam divinam virtutem, cautelas contra innocentiam; impias eorum intentiones contra divinam sapientiam tuam bene perpendis; qui, contra quem, quâ causâ, quo fine, & vides, & taces, & suffers. O cor dignum, quod solum ametur! quid enim tibi deest, ô cor divinum! cur non ameris ab omnibus? Tam es immutabilis, tam invictus, tam placidus, tam patiens injuriæ, tam infatigabilis in tribulatione, tam compatiens malis tuorum inimicorum, tam ingeniosus ad omnia

conver-

convertendum in bonum, tam plenus omni eo, quod non possum comprehendere.

V. Adoro te, cor divinum! adoro vos, perfectiones immensæ! O mare bonorum meorum! ô flumen perenne gratiarum! ô focus purissimæ charitatis! ô thesaurus omnis meæ felicitatis! in hac pace & mansuetudine tua dormiam & requiescam securè. O si sciviſſent illi ponere tibi laqueos, quibus te sibi attraherent; quantis eos bonis ditâsses? quanto gustu, bone Jesu! dixisses illis arcana cælestia, si te studuissent capere in sermone, ut salutaria à te discerent? quàm libenter permisisses te spoliari, si tantùm bona tua quæsiviſſent? sed hoc, mi Jesu bone! forsan tui est moris, ut gaudeas captari. Nam quoties te voco, & tu venis? cùm scias, quòd statim sim te derelicturus: quoties mihi ignoscis, & acceptas meam voluntatem non ampliùs peccandi? cùm scias me statim interim peccaturum: quoties consentis fœderi, quod ineo tecum? cùm scias me id statim rupturum: Apparet profectò, quòd te libenter sinas decipi; quia tuus hic amor fidelis hoc unum desiderat & exspectat, ut aliquando veniat hora, quâ capiaris omnino, neque ampliùs dimittaris à corde humano. *Iesus gaudet capi,*

VI. Sed, ô bone Jesu! quis habet plura strategemata? illine, ut capiant te? an tu, ut capias illos, & me? O paupercu-lum! quòd, cùm sim debilissima creatura, non tandem invenias finem, in subigendo me tibi, sicut desideras! Quid hoc est monstri, Domine? Illi suis dolis ausi sunt aggredi tuam virtutem divinam, cùm toti scelerati ac terreni tuæ infinitæ potentiæ prævalere non possent: tu verò talis cùm sis, quomodo me, qui sum pulvis ac cinis, non subitò elevas ad te? quomodo fugio retia tuæ charitatis? In omnibus rebus sunt laquei tui ad me capiendum; in tribulatione, tentatione, doctrinâ, minis, justitiâ, donis misericordiæ tuæ, denique in omnibus; quæ sunt in vita cælo & inferno: & ego omnia effugio. O me miserum! quid fugio? & cur me aliæ miseriæ captivum detinent, & impediunt, ne in dulces laqueos tuos incidam? Dirumpe, Domine, vincula mea, & sacrificabo tibi hostiam laudis, & dulce nomen tuum invocabo. Vita & salus animæ meæ! quomodo hoc fieri poterit? Tu mihi tendis laqueos, *Et laquèos ponit, ut viciſſim nos capiat.* *Vult autem, ut ſponte nos*

induamus in illos.

& vis, ut voluntariè me induam in illos; quia non vis amorem coactum; nam si coactus est, amor non est. Ergo, Domine, rumpe tu vincula mea, quæ me per vim tenent, & ego liberrimè te amabo. Nam etsi liberè amem, quæ à te me separant; nihilominus tu scis meam consuetudinem versam esse in catenam adeò fortem, ut quamvis videam bonum, ac probem, à malo tamen haud possim recedere. Ego te desidero; sed non possum desiderare ex toto: nam si ita te desiderarem, desideria mea tecum jam essent. Sola gratia tua potest rumpere istam catenam, liberare me à me ipso, & capere tuo amore. Fac, ô Domine, hoc opus, quod solius est potentiæ tuæ, & fiam captivus tui divini amoris.

Gratiarum actio pro veritatibus apertis à Christo, inter inimicorum insidias.

I.

Gratiarum actio.

O Thesaure bonorum omnium! ago tibi grátias infinitas, quòd mihi non tantùm offeras, quidquid habes, sed etiam ex omnibus malis elicias bonum. Infinitas tibi gratias ago pro vi hujus amoris, quo pro damnatione inimicorum tuorum, quam promerebantur suis dolis & insidiis, mihi protuleris cælestes consolationes, divinas doctrinas, & amplissimas veritates; ut me illuminares, & ad amorem tui adduceres. Doce me, Domine, ut illas intelligam, & adorem: imprime illas cordi meo, ut ex toto te amem, qui fons es omnis mei boni.

II. Adoro te, Rex pacifice! quòd nolueris me gubernari sapientiâ Salomonis: neque me vocaveris minis Jonæ, qui prædicabat Ninivitis terrena: nec volueris, ut ego apud te invenirem grandia mundi: sed ut mea gubernatio esset plùs, quàm Salomonis, sapientia æterna, divitiæ infinitæ, regnum æternum; ad quod me provocas amore & operibus tuæ charitatis. O mi Domine, plus quàm Salomon; quia nulla terrena affectione potes mutari: plus quàm Salomon; quia pax tua est interna, plena omni consolatione cælesti: plus quàm Salomon; quia divitiæ tuæ, & gloria non possunt exhauriri, finiri: plus quàm Salomon; quia totus es omnium,

IESVS plus quàm Salomon.

omnium, ac totus meus. Adoro te, victor mortis! plus quàm Jonas, Domitor maris tribulationum; Condonator peccatorum, ac dulcis Receptor pœnitentium. Ne sinas, Domine, ut hæ gratiæ mihi sint in condemnationem; sed ut eas amem, cum eis tibi serviam, & omnes mihi serviant pro signo & remedio vitæ æternæ. *Et plus, quàm Jonas.*

III. Adoro te, purissime JESU! amator animarum castarum, propter æstimationem, quam habes de pura & sancta castitate. Longè fac, Domine, cor meum à rebus terrenis, ut amem hanc Angelicam virtutem. Et quia hoc dono tuo mihi provenire debet, quod dixisti, non omnes capere; vince meos hostes, & accende in me ignem tuæ charitatis, ut cor hoc terrenum solùm possit elevari, ac trahi funibus spiritualibus: fac id adhorrere ab omni imaginatione terrena: purifica illud, & effice Angelicum. *IESVS amator castitatis.*

IV. Adoro te, Princeps, Dux & Salvator peccatorum! quòd volueris agnosci pro illorum pastore. Gratias infinitas ago tibi, pro amplissimo ingressu, quem aperuisti publicanis & peccatoribus ad regnum. Et si isti magnum locum in illo sunt habituri, non relinquas me foris, qui sum inter majores ipsorum. Converte me ad te, Redemptor meus! ut abhorrens à me ipso, amplectar te, & recognoscam te pro Domino meo, pro omni bono meo, & pro omni gloria mea. *Salvator peccatorũ.*

V. Adoro te vera fide, ac toto corde; non ut Pharisæi cum dolo: & confiteor te Magistrum puræ veritatis; lucem divinam, quæ ostendis veram viam ad Deum; fidelem amatorem animarum, qui sine personarum acceptione aperis omnibus cor tuum divinum. Doce me, Domine, dare mundo, Cæsari & proximo, quod conforme est legibus tuis; & tibi, mea beatitudo, hanc animam, in qua est imago tua, & similitudo impressa: quæ cùm propter te facta sit, tibi soli reddatur & consignetur. Libera me, Domine, à tributis, quæ tanquam proditor volui dare meis hostibus; ut tota inclinatione impendam tibi hanc animam, cui soli debetur. *Magister veritatis.*

VI, Adoro te, vere amice! quòd tam apertè promulgaveris te Sponsum animarum. Ne permittas, ut mea sequatur alios procos. O mi Sponse divine! tu es totum capitale meum, tu omnis honor meus; te solo contentus sum, te solo oblector. Da mihi, *Sponsus animarum.*

Domine, veſtem charitatis, quâ vis ornatos eſſe omnes, qui veniunt ad has nuptias. Nunquam abſonde mihi faciem tuam; audiant aures meæ ſemper vocem tuam, ut mox à me fugetur, quidquid in me tibi non placet; & ut hæc anima fidelis tibi Sponſa ſit, nec alios amores admittat.

Inſpector cordis.

VII. Adoro te, Sapientia divina! quòd me docueris, omnia bona, & mala à corde procedere. Puriſſimi oculi tui non decipiuntur ſpecie externa, ſed interiora perſpiciunt. Innova in me Spiritum rectum; ne ſepares me à tua præſentia. O quàm hoc tibi facile eſt, optime JESU! mihi tantùm eſt difficile. Sed major eſt amor tuus, & miſericordia tua, quacunque meâ duritiâ ac cæcitate. Reſplendeas, Domine, in his obſcuris cavernis cordis mei, & educ in eis fontem aquæ vivæ, ut veniant, ubi tu es.

Receptor filiorum prodigorũ.

VIII. Adoro te, pie Pater, amoroſe Receptor tuorum filiorum prodigorum & fugitivorum! Non ſum dignus reſpicere in cælum, nec eſſe in numero filiorum tuorum: ſed fac me ſicut unum è minimis in domo tua: & hoc ſufficit mihi.

Repertor ovium errantium.

IX. Adoro te, Paſtor ovium errantium, qui tanto labore quæris profugientes à te. Ego plus erravi ceteris: exhilara domum tuam reperiendo me, & ſalvando. Adoro te, divine Socie peccatorum indigentium; intra in hanc pauperem caſam, ut hodie ſalus ei fiat. Oſtende miſericordiam tuam; quia magis hanc vis, quàm ſacrificium.

Reductor animarum perditarum

X. Adoro te, verum Refugium omnium aberrantium, & potens Reductor animarum perditarum! Sicut verbis tuis divinis emolliviſti eos, qui venerant ad te capiendum, ut faterentur, nunquam alium hominem ſic eſſe locutum, quomodo tu loquebaris; ita, Domine, converte me ad te, ut videam veritatem tuam. Et ſicut non condemnâſti adulteram, quando omnes eam reliquerant in tua poteſtate; ita, Domine, recipe me; quia certò ſcio, à te non poſſe provenire, niſi veniam, conſolationem, ſalutem, gratiam & amorem.

Omnia convertens in bonum.

XI. Ah bone JESU! inſtruant contra me inimici tui inſidias, & inveniant dolos, quotquot voluerint; tu ex omnibus noviſti elicere pro miſera hac anima totidem divitias. Quid ergo

timeo,

timeo, mi JESU! cùm terret me pugna tentationum, & mortificatio corruptæ meæ naturæ, & horreo dimittere omnia, ut expeditè serviam tibi? Quis est, qui possit ac velit omnia mihi convertere in bonum, nisi tu? Nihil molestiæ tibi contigit, è quo non aperueris mihi fontem misericordiæ: quid igitur timeam? Tu salsas aquas efficis dulces: tu ex omni petra educis aquam: tu mare tranquillas, & è mortè producis vitam; quid igitur timeam? Ah bone JESU! dilata cor istud, ut cum spiritu, fide & amore me projiciam in hoc mare charitatis, quâ me diligis; & in hæc brachia amoris, quibus me gubernas; ut ibi in te quiescam, te in te amem, te in te possideam, & à te semper possidear.

XII. Mater purissima, Thesauraria gratiarum DEI! quæ solùm de hoc Domino vivebas, & cum illo solo ad eam perfectionem & gloriam venisti, quâ nunc gaudes; trahe me post te: confirma me in fide & amore hujus Domini; quia solus ipse est adjutor meus & refugium meum.

O glorioſa Curia cæleſtis, capta amore hujus Domini, ac dives theſauris ipſius, nobis adhuc abſconditis, vobis autem apertis! ſtillate aliquam guttam dulcium illarum aquarum in hoc ſitibundum & aridum cor meum, cujus percepto ſemel guſtu ſemper aſpiret ad illam ſupernam ſatietatem; donec mereatur liberari, & venire ad veſtram ſocietatem, ubi ſemper potero me ſaturare. Amen.

ÆRVMNA XXIV.

Ingratitudo Iudæorum pro beneficiis Chriſti.

I.

ITa connexa ſunt inter ſe vitia, ut quodlibet videatur eſſe propago & parens omnium. Inde eſt, ut Sancti jam ab hoc, jam ab alio dicant omnia ſcaturire, ut à ſuperbia, ab invidia, ab amore ſui immodico, ab ingratitudine; de qua S. Bernardus dicit; *Ingratitudo inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta* Serm. 15. in Cant.

Ingratitud fons malorum omniũ

fluenta gratiæ. Denique quidquid mali provenire potest ab alio quocunque vitio, id etiam tribuitur isti. Sanè cùm Judæi scaterent vitiis omnibus, ut per quodlibet eorum ipsi perire possent, & Christus affligi; ingratitudo non minimum fuit, sed ab aliis omnibus incrementum accepit, & omnia reddidit graviora vicissim. Unde velut è generali scaturigine profluxerunt innumerabiles molestiæ, quibus vexabatur Christus tot annis, ut vel sola ingratitudo invincibilem patientiam postularet.

II. Et quidem satis clarum est, quàm grave sit pro tantis ac divinis beneficiis recipere continua signa ingratitudinis extremæ: dum oblatam gratiam ac beneficia quidam aspernati non dignabantur accipere; ut Sacerdotes ac Principes populi, qui, ne illi viderentur quidquam debere, ubique conabantur ejus existimationem imminuere; & quò plus illi debebant, eò majore persequebantur odio: alii, qui sequebantur eum, ut ejus beneficiis frui possent, si non diceret eis grata, deficiebant ab illo; ut hi, quos quinque panibus, ac paucis piscículis miro modo saturaverat: cùm enim propter hoc regiâ coronâ dignum judicarent, ac sperarent se sub ipso semper sine labore sustentandos; audita mentione Panis divini, quem daturus erat mundo, subitò desciverunt ab eo: alii, cùm sanitatem ab eo recuperâssent, ne gratias quidem egerunt, ut illi novem leprosi: alii aliis injuriis eum affecerunt, ut insidiando, obtrectando. Denique gens ista, cùm beneficiis cumulata fuisset, eum cum plausu excepisset in die Palmarum, agnovisset eum divinitus ad se venisse, studuisset vel extremam oram vestium ejus attingere, certa sanitatis recuperandæ; ex omnibus locis certatim confluxissent ad eum; postea conjunxerunt se manifestis hostibus ejus; expetierunt eum ad crudelissimam necem, homicidæ posthabitum, & magnis cum clamoribus quasi per triumphum deduxerunt ad locum supplicii. Ipse verò (quod auget admirationem) cùm non ignoraret, has sibi gratias redditum iri, pergebat nihilominus eos doctrina cælesti, & omni beneficiorum genere cumulare, ipsi adeò proditori sceleratissimo singulares favores exhibendo, & Malcho restituendo auriculam.

IESVS non cessavit Judæis benefacere, licet novisset, quid ab eis esset recepturus.

III. Leges humanæ statuunt, justam causam, filiis hereditatem, famulis mercedem negandi, esse ingratitudinem: & eandem

dem sufficere ad rescindendam veterem amicitiam; adeò, ut, qui in eam revertuntur, postmodum aliam ejus resumptæ causam non afferant, quàm quòd existiment esse virtutis, eam exercere impensiùs, ubi minor videtur esse ratio id agendi. Ipsum autem ingrati vitium excusationem nullam invenit, ac tantò majus evadit, quantò magis conatur excusando minuere: nec aliud ei superest, quàm ut fateatur, se excusationem facti sui non habere, vel ut habeatur pro manifestè ingrato: quorum utrumque, judicio prudentûm, ei valde grave esse debet, & pro pœna satis rigida. Solus amor divinus, qui in Christo Domino nostro fuit, ingratitudine magis accensus est, velut oleo igni affuso: tantùm abest, ut eâ sit extinctus, & versus in odium, ut apud homines evenit, quorum amicitiam ingratitudo extinguit, & in odium vertit. Et sicuti per molestiam summæ ingratitudinis aperuit Judæis immensos divitiarum thesauros; ita eos, qui postea agnoverunt errorem, amore integerrimo recepit in gratiam, ac si nunquam ingrati fuissent.

Amor IESV accendebatur ingratitudine.

IV. In numero illorum ingratorum, & obligatorum huic divino Agnello, pro tam invicta patientia, sumus & nos, Adæ progenies; præsertim qui nati in Ecclesia, fovemur brachiis Fidei & Charitatis illius, & oculis usurpamus ea, quibus per merita suæ Passionis aperiuntur nobis bona æterna, & auribus audimus veritates divinas, quas docuit nos de via ad regnum cæleste. At nos hæc omnia rejicimus, falsam imaginem ac delectationem rerum terrenarum sectantes tam avidè, ut non possemus magis, si vera essent & æterna, omnium, quæ illi debemus, obliti. Quin ita apparemus coram ejus Majestate divina; ita cum illo agimus in oratione; ita versamur in ejus domo, ac si nescio quantùm de ipso essemus meriti: ita ingredimur templum, & versamur coram oculis ejus, ac si nihil in nobis mali videret: ut adeò non minorem nobiscum patientiam exercere debeat, quàm cum ingratissimis Judæis, à quibus est crucifixus. Dicunt Theologi, quodvis peccatum, quod iteratur, per ingratitudinem fieri gravius: quantò graviora igitur erunt illa, quæ sæpius condonata repetimus? Jam si addantur abusus bonorum temporalium, nobis ad

Horrenda ingratitudo nostra.

salutis æternæ procurationem datorum, quibus meremur damnationem æternam : vilipensio bonorum spiritualium, & facilitas amittendi gratiam acceptam, & negligentia in recuperanda eadem : inurbanitas, quâ negligimus Deum, ejus inspirationes & gratias, quas offert nobis, vice abjectissimarum, spurcissimarum & vilissimarum rerum hujus mundi; ac denique quòd plus possint apud nos homines, cupiditates & oblectationes vilissimæ, & quidquid infra Deum est, usque ad ea, quæ sine pudore memorari non possunt; quàm infinita Majestas, Magnitudo, Veritas, Æternitas, Potentia, Gloria Dei nostri, de cujus bonitate semper & ubique vivimus, & cujus justitiam evitare non possumus ullo modo: exundabit ingratitudo nostra in mare quoddam malorum ac perditionis nostræ, & intolerabilis fiet summa divinarum offensionum: cui nullum restabit auxilium, nisi eadem charitas infinita, quâ, cùm prævideret omnem nostram ingratitudinem, dignatus est crucifigi pro nobis ingratis, & quâ etiamnum obliviscitur omnis ingratitudinis nostræ, si reverti studeamus ad ipsum. Sed meminerimus hæc duo flumina, continuæ nostræ ingratitudinis, & jugis patientiæ Dei, nos tam amanter sustinentis, non ita juxta se fluere, ut patientia non tandem verti possit in justam indignationem, & avertatur planè à nobis, qui sine ipsa pridem æterna damnatione fuissemus absorpti.

Benefaciendum ingratis.

V. Misericordia, quâ Deus utitur nobiscum hac in parte, meretur, ut imitemur ipsum, benefaciendo his, qui nobis ingrati sunt; & ut plus apud eos possit obligatio, quâ Deo sumus obstricti ad benefaciendum amore ipsius, licet non merentibus; quàm rationes humanæ quæcunque ab hoc avocare nos possent. Ideo Dominus jubet inimicos diligi. *Et si*, inquit, *diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Veruntamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.* Et verò etiam Seneca agnovit, eum, qui beneficium negat ingrato, plus perdere, quàm ingratum, videlicet,

Luc. 6. 32.

delícet, meritum, quod longè majus eſt, quàm bonum, quod alteri negat. Et benefaciendo quidem alterum malum non facit; ſed forſan efficit bonum: negando verò ipſe minùs fit bonus, & propter alterius ingratitudinem manet imperfectus; cùm verà virtus propter vitium alienum non debeat negligere ſuum officium. Quī autem cogitat, quanta bona quotidie accipiamus à Deo, quantumvis ingrati, aliis argumentis ad illum imitandum non eget. Porrò nihil eſt melius, quàm ut is, qui aliis benefacere cupit, ſolius DEI amore id faciat, nullas gratias exſpectando ab hominibus: cùm paſſim omnes & magnitudinis, & multitudinis beneficiorum obliviſcantur: quo fit, ut ferè quis tantum perdat de bono opere, quantum gratiarum ſperavit ab hominibus. Ideo Sapientiæ 16. dicitur; *Ingrati enim ſpes tanquam hibernalis glacies, tabeſcet, & diſperiet, tanquam aqua ſupervacua;* quia ſcilicet non recordatur benefactoris, niſi quando eſt in neceſſitate; & ſibi ipſi tribuit bona, quæ accepit ab alio. Unde dicitur Eccli. 29. *Bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator, & ingratus ſenſus derelinquet liberantem ſe.* Imò, quod pejus eſt, elevat beneficia; exaggerat verò, ſi quas accepit, injurias. Hinc Seneca dicit: *Torquet ſe, & macerat: odit, quæ accepit, quia redditurus eſt, & extenuat; injurias verò dilatat & auget.* Ceterùm ingratus malè ſibi ipſi facit, benefactorem autem reddit magis perfectum. *Malitia ipſa maximam partem veneni ſui bibit*, ait Seneca. *Illud venenum, quod ſerpentes in aliorum perniciem proferunt, ſinu ſuo continent: non eſt huic ſimile: hoc habentibus peſſimum eſt.* Cùm igitur & exemplo DEI, & ipsâ ratione humanâ ducamur ad benefaciendum ingratis, aliud nihil apponam, quàm vix aliquid eſſe, quod ita mereatur ſanctam quandam invidiam in hac vita, propter ingentia bona interna, quibus à DEO cumulantur, qui accipiunt mala pro bonis, & non deſinunt benefacere ingratis. Experiaris, & mihi conſenties.

Sap. 16. 29.

Eccl. 29. 21

EXERCITIUM
De Tolerantia ingratitudinis Judaicæ.

I.

ITáne, bone JESU! nullum est genus afflictionis, quod subire non velis? super omnes ærumnas propter nos exantlatas, etiam sufferre dignatus es, ut omnes tibi essent ingrati, & beneficiis inimici tui uterentur pro instrumento ingratitudinis? benedictus sit amor, qui te fecit hæc pati! O purissime & suavissime JESU! sine me inspicere penetralia tui cordis. Ex una parte non est ullus, qui ingratitudinem pro suis beneficiis possit sentire magis, quàm tu; vel imaginari sibi, quantum ea molestiæ tibi attulerit: ex altera, cùm videatur ingratitudine siccari debuisse omnis affluxus beneficiorum in posterum; in pectore tuo scaturiunt majore copiâ & impetu erga illos ipsos, qui ea recusant; & cùm videntur obstruere venas illorum, erumpunt undique fontes uberiores bonorum. Adoro te, cor divinum! quis meretur amari, nisi tu, abundans in amando, abundans in benefaciendo, abundans in sufferenda omni ingratitudine? Nemo potest vincere magnitudinem, & bonitatem cordis istius. Vides ob oculos tuos extremam ingratitudinem, quâ conantur annihilare tua bona divina, & elevare beneficia omnia, pro quibus tibi rependunt injurias, despectus, tormenta, & mortem. Insurgunt contra te membra, quæ sanâsti; corda, quæ docuisti: nec tamen siccatus est fons bonitatis, quæ profluit ex hoc divino pectore, neque extinguitur fornax amoris, quo flagras; neque ipsis ingratis spem adimis majorum, ad quæ illos invitas, beneficiorum. O fons omnis boni! quid possunt hi desiderare amplius, cùm te habeant? aut quid causæ est, ut tibi grati non sint? Cùm non haberent, quod manducarent, tu eos saturabas: cùm quid eis deerat, tu non exspectabas, donec à te peterent, sed ultro succurrebas. In te medicum habebant & apothecam divinorum medicamentorum pro corpore & anima: tu sedabas illis tempestatem maris: tu dæmones ejiciebas: coram te saltabant claudi & paralytici, & multos tactu sanabas: tu tradebas eis sinceram doctrinam legis divinæ: tu reos illorum liberabas à

Cor Domini IESV.

pœna:

pœna: tu peccata condonabas: quid ergo poterat illis unquam deesse?

II. Regina Austri multò majore ratione ad te, quàm ad Salomonem diceret: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam: eò, quòd dilexit Dominus Israël, constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam.* 3. Reg. 10. 8. Viderat hæc regina solùm externa quædam bona, quæ mirabatur: in te, bone Jesu! vidisset potentiam divinam, sapientiam divinam, amorem divinum, & omnia bona divina. Et si gens illa fuit amata, quòd Salomonem regem haberet; quid ergo cogitandum, quòd habeat te? Et nihilominus, ne unam quidem gratiam agnoscunt ista corda ingrata, sed malunt potiùs vilia & terrena, quàm te: nec cessabit eorum ingratitudo, quoad à suis oculis te removeant, & interimant. Etiamnum plenæ sunt eorum plateæ, domus & regiones beneficiis tuis, & nihilominus te repudiant. Ah mi bone Jesu! cur non adimis eis vitam, sanitatem, & omnia bona, quæ largitus es, cùm nullam tibi gratiarum referant actionem, ac dona tua contemnant! Adoro cor hoc tam suave, pro his, qui te repudiant, & pro afflictione, quam sentis ex eo. Aperi, Domine, in meo spiritu fontem amoris, & ostende mihi radios tuæ lucis; ut possim agnoscere hoc malum ingratitudinis, & hoc bonum pectoris tui divini. Fac, Domine, amem, quod video in te, & horream hoc, quod repudiat te. Quid est enim, cur te dimittam? O quàm verum est hoc, quod tu dixisti, Domine, eos, qui non volunt recipere te, qui de cælo in nomine Patris tui venisti, plenus cælestibus bonis, recepturos obviis ulnis quemlibet alium, qui in suo nomine venit ad deceptionem eorum, & interitum: æstimant se pluris, quàm te; pluris mundum, quàm bona tua; pluris desideria sua, quàm tua dona: & vitam cum morte æterna mutabunt. Tu sentis mala eorum, & condoles; ipsi verò acquiescunt in illis. Atque ita, si comparentur inter se cogitationes ac sensus, illi non habent id, propter quod pereunt; & tu propter ipsos affligeris. Benedictus sit semper, & laudatus hic amor tuus infinitus & æternus.

III. Sed eheu mi Domine! pie & magne Tolerator cordium ingratorum! habeo semper, quod apud te plangam, & no-

vorum & veterum malorum : antiquarum & renovatarum plagarum, quas tu ſolus potes ſanare. Ego Domine, quamvis te non viderim in carne, credo tamen in ſpiritu, quòd omnibus, quæ feciſti in terra, infinitorum pro me theſaurorum abyſſos condideris. Nam æquè pro me ſolo natus es, ac pro aliis omnibus: & ſicut tu finem non habes, ita nec opera, merita & virtus tua unquam poterunt exhauriri vel abſumi: omnia reſervantur integra pro me: ex his gratiis vivo, his ſuſtentor, gubernor, ſum & ſpero credóque id, quod nondum video. Licet autem tu ſis talis cum his, quæ habes pro me; ego tamen omnium hominum ſum ingratiſſimus, & inobſervantiſſimus beneficiorum tuorum. Quomodo, mi Deus, aſſiſto coram te? quomodo audeo aperire oculos ad videndum te? Ah Domine, quid mereor, ſi miſerationes tuæ inſurgant contra me, omnia beneficia tua condemnent me, univerſa bonitas tua me confundat, & quæ pro remedio mihi præparâſti, me fugent & abigant à te? quid obſequii tibi præſtiterunt hi oculi, hæc lingua, hæ aures, hæc membra totius corporis mei, hæ facultates animæ, hic intellectus, hæc memoria, hæc voluntas, hæc anima, & hic miſerabilis peccator? vel hæ injuriæ, quas admiſi contra te? quas tibi laudes & gratias reddidi pro cælo, pro terra, pro elementis, pro vita & bonis temporalibus, quæ mihi largitus es? Imò quando non malè ſum uſus omnibus, cum ſumma ingratitudine, & offenſa tua? Jam ſi intravero paternum torrentem bonorum ſpiritualium, quæ mihi dediſti & promiſiſti, & ego perdidi, neglexi, quid me fiet, cùm judicaveris? O me miſerum atque perverſum! quid mecum jam foret, niſi me reſpexiſſes eâdem miſericordiâ, quâ pro ingratis es mortuus? Quando mi Deus, me viſitâſti ſuavi tuâ præſentiâ; cùm anima mea caperetur tua pulchritudine; cùm gravis illi eſſet res omnis, quæ avocabat à te; cùm nihil aliud ſentiret magis, quàm neceſſitatem curandi corpus ac negotia terrena; quid tunc videbam in te, Domine, cur tam citò te relinquerem, obliviſcerer tui, oblitus diſtraherer in alios amores, ita diſtractus repellerem veritates mihi perſpectas? Tu quidem nihil amittebas de tuo, ſed nec illa, quæ extra te ſectabar, deſinebant eſſe vilia & mutabilia, Quam ergo

Depl. ratio noſtra in gratitudinis.

Commendatio bonitatis divinæ.

cum

tum causam habui, te commutandi cum rebus, in quibus id non inveni, quod mihi tu communicas, cùm adjungo me tibi? Quando verò pœnitens errorum ad te reversus fui, tu statim me recepisti, statim es consolatus, & veniâ donâsti. Scivi, extra te nihil esse mihi opis aut remedii; & solùm adhærendo tibi posse salvari: quid igitur inveni in aliis rebus, quæ me separabant à te, ut reverterer ad eas te offendendo? O quàm me miserabilem reperio coram te, Deus meus!

NB. *Hìc in particulari recense beneficia D E I singularia, & peccata, quæ tibi condonavit; tentationes & pericula, è quibus te eripuit: & quo modo semper sis reversus ad vomitum. Et istud quidem cum magna humilitate, dolore & cognitione tui ipsius. Tum perge cum Davide Psal. 50. dicendo:*

IV. *Tibi soli peccavi*, quia te solum amare debui. &c. ut vincas misericordiâ tuâ, cùm judicâris de tolerata nostra ingratitudine. Ecce enim in iniquitatibus conceptus, & ideo ad eas propensus sum: quod te commovit hactenus ad misericordiam. Ecce enim veritatem dilexisti; cùm nos mentiamur tibi bonis propositis, quæ toties violamus. Sed tu mihi manifestâsti incerta & occulta sapientiæ tuæ, quâ inveniisti modum tui humiliatione me sublevandi, tuis meritis me ditandi, & tua passione meas ingratitudines compensandi. Unde confido, quòd asperges me hysopo sanguinis tui, & super nivem dealbabis. *Auditui meo, &c.* usque ad *Docebo iniquos, &c.*

V. Ditissima Regina cæli, Gloria pulcherrima paradisi, Puritas humanæ naturæ, Decus nostræ humilitatis! sicut in te gratia nunquam fuit otiosa, & per hoc sunt incomparabiles divitiæ cælestium tuorum bonorum; ita te Deus constituit perfectum remedium, & auxilium miseriarum nostrarum. Adjuva me, Domina, adjuva hunc ingratum, & meritum excludi ab omni bono. Admittar iterum per te in domum & amorem Domini, qui tam perfectam te fecit: & confirmer in illa, ut non ampliùs possim ejus oblivisci. O Cives cæli, securi divitiarum vestrarum, habete compassionem cum inconstantia & periculis nostris, qui adhuc peregrinamur in hac valle miseriarum. Impetrate mihi

jugem

jugem memoriam, & desiderium eorum bonorum; ut nauseem ista terrena, nec amplius muter, solùm ad consortium vestrum anhelans. Amen.

ÆRVMNA XXV.

De Ferventi desiderio Passionis, quod Dominus noster Jesus Christus habebat, ac simul de humano Timore ejusdem.

I.

Amor Christi summa tortura ejus.

Antus fuit zelus amoris, qui in pectore Domini flagrabat pro gloria Patris æterni, quam suâ morte toto mundo diffusurus; próque doctrina & veritate cælesti à se tradita, quam passione sua confirmaturus; ac denique pro Redemptione ac salute animarum, quam sanguine suo ad finem perducturus erat; ut, quamdiu vixit in hoc mundo, non habuerit sæviorem tortorem sui dulcissimi spiritûs, quàm hunc suum Amorem, non ferentem differri, quod desiderabat tantopere; facientémque, ut præsentiret ea, quæ sibi perpetienda sciebat: ut ita cruciatus, quo res tantas confici oportebat, diuturnior & plenior esset maximorum meritorum, quibus redimendi fuimus; & nos intelligeremus, non à casu sed ex antiquo amore, multáque deliberatione mortem ejus & passionem tam acerbam proveniisse, quam tantopere desideraverat, ac differri tam graviter tulerat. Neque ideo levior Passio fuit, quòd non ultra 20. circiter horas duraverit; quia non tunc solùm eam sensit, sed toto tempore vitæ suæ; dum eam, stimulante amore, & ad vivum repræsentante, naturæ humanæ sensu pertimuit.

Continuata per totam vitam.

II. Ac de ista quidem re partim actum jam est, in principio Incarnationis Domini, partim agetur infrà de Agonia in horto: nam in utero matris scaturiebant fontes dolorum. In horto plenâ cataractâ ruit impetus mortis istius amaræ; & utraque meritò seorsim consideratur, ob nonnnulla peculiaria, quæ ibi cernuntur: sed & continuatio fluminis istius per 33. annos, in amplissimo sinu cordis divini, sitientissimi dolorum, simul & sentientissimi,

tientissimi, materia fuit ærumnæ continuæ, quæ meretur peculiarem & considerationem & gratitudinem. Nam ei, qui semper cum voluntate crucis incessit, obligati sumus non obedientiâ solùm, quâ crucis mandatum acceptavit, & executione, quâ illi reipsa fuit affixus; sed etiam illo amore, quo per totum tempus vitæ illam desideravit, & imminentium sibi tormentorum cruciamentum, in sacratissima sua Humanitate sustinuit.

III. Continuum hoc desiderium, ac timorem simul patiendi, quo semper distinebatur, Dominus aperuit, illis verbis, amore fluentibus: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usq; dum perficiatur?* vocavit autem suam passionem baptismum etiam aliàs, quando filios Zebedæi affectantes primas in regno ejus, interrogavit, an possint bibere calicem, quem ipse bibiturus; & subire baptismum, quo ipse baptizandus erat. Quæ duo nomina calicis & baptismi rem suavem gratámque significant: neque enim amor aliud refrigerium noverat, quàm calicem, & balneum sui sanguinis, quo ulcera nostra sanarentur, quorum gratiâ de cælo descenderat. Abundat S. Scriptura laudibus istius Divini lavacri & sanguinis: vocat sanguinem novi Testamenti, & amoris: dicit nos eo lavandos; eum loqui apud Deum pro nobis; per eum Christum summum Sacerdotem intrâsse in Sancta sanctorum; per eum reconciliatos esse nos Deo, & remissionem peccatorum habere; & alia multa, quibus ostenditur, nobis omnia bona data per illum. Unde Apostolus dicit, sicut in vetere lege sine sanguine nulla fiebat remissio, ita etiam nobis veniam peccatorum dari solùm per sanguinem Divini hujus Agnelli. Et sicuti voluit Dominus baptizari à S. Joanne, ut aquis daret virtutem sanctificandi animas nostras; ita voluit ipse lavari sanguine suo; ut sciremus, non esse sanguinem iræ & mortis, sed vitæ & gratiæ. Omnia ista bona proventura nobis à sanguine suo, semper habuit in mente; neque aliud quidquam desideravit ardentiùs, quàm ut effecta darentur.

Quam multis modis ipse ostendit, Luc. 12. 50.

Hebr. 9. 22.

IV. Et quando sanabat infirmos, claudi ambulabant, cæci videbant, muti loquebantur, resurgebant mortui, & omnes lætabantur; ipse cogitabat, beneficia, quæ recipiebant tunc pauci in

& crebra innovavit recordatione.

corpore, virtute sui sanguinis innumeros toto mundo perceptu-ros in anima: neque potuit in ejus dulcissimo corde non existere summum desiderium ingentium illorum bonorum, quorum di-latione per tot annos non mediocriter affligebatur. Ex multis re-bus idem est colligere; maximè ex eo, quòd toties de hac re fecit mentionem: quod certum signum est, quid suo corde versaret. Nam qualibet occasione loqui solemus de eo, cujus desiderio ma-gno tenemur. Ita, cùm Dominus videret ingratitudinem Judæo-rum, subintulit ingressum Gentilium in illa bona, quæ ipsi nole-bant recipere: loquens de cibo & potu, digressus est ad refectio-nem sui Corporis & Sanguinis, quæ mundo vitam tribueret. Aliàs locutus est de ovibus, quas ex toto mundo convocaturus, & in ovile suum ducturus esset. Aliàs exultans spiritu dixit, multos ab Oriente & Occidente venturos ad mensam suam. Aliàs hortatus est discipulos, ut viderent regiones jam albas ad messem. Aliàs dixit, se, cùm exaltatus fuerit in cruce, omnia tracturum ad se: & sic omni occasione desiderium nostræ salutis expressit.

Luc. 12, 49. V. Unde cùm dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi, ut accendatur?* sciebat probè non accendendum, nisi baptismo sanguinis sui: cúmque videret hoc differri, addidit cum alto suspirio; *& quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* usque dum baptizer ego, & abeat totus mundus in flammas amoris Di-vini. Quæ major teneritudo? quis amor? quæ cura major inve-niri potest, quàm ista? Nescio, ubi oberrent homines, qui non mul-tùm conversantur cum Divino corde hujus Domini, tam nihil de se, tam valdè soliciti pro nobis omnibus & singulis. Hoc est cla-rum signum & speculum, in quo unusquisque potest videre, quàm propè, vel procùl absit à Domino, & quàm ei similes cogitationes habeat in corde suo. Nam desiderium nostræ salutis graves ei fa-ciebat omnes horas, quibus differebatur, ad quod anhelabat tan-toperè; licèt omnes magnis meritorum thesauris in bonum no-strum repleverit. Hæc sola cogitatio urgebat cor ejus perpetuò. Nos autem, qui per eum redempti sumus, desideriis ferimur omni-no contrariis rerum, à quibus abhorret Redemptor noster, & quas morte suâ voluit eradicare ex cordibus nostris. Saltem hoc

O quantus amor in corde Jesu! &

quàm pa-rùm reda-mamus amantem nos!

ausim

ausim dicere, quòd multi per tot annos vitæ suæ non reperiant unam horam ita curandi salutem animæ suæ, ut curant res eas, quibus perdunt salutem: neque tam timeant separari à DEO, quàm ab iis rebus, quæ ipsos à DEO sejungunt, & longissimè removent.

VI. O stultitiam illorum, qui omnem curam salutis differunt in ultimam horam, arbitrantes, inter illos timores reddendi rationem judici malorum perpetratorum in vita, & imminentium exinde pœnarum, & inter dolores animam exprimentes è corpore, se attendere posse negotio salutis, ut oportet! ac Deum, quem totâ vitâ neglexerunt, rebus, quibus tunc affligentur intenti, diligere toto corde super omnia, sine qua dilectione salus obtineri non potest! Non sic agebat noster fidelissimus amicus: unam horam destinatam habebat, quâ totum sanguinem suum, & vitam pro nobis effunderet; at reliquis horis omnibus vitæ suæ moriebatur, eò, quòd hora illa tardiùs adveniret. Si ergo illi non minùs debemus pro voluntate, quàm pro opere; profectò pro tot mortibus illi sumus obstricti, quoties totâ vitâ suâ recordatus est mortis obeundæ pro nobis: nam semper accendebat in se novum ejus desiderium, novam voluntatem, novam solicitudinem, & anxietatem de balneo sui sanguinis pro nobis perferendo. *Oblivio mortis periculosa.*

VII. Ex eadem voluntate & amore provenit altera pars continui sui tormenti, in quo degebat, metus ac sensus dolorum, quos erat passurus. Nam ut illos elegit ad contestandum robur, constantiam, & accurationem invicti sui amoris, non voluit unquam esse sine ista contestatione: sed quemadmodum in Passione per summos dolores ostendit stupendum excessum sui amoris, in corde suo flagrantis; sic toto tempore vitæ suæ fecit, ut sua Humanitas haberet semper animo præsentes, ac formidaret simul cruciatus immanes, quos toleraturus erat; ut his quasi lignis timoris ac sensûs Divinum suum amorem nutriret, ac desideria patiendi magis accenderet. Solent homines generosi in pugna semper quærere loca periculosiora, ut ostendant suam virtutem: & sicut per experientiam nôrunt, quanta sint pericula; ita cùm tale quid ingruit ex improviso, dum arma corripiunt, naturali quodam tremore concutiuntur: sed quando venitur ad rem, quò timidio- *Timor imminentium dolorum alterum tormentum amoris fuit in Christo.*

midiores antea videbantur, eò animosiùs dimicant, perrupto illo timore, longè alios se ostendentes, quàm apparuerint ante prœlium. In simili metu crudelis pugnæ vivebat sanctissima Humanitas Domini, amore illam ad generosè ineundam urgente: & inter has angustias, quas faciebant hinc metus, inde desiderium perveniendi ad mare immensorum laborum, semper vixit dulce cor ejus. Ideò, cùm dixisset, quàm gravis sibi foret dilatio baptismi cruenti, addidit: *Non veni pacem mittere*, sed separationem ab omni solatio, & gladium, seu pugnam atrocissimam inter dolores & ignominias: *Ignem veni mittere in terram*, qui volo, ut accendatur & crescat in prœlio contra tentationem rerum separantium à veris bonis, ut homines pugnando & amando acquirant vera bona, quæ illis ostendo ac præparo; eâdem viâ incedens, ac meum erga ipsos amorem demonstrans, quâ mihi suum volo probari.

Matth. 10. 34. Luc. 12. 49

VIII. Grandis est hæc lectio pro servis Dei, qui amore urgente illos ad magna, naturali infirmitate deprimi se sentiunt non sine alto suspirio. Dominus, qui tam magnificam fabricam posuit in tam debili fundamento, sic voluit, ut infirmitas naturæ, cui non consentit voluntas, nihil officiat perfectioni amoris; sed valeat potiùs ad eum augendum: quia sensus humanæ miseriæ, doloris & afflictionis, cùm viget spiritus, magis accendit intima desideria, & suspiria ejus libertatis, quam cupit habere; ut sine impedimento possit impendere se, sicut ipsum erga se liberalem experitur. Et quando se generosè resolvit ad ea, quæ caro timet, pergitque fortiter, quantùm per fragilitatem naturæ potest, in oculis amatoris sui Domini Jesu, conatus amoris ejus pluris æstimatur, pugna fidelior, amicitia sincerior: & ubi natura fatiscit, spiritus cum hoc Divino & experientissimo Duce acquirit nobiliores coronas.

De Transfiguratione.

I.

Ex præmio patientiæ per transf-

ET metum, & desiderium patiendi Christus Dominus noster ostendit in Transfigurationis mysterio: quæ fuit delibatio quædam divitiarum præparatarum amatoribus ejus, & crucifixis

ejus

ejus amore. Nam octavo die, posteaquam suis apertè tradiderat regiam viam sanctæ Crucis, qua solos suos volebat imitari se, nec eos pro suis agnoscere, qui non post se portarent crucem suam; æstuans desiderio, ut conspiceretur in cruce, de qua identidem loquebatur, decrevit eis dare aliquem gustum suæ gloriæ, ut suis crucifixis dilataret cor, & inflammaret eorum spiritum, experientiâ ejus boni, quod latet in cruce: & in ejus veritatis testimonium tres elegit ex Apostolis: S. Jacobum, qui primus eorum amore ipsius capite plectendus; Petrum, qui pro ipso in cruce moriturus; & Joannem, qui post fidelem assistentiam sub cruce, multis annis in incendio puri ejus amoris victurus erat. Cum his recessit in montem Thabor (quod nomen puritatem vel rem selectam significat) ibique cœpit orationi vacare; ut ostenderet plus in ea roboris esse quàm debilitatis in corde humano, ad perferendas molestias, quas oportet pro regno cælorum subire; vim quoque ad purificandum amorem, ac transformandum hominem, è statu terreno & vili in cælestem ac spiritualem. Sub oratione Dominus permisit gloriam animæ, quam ideo, ut pati posset, hactenus constrictam tenuerat, pro tempore derivari in corpus: facies ergo sole clariùs resplenduit, vestimentis præ nive candicantibus. Ex quo conjicias, si corpori miserabili, & corruptibili tanta gloria conceditur, quanta præparata sit animæ, quæ vivit solo amore Dei in ipsa regnante.

figurationem indicato.

crescit amor & desiderium patiendi.

II. Comparuerunt cum Domino Moyses & Elias, electi singulariter è Sanctis ant quis ad hoc mysterium, velut aptissimi testes amoris & ærumnarum; in quibus fundare cupiebat corda servorum suorum. Nam Elias pro honore Dei totâ vitâ suâ non habuit quietem à persecutione, & odio impiorum; & igneo curru sublatus è terra, documento fuit, afflictos in solo amore DEI reperire quietem ac solatium: illo enim sublevantur à cogitationibus rerum terrenarum, & afflictionibus. Moyses olim in præsentia & familiaritate Dei vivere solitus, ejus amore sustentabatur, quo factum est, ut fastidiens regales delicias in domo Pharaonis, mallet vivere cum populo Dei in ærumnis, quàm in aula frui voluptatibus: quo facto ostendit, quid amor Dei faciat in animabus, quas

Moyses & Elias arumnis exercitati.

possidet, omnem saporem terrenarum rerum eis adimendo, sive dulcium, sive acerbarum, in dies se magis magisque purificans.

cum Christo de arumnis agunt

III. Domino inter hos fideles amatores suos, & insignes amatores crucis ita constituto in gloria, quis exprimat, quid senserint, cùm viderent eum in corpore, quem tam ardenter desideraverant? intuebantur oculis pulchritudinem ejus corporis; fide autem vivacissima cernebant puritatem & beatitudinem animæ, cum flagrante amore, & maximis thesauris in ea reconditis, quos nullus hominum capere possit, ne dum verbis exprimere. Cúmque tam multa essent, quæ videbant ac mirabantur in illo, de nulla tamen re cum eo noverunt agere, nisi quam intelligebant ei dulcissimam & gratissimam esse; quæ fuit omnem modum excedens amor erga homines, ejúsque demonstratio per gravissima dirissimáque tormenta & ignominias, cum acerbissima morte crucis in Jerusalem. Et quemadmodum sæpe Dominus ipse cum discipulis distinctè loquebatur de flagris, alapis, probris, & cruce sua, tanquam de rebus, quarum unaquæque teneret omnem gustum, ac sensum animi sui: ita hi duo amatores illius, suspensi in admirabili ejus pulchritudine interna & externa, simul & in Divino amore, quo ardentem videbant, locuti sunt vel de spinis, quibus coronandus; vel de alapis, quibus deformandus; vel de lacrimis, quibus perfundendus; sive de tormentis, quibus per singula membra afficiendus, invictâ semper patientiâ; ac denique de triumpho amoris ejus, quo ad propositum sibi finem perducturus erat, quæcunque desiderabat. Notârunt inter hæc anxia ejus desideria, quibus dulce cor ejus aspirabat ad hæc omnia: viderunt submissionem, resignationem sacratissimæ Humanitatis ad ea perpetienda. Viderunt, quantùm accendendus esset amor ejus his veluti lignis: viderunt se advocatos, ut, quia discipuli hæc nondum capiebant, cum ipsis loquendo mitigaret nonnihil flammas & vim amoris, desiderio rerum illarum coarctati, & fructuum inde proventurorum. Atque in hac re sola consumpto colloquio, pleni solatio ab eo dimissi fuêre.

scientes, his eum maximè delectari,

Deus Pater Matth. 17. 5.

IV. Duo hîc præcipuè consideranda sunt. Primò vox Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*

placui ipsum audire. Quibus verbis non modò probavit amorem unigeniti sui erga homines, quem ipse quoque habuit ab æterno, easdem demonstrationes illius per crucem animo suo designans, & illi unà cum natura sua per generationem communicans: verùm etiam docuit, sibi solos illos placere, qui audiunt ipsum & imitantur: cùm dederit eum non pro Reconciliatore solùm & Redemptore, sed etiam pro Magistro & speculo vitæ. Unde etiam non dixit: de quo, sed in quo mihi complacui. Nam dicere, quòd complaceret sibi de illius divina persona, nihil attinebat, cùm id per se clarissimum esset: sed in illo solo velut in capite Ecclesiæ suæ placere ipsi, quotquot ei charitate conjuncti, & imitatione similes effecti sunt, hoc indicare volebat: sicut ipse quoque Dominus dixit, nullum fructum Patri gratum proferre posse eum, qui in ipso non manserit. O quot animæ sunt, quæ DEO non placent, quia in Christo non sunt! quidquid enim in Christo locum non habet, Patri æterno placere non potest: quia in solo Filio suo complacet sibi. Placent ei cogitationes, intentiones, actiones, quæ cogitationibus, intentionibus, actionibus Christi conformantur: quæ autem sunt tales, ut Christum puderet eas habere in se, DEO placere non possunt. Christum igitur solum audiamus, aliis omnibus aures claudendo.

uti Christum, ita & imitatores ejus unicè amat

V. Secundò consideratione dignum est, quod descendentibus illis de monte præcepit JESUS dicens: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quo præcepto innuit, neque intelligendo, neque coniecturâ assequi posse secretum amoris & crucis, nisi qui multùm & seriò tractaverit de rebus cælestibus. De S. Paulo dixit Dominus Ananiæ. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ostendit hoc illi in cælo; unde rediit sic illuminatus & accensus in hac doctrina, ut, cùm scripsisset, se ibi audivisse arcana, quæ non licet homini loqui, ea colligens in summam, concluserit, se nihil aliud novisse, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum: nam fuit ei deinceps tam familiare pati, quàm diligere. Ex quo intelligitur causa, cur DEUS, post casum Adami, suis amicis non dederit securam ac diuturnam pacem in mundo, sed majorem partem voluerit

Act. 9. 16.

eos

Gubernatio mundi dependet à prædestinatione Sanctorum.

eos versari in miseriis. Quia enim gubernatio mundi dependet à prædestinatione Sanctorum, quos DEUS habet in hoc mundo, velut in schola sapientiæ cælestis, & exercitio puri amoris; operuit eum tanto diluvio malorum, ut nusquam consistere, neque requiem possint habere, nisi in arca, qui Christus est: in hoc dat eis secretò pacem tam dulcem, suavémque, mundo planè incognitam, ut eximat eis omnem formidinem tribulationum, & amorem eorum, quæ mundus infatuatus magni æstimat: cúmque omnem suam cogitationem in uno Christo defixerint, alma in pace dormiant, & requiescant. Quare Dominus, cum triginta annis jactatus esset in immenso turbulentóque mari suæ Passionis, voluit his tribus discipulis ostendere secreta sui amoris & crucis, videlicet latentem in illis gloriam & pacem internam, præparatam veris imitatoribus suis. Voluit autem ista clàm haberi, donec plenè instituti essent in rebus cælestibus per sapientiam Spiritûs sancti, quia talium Mysteriorum capaces non sunt, nisi illustrati amore, sapientiâ, & conversatione cælesti.

Vnde propter solos Electos perseverat mundus, ut illi in hoc ærumnis exerceãtur

VI. Nolite igitur, O Christiani: exspectare mitigationem, neque intermissionem ærumnarum vestrarum in mundo; quia terra quietis ac pacis locus non est. Atque hoc expedit Electis, propter quos solos mundus conservatur, ut pacem in mundo non habeant; sed cùm vident eos, qui suas cogitationes extra DEUM collocant, ab iisdem rebus, quibus stultè adhærent, torqueri velut à carnifice, timeant amorem suum in eis collocare. Quærite pacem & consolationem ærumnarum, quas patimini, ubi inveniri potest: scilicet, in solo amore divino, & suavi conversatione cùm Christo, & experiemini magnam hanc veritatem, quam in corde suo inflammato sensit S. Augustinus post suam conversionem, cùm scripsit: *Quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat!*

Conf. l. 9. c. 1.

(o)

ÆRUMNA

ÆRVMNA XXVI.

Agonia in Horto.

I.

DOminus eodem planè modo exorsus est suæ passionis certamen, quo inceperat vitam in primo suæ conceptionis momento: scilicet à sensu doloris & mortis, quam erat oppetiturus, & simul gravissimorum peccatorum generis humani, pro quibus erat satisfacturus, quasi pro suis. Cùm igitur tempus affluxisset, quo decreverat implere mandatum Patris æterni, quod acceptaverat maximâ subjectione, gustu & amore, & ad quod se sponte obtulerat pro hominibus; voluit illud sic exequi, ut & in omni rigore plenè satisfieret Patri æterno, & infirma hominum corda simul animarentur ad amandum eum, & illuminarentur ad cognoscendum: nam hinc dependebat fructus, quem per hos labores avebat colligere. Et sicut ei nihil magis fuerat cordi, quàm ut compleretur, quod summè desiderabat; velut omnis moræ impatiens, appetente jam horâ, non expectavit, dum sanguinem sibi funderent carnifices, sed ipse misit se in tantos mœrores, ut nulla malitia inimicorum pares posset inferre: quæ ut furiâ suâ non poterat æquare immensum ejus amorem, sic etiam nequibat excogitare tot artes nocendi, quot ipse modos invenit sui amoris demonstrandi. Quare voluit nobis ab initio suæ Passionis evidenter constare, solo amore & liberâ voluntate se duci ad patiendum, quod nulla inimicorum vis potuit. Hinc etiam ivit ad locum, quem ob hoc ipsum frequentaverat, ut facilè inveniri posset ab hostibus: ac antequam illi venirent, habenas Humanitati suæ laxavit, ut sua tormenta præsentiens, in gravissimam agoniam descenderet.

Christus ut ostendat se solo amore adduci ad patiendum.

II. Etenim peractis altissimis mysteriis, & sermone prolixo, plenóque intimi sensûs amoris, habito ad discipulos, deducentibus illis ivit ad hortum Gethsemani, & mœstos ad orationem, fortissimum mœroris levamen, hortatus cum tribus, Petro, Jacobo, Joanne, longiùs recedens, vivâ imaginatione proposuit animo suo, tanquam præsentia, quæcunque toleraturus

Vitro in agonem descendit.

erat, acerbissimos dolores, tormenta diriſſima, ignominias, conculcationem ſuæ perſonæ, triumphos inimicorum, contemptum ſapientiæ ſuæ, irriſionem miraculorum, novas inventiones opprobriorum, ac denique omne crudelitatis genus, quod ipſi imminebat: & ut ſupra vires humanas erant hæc omnia, juſtíſque ab eo lancibus expenſa; is ortus eſt in ejus animo mœror, qui ipſi vitam extinxiſſet, niſi conſervata fuiſſet virtute Divinâ. Quod ipſe teſta-
Matth. 26. tus eſt, cùm dixit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Ac licet
38. ſe demiſerit ad aliquid ſolatii, & reſpirationis quærendum apud diſcipulos: tamen eos invenit ſic dejectos ex aſpectu ſui mœroris, à quo ſemper ipſi conſueverant animari, ut ſine ſolatio reverſus
verſ. 39. ad orandum diceret Patri: *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu.* Cùm autem videret, nihil remittere Patrem de rigore ſententiæ, adeò proceſſit triſtitia, ut agoniæ, quæ morientium eſt, vocabulo, cùm aliquid aptiùs non
Luc. 22. 44. inveniretur, expreſſa ſit. *Factus*, inquit Evangeliſta, *in agonia prolixiùs oravit.* Unde etiam inſolita naturæ lucta ſudorem ſanguineum expreſſit tam copioſum, ut per veſtimenta in terram decurreret.

Nec abnuit ſolatium

III. Voluit Chriſtus in hac agonia deſcendere ad ſe Angelum de cælo, non quòd ipſi deeſſet virtus ad corroborandam ſuam naturam; ſed ut omnes in afflictione poſiti diſcerent, ſui memoriam eſſe in cælo, neque defuturum ſibi robur à Deo, ſi ad ipſum confugiant. Porrò Angelus, qui non ignorabat, quis eſſet iſte afflictus, non multa verba in commemorandis argumentis conſolationis inſumpſerit; ſed potiùs in ſupplicando, nomine cæli ac terræ, omniúmque peccatorum, ut eis pro infinito ſuo amore dignetur afferre remedium, unius diei cruciatus & ignominias poſthabens gaudio, quod oriturum erat in cælo & in terrâ, ſublatis tantis neceſſitatibus: id, quod Apoſtolus indicat, ſcribens:
Hebr. 12. 2. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ.* Par eſt hîc, ut peccator, cujus gratiâ Dominus in hunc agonem deſcendit, petat ab eo ſpiritum ac teneritudinem cordis, ad ſentiendum, quod ille ſenſit, poſitus in tantis anguſtiis, ſine omni humano ſolatio, voluntariâ obedientiâ & ſubjectione ad illa perpetienda,

quæ

quæ tantopere formidabat natura. Certè nulla sunt verba, quibus id exprimi possit; sed nec intelliget quisquam, sine speciali dono, & spiritu Dei; quem convenit hîc petere.

IV. Ita deseruit seipsum, qui protegit omnes: ita desolatus fuit, qui consolatur omnes: ita contristatus, qui omnes exhilarat: ita voluit assumere similitudinem infirmitatis, imò ipsas infirmitates & ærumnas hominum, ut lucraretur eorum amorem, tanquam verus consolator, & fidelis comes afflictorum. Duæ verò causæ fuerunt, quibus in immensum aucta est ejus tristitia. Prima, immanis multitudo & magnitudo peccatorum hominum, quæ habuit omnia sigillatim præsentissima, cum justa ponderatione Divinæ injuriæ, & perditionis humanæ: qui proinde etiam solus poterat æstimare, quid mereantur. Secunda, quòd pariter animo præsentem habuerit innumerabilem multitudinem eorum, qui suâ morte non erant juvandi, sed sponte ruituri in æternum exitium. Nam ut levebatur ex una parte dolor certâ spe maximi fructûs; ita ex altera plurimùm exaggerabatur cogitatione eorum, quibus profuturus non erat; cùm tamen ipse pro suo erga singulos amore, zelóque honoris paterni, desideraret omnes juvare, & pati pro singulis: neque hujus tam acerbi doloris ullum erat solatium; sed acquiescendum fuit in fixo Patris decreto, volentis eum etiam pro his pati, qui fructum inde non capiunt.

Doluit vehementer gravitate peccatorum,

& multitudine peremptorum.

V. Tribus horis duravit hæc lucta, & oratio, quibus tanquam bonus Pastor, non oblitus ovium suarum, ter visitavit discipulos, quos semel iterúmque dormientes inveniens, ad vigilandum & orandum hortatus est: tertiâ vice, cùm jam adventaret proditor, dixit: *Dormite jam, & requiescite*: & paulò pòst: *Surgite, eamus: ecce, appropinquat, qui me tradet:* insinuans his verbis, ut S. Hilarius declarat, donec differebatur sua captivitas, vigilandum & orandum esse: quia inimicus liberiùs tum circumibat, quærens eis nocere; ac timor illis imminentis periculi non sinebat eos dormire: sed eo jam capto, securè illos dormire posse, certos de suo duce tam strenuo, qui seipsum hostibus opponebat pro illis.

Tres horas duravit hæc lucta.

Matth. 26. 45.

Quâ docemur, non desperare in afflictionibus.

VI. Mirabiles excessus amoris sunt isti; cui non potuit satisfieri, nisi Dominus in eum statum desolationis descenderet, ad quem ne afflictissimus quidem ullus cogitavit se posse venire; & pariter ostenderet, in se uno remedium esse timorum & periculorum nostrorum. Voluit autem sentire suos dolores, ut non putemus omnia perdita, quando misera natura nostra facit suum officium, refugiendo sibi contraria: & ut intelligamus, non judicari nos ex infirmitate naturæ nostræ, formatæ ex luto; sed ex obedientia voluntatis, quàm Deus magni æstimat. Voluit assumere tristitiam, & cruciatus ad mensuram suæ virtutis, ut confidamus, à Deo, à quo distribuuntur miseriæ hujus vitæ, nos non oneratum iri supra vires nostras, sed semper infra; nec sine auxilio majore, quàm mereamur; ut ex omnibus percipiamus proventum. Voluit ostendere in se duas voluntates contrarias; unam fragilitatis corporeæ, quæ refugeret pati; alteram rationis, quæ subjiceret se voluntati Divinæ: ne putemus nos separatos à Deo, quando caro contradicit spiritui; sed compellamus eam submittere se Deo, & intelligamus partem animalem non posse nocere animæ, licet opponat se legi Divinæ. Voluit Angelum descendere ad suum solatium, ne in afflictione putemus nullam apud Deum esse nostri memoriam. Voluit denique Christus à Patre petere relaxationem duri præcepti, quam nôrat se non impetraturum; ut discamus, consolationem Divinam non consistere in ablatione calamitatum, quas Deus immittit; sed in humili subjectione, & conformatione cum sua sanctissima voluntate, & in eo, ut semper simus ei per amorem conjuncti.

EXERCITIUM
De Agonia in Horto.
I.

Admiratio,

NOn fert amor tuus, mi bone Jesu! dilationem vel minimam: sic enim ille te urget, ut grave putes, duas vel tres horas expectare, donec capiaris, & initium facias ipse cruciatibus, quos hodie toleraturus es. Priùs, quàm crudeles milites te ligent vinculis, dulcis Jesu! priùs, quàm Gentiles & Judæi te inhonorent oppro-

opprobriis ; priùs , quàm feri carnifices carnem tuam lacerent flagris , & cruci affigant , tu ſacratiſſimam tuam Humanitatem conjicis in tantas anguſtias, ut lamentari cogatur, ſolatium à rudibus diſcipulis petere lethalis triſtitiæ, quæ tuo cordi inſedit. Tu, ô lætitia Angelorum ! non es , ſicut ego ; qui ſoleo vinci triſtitiâ, cùm exhilarare me volo ; & vis mœſtarum cogitationum perturbat me, quas nollem habere. Tu verò, Requies animæ meæ ! ſolo amore tuo victus , ei voluntariè te dedis ; & ille facit te cogitare de rebus , quæ affligunt cor tuum tam capax , tam & amplum , in quod confugiunt omnes afflicti ; ac velut homo ſentis , qualia nos infirmi ſentimus , miſerabili carne gravati. Nos patimur , ut filii Evæ : tu, bone Jeſu ! ut verus amator afflictorum filiorum Evæ. Non ſufficit tibi , Domine animæ meæ ! expectare , dum tranſeas per immenſa maria dolorum , derelictionum à Deo & hominibus , injuriarum , contumeliarum , & acerborum novorúmque cruciatuum ab aliis inferendorum ; ſed crucias teipſum vivâ eorundem repræſentatione per memoriam , ac ſi patereris ea jam reipsâ : & permittis naturam tuam præ timore jam algere , jam æſtuare, jam ſudore lethali perfundi, jam præ nimio angore bullire ſanguinem , & emanare mixtum ſudori , ſine omni ſolatio , lenimento , & refrigerio ; ac ſi pro te nihil uſpiam ſupereſſet confortationis, nec in cælo, nec in terra, nec in amicis, nec in Deo.

II. O mea vera fortitudo ! ſiccíne animo dejecto es ; dum imminet pugna cum hoſtibus , quos tu ſolus potes vincere ? quid factum eſt illo deſiderio patiendi , quod præ te ferebas , cùm diceres , te coarctari , donec fiat ? jam imminet , & tu formidas : tu, Lætitia animæ meæ ! es triſtis : quænam hæc eſt mutatio, bone Jeſu ? quis hic vigor , quod robur animi , quod in te, ſpeculo Divino, intuentes afflicti imitentur , à tuo exemplo , alacritate , vigore , & confortatione acceptâ ? benedicatur , laudetur , glorificetur , & adoretur infinitus amor tuus , Vita animæ meæ , & omne bonum meum ! quia vis per omnia mihi ſimilis fieri , & oſtendere , quòd nulla res te ad patiendum adigat, niſi amor tuus ; ut ſemper, & in omni re te poſſim habere pro ſpeculo , & ſocio miſeriarum mearum, & vero amico, unicóque illarum remedio. Nam te fortem & *& laus amoris Chriſti.*

generosum esse in patiendo, mi bone Jesu! quid mirum est, cùm sis ipsa fortitudo Dei? hoc tibi proprium est, & in ipso Passionis articulo apparebit, nihil esse, quo dejici possis: at hoc Divinum robur celare mei amore & gratiâ, debilitari, timere cruciatus, antequam veniant; sicut ego soleo, qui sum ipsa infirmitas & miseria: & velle, ut, sicut in me dolores incipiunt cum pavore & mœstitia, ita incipiant etiam in te; & quidem in tanta vehementia, juxta ampliſſimam capacitatem tuæ naturæ humanæ; hoc, hoc, mi bone Jesu & amor animæ meæ! quis facit, nisi solus amor tuus? Ego deberem hilariter ire ad patiendum pro te, & tu is ad assumendas supra te omnes meas miserias, ut in omnibus mihi similis & socius inveniaris. O Divine amor! tuus amor est carnifex tuus, sævior Judæis & Ethnicis, à quibus torquebere. Nulla dum adsunt flagella, nulli clavi, nulli hostes; & tu totus sanguineo sudore perfunderis, ut eo madeat terra, cui incubas. Quis extrahit eum è venis, nisi flagrans hic amor?

Ab eo petendum solatium tristitiæ.

III. Totus es amor, mi bone Jesu! ac totus ignis Charitatis ardentis. O si semper hucusque te proximè secutus fuissem, lux & perfecta opulentia mea! cur alia respicio? cur alia cogito? cur alia quæro extra te? Tam zelosus est amor tuus erga me, mi bone Jesu! ut etiam ad illas horas attenderit, quibus mea infirma natura videbatur non immeritò quærere aliquid relaxationis & solatii, videlicet horas afflictionis ac tristitiæ; in quibus ne solatium quærerem extra te, fecit, ut viderem te expertum easdem: ac proinde confiderent in te omnes afflicti, quibus sic didicisti compati. Ita, spes mea! ita, opulentia mea! voluisti mihi monstrare, me non protinus periisse, cùm timore percellor; non esse abjectum à te, cùm desolatum me video; non ideò tuum non esse, cùm dolent mihi mala, quæ patior: posteaquam tu, Dominus animæ meæ, totus fortis, & insuperabilis, incessisti per easdem vias debilitatis humanæ. Benedictus es, Domine! qui voluisti, ut miseriæ, quæ me gravant, & videntur extinguere ignem gratiæ, vique suâ frangere robur spiritûs, me ducant ad te, Deus meus, & easdem in te conspiciens respirem & animer, neque cogitem omnia esse perdita.

IV. Sa-

IV. O Sapientissime Cognitor, & Medicator miseriarum & infirmitatum mearum! tu probè scis, quàm grave sit naturæ, animam, quæ tibi placere cupit, videre totam coopertam tristitiâ & afflictione internâ; cùm sic desolata est, ut nesciat, quò convertat oculos, luctans cum tentatione, & aliis simul ærumnis, quas tu permittis accidere. Tu scis, quomodo frangatur omne robur Divinum & humanum; quomodo flaccescant fides ac spes; quomodo non sinatur erigere oculos ad res Divinas; & quomodo destituatur omni bono. Videtur sibi procùl esse à favore Divino, & ab humano nihil habet solatii. Videtur natura deserta, gratia abscondita: regnant in ea pavor & mœror, & variæ mutationes in horas: tentationes & cogitationes invalescunt: & omnia videntur ipsi contraria, & acerba. O amor Divine! ô amor fidelis! ô amice, qui in majore necessitate semper es magis sincerus ac vividus! cùm hæc à te tam sint aliena, tamen ea pati voluisti naturam imbecillem; ut in te, velut in speculum inspiciat; in te velut in fortitudine sua roboretur; in te velut in tutela sua animetur; in te, velut in præsentissimo & unico remedio confidat. Quis ego sum, amor Divine, ut mihi velis tam bene? ô si velles in me facere unicam mutationem, quantam facis in te! nimirùm ex imbecilli fortem, sicut ex forti factus es imbecillis: sed qualem tu me vis, Amor Divine! ecce me totum; si vis mihi dare vigorem, da; si me apprehendere, ecce me. Ego non possum te amare, nisi per te; non te debitè æstimare, nisi in te; non tibi inniti, nisi tu teneas me. Cùm ergò, mi Domine, tua esse debeant omnia, ne cuncteris me apprehendere ac possidere, & facias dein de me, quidquid voles; ut captus à te, me ipsum effugiam. Aufer mihi omnem gustum vitæ, omne humanum auxilium, omne desiderium solatii & lætitiæ, nisi in te, mi amor suavis ac dulcis!

Cui sine ipso succumbit humana infirmitas.

V. O quàm sum cæcus, stultus ac dejectus, quando quæro consolationem extra te, lætitia animæ meæ, quantumvis appareat bona! & quàm improbus, quando obliviscor amoris, quem debeo tibi, & vitam in peccatis transigo, quæ tibi causa fuerunt hujus tantæ tristitiæ, Deus meus! quomodo non mei me pudet, mi Jesu! qnomodo non desidero, ut me tellus absorbeat, cùm video

Cùm extra illum vana sint omnia.

video te plangere mea mala; sudare sanguine propter ea, in quibus delector & ludo? ô qui seipsum videret extra se! quare sum natus, mi DEUS! si tibi fui creaturus tantum mœrorem? infinita misericordia, juva me! Oro te per hunc tuum amorem, per hanc tuam tristitiam, per hunc sanguinem, quo sudas, unica spes mea! ut, posteaquam fui delectatus peccando contra te, deinceps patiar pro te. Da mihi, bone JESU! purum tui amorem, ut me videam, me agnoscam & abhorream; & in me vindicem cum dolore & cruce, quidquid cum delectatione commisi in Divinam majestatem tuam, quódque te sic affligit ac premit.

Oratio, ne pereamus.

VI. Et, ô Divine amor! cùm tristitiam tuam sic augeant illi, qui perituri sunt, adjuva me, & non permitte me perire: aperi mihi aures, ut audiam vocem tuam: aperi mihi oculos, ut perspiciam exempla tua: inflamma cor meum, ut percipiat dolores tuos; neque renovet unquam causas eorum. O vita animæ meæ! quomodo mihi non das sentire, quod tu? peccata mea plangere, sicut tu? quærere te, sicuti quæris me tu? quid faciam, Jesu bone? ego me offero, & consigno totum amori tuo. Tracta me, ut vis: muta me, sicut vides mihi necessarium esse: alliga me, sicut vis: purifica & expoli me, sicut placet: duc me semper tecum: utere me pro servo, sicut nosti mihi expedire, Deus meus, amor meus, auxiliator meus, & omne bonum meum!

O Mater Dei sacratissima! quæ hâc eâdem horâ manebas in tuo conclavi, cum Domino sentiendo cruciatus ipsi paratos hâc nocte, quos non ignorabas, & quorum omnium ego sum causa. Da mihi, Domina mea, partem sensûs istius, & veram detestationem malorum meorum, quibus tantam tristitiam Domino meo, tantam afflictionem intuli tuo cordi. O Curia cælestis, fundata & ædificata in sanguine & doloribus hujus Domini! impetra huic misero peccatori amorem, & gratiam, quæ scaturit è sanguine Divini hujus Domini, ut in tua societate perpetuò gaudeam sacris amplexibus istius veri ac dulcis mei Amici,

Amen.

EXER-

EXERCITIUM

De Oratione Domini in Horto.

I.

CUr non à te disco, Divine Magister! ubi quærendum sit mihi remedium & consolatio, in afflictione ac tentatione constituto? an apud Patrem tuum, qui te vult mori pro me? apud suum amorem, qui se offert pro meo remedio? apud ipsam manum divinam, quæ te affligit extenta supra te? tu ipse eò non confugis, quia scis nihil remissionis futurum. O me miserum! ideo durant meæ perturbationes & ærumnæ, quia non statim cum illis ad te venio. Te video, speculum Divinum animæ meæ, affluere sanguine, plenum tristitiâ. Te video in oratione visitari de cælo ab Angelo: & quando videbaris maximè dejectus esse debere, obviam procedis illis, qui te comprehensuri sunt; ac tanti facis obedientiam Patris, ut non sustineas te defendi, vel etiam comitari à tuis discipulis. Subitò, amor animæ meæ! te ostendisti contentum eo, quod horrebas tantopere: tam promptus ad illud, quo contristabaris, quasi esses alius à teipso. Cur igitur, gaudium animæ meæ, consolationem quæro extra te? quis eam dare potest, nisi tu? Te adoro, Divina & amabilis manus! quæ castigando solaris, tribulando animas, affligendo exhilaras, prosternendo elevas, occidendo das vitam; meritò contristor, cùm fugio à te, & non agnosco amorem paternum, quo facis omnia; & quo me prosequeris magis, dum me affligis, quàm ego, dum solatium extra te quæro. Totus sum miserabilis, ô bone JESU! quia te fugio, quando me affligis: quia non quæro in te solatium; vel quæro secundùm meam voluntatem, & amorem proprium, qui impedit ea, quæ facere velles in hac anima: libera me à meipso, Deus meus! quia meipsum perimo, & impedimenta pono gratiæ tuæ, luci tuæ, & beneficiis tuis; in omni re sum, qualis sum; sana me Deus meus, qui in omni re es, qualis es.

Affligimur, ut confugiamus ad Deum.

II. Sed quid est hoc, Domine mi, quòd dicis Patri æterno, ut non fiat voluntas tua, sed sua? in te, bone JESU, amor animæ

meæ! qui peccare non potes, tum per naturam, cùm per immensa flumina gratiæ & veritatis, quæ in te sunt, potéstne esse voluntas contraria Patri æterno? Ita recordaris, Domine & spes mea! necessitatum mearum; ita accuratus es in singulis persanandis, ut etiam talem voluntatem admittere volueris absque peccato, ne despondeam animum in motibus naturæ, cùm ratio illis non consentit; sed sperem me non judicandum, nisi secundùm voluntatem determinatam, quâ te quæro, vel fugio; tibi servio, vel resisto. Benedictus sit amor tuus, qui tam est liberalis erga me, ut usque ad motus, quos miseria mea sentit contra te, demiseris te, & me docueris per eos accedere ad te; ut occasio sint mihi majoris meriti, & exhibendæ obedientiæ, amoris ac fidelitatis. Verè, Deus meus, tu Pater es hujus miseri peccatoris, & amicus hujus animæ tristis ac pauperis. Quando te cognoscam? quando intelligam? quando amabo ex toto corde? quando te quæram, ac tibi obediam sine omni contradictione? quando ex intimo corde semper, & in omni re dicam, ut fiat voluntas tua, non mea? ubi sum promeritus ego, Deus meus, ut guberner à tua divina, paterna, & amabili voluntate? quando malè mihi fuit eam sequi? quando bene, meam facere? Tota curia cælestis, ab Unigenito tuo, & sacratissima Virgine Matre, usque ad totam multitudinem beatorum Angelorum & hominum, sine cura sui ipsorum, solo studio obediendi tibi, evaserunt in eam felicitatem, in qua sunt, erúntque in æternum, solâ tuâ divinâ voluntate gubernati. At ego vilis vermiculus volo gubernari à meipso? elementa, & corpora cælestia tuâ gubernatione servantur sine errore ac detrimento: & ego terræ pulviculus præsumo aliquid esse, separatus à tua obedientia? Tu, mi bone Jesu! dignaris cogitare de me, cùm habeas tot servos, tam puros, tam insignes amicos; & ego fugio & recuso amabilem tuam gubernationem, & volo sequi meam propriam voluntatem?

Optimum est, gubernari à Deo;

pessimum autem, regi à se ipso,

III. O me pauperem! ô miserabilem! ô centies millies infelicem ac cæcum! ego censeo me nôsse, quid mihi conveniat; & non video mala mea, & quomodo decipiar, quámque non possim videre me, sine te, qui es lux cordis mei. Sine te affectus, ac

passio

passio excæcat me in rebus meis; neque intelligo, quid mali mihi immineat, quid mali inferam mihimetipsi. Scio malum è bono facere, bonum è malo non scio; sine te scio peccare, sed non agere pœnitentiam: scio me onerare miseriis, & immittere in varias tentationes, occasiones, pericula, sed non ex illis emergere: scio in me destruere bona, quæ mihi das, & ad extremum totus jam corruptus, expers remedii, ac pertæsus mei ipsius, & eorum, in quæ me conjeci, revertor, à te quasi collo tractus, sine viribus & robore: & ne tùm quidem desino præsumere de me, ut me totum tibi committam; sed volo, ut cures res meas, sicut ego volo & imaginor; neque tibi fido. O cæcitas! ô miseria! video tanquam cæcus; me guberno ut ignorans; volo & non volo, ut improbus; me consolor, ut brutus; me affligo, ut imbellis; neque tamen me subjicio tibi plenè, ut servus. O vere Pater misericordiarum! condona mihi has insanias, & fac semper voluntatem tuam, non meam. O viscera paterna, quæ me videtis! quia es verus pater hujus ignavi ac perditi filii, tu me sustinere debes, tu curare. Non tracta me, sicut mereor; sed sicut postulat hic amor, quem erga me geris. Tu, Deus meus, & amor animæ meæ! me gubernas cum sapientia & amore: ex omni malo elicis bonum: ipsa damna, jacturas, tentationes, afflictiones, in quas me conjicio, arripis pro mediis & viis rectis ad bona, quæ mihi vis dare. Eâdem viâ, quâ me censeo perditum iri, tu me ducis ad optimum finem: ut sapiens, omnia vides: ut amantissimus Pater, omnia bona mihi cupis: ut medicus & amicus, sanas omnia mala mea: & ne sic quidem tibi penitùs fido.

IV. O bone Jesu! ô vere Pater animæ meæ! fiat voluntas tua, non mea, in omni, in omni, in omni re: concede mihi, ut hoc, *In omni re*, sit sine omni exceptione, & ut hæc resignatio sit ex toto corde. Dirige me, Deus meus, cùm erro: fac me reverti ad te, cùm secedo: retrahe me, cùm fugio: amplectere me, cùm te quæro. Propter hanc voluntatem apprehende me, & non secundùm miserias meas judica me, Deus meus! Tu vides, quàm sim liberalis in offerendo, & quomodo deficiam in implendo: sed omnia supplet amor tuus. Hâc voluntate malo vivere in ferro, in catenis, in potestate inimicorum, afflictus, desertus, tribu-

Resignatio in voluntatem DEI.

tribulatus; quàm vivere juxta meam, qui sum infelix, cæcus, pauper, pavidus & perditus; unico momento, quo monstras unum è radiis tuis, omnia fiunt dulcia, & sapida; & quæ videbatur via distorta, apparet postmodum rectissima & securissima. Ergo mi Domine, si mihi non expedit esse lætum semper, & in consolatione, arripe hanc debilitatem meam ad rationes tuas, & me tracta, ut lubet, & in omni re tene me sub manu tua: & si me obtinueris, fac purè ac simpliciter voluntatem tuam, non meam.

O sacratissima Dei Mater, & obedientissima ancilla ejus! quæ etiam in hoc ipso tempore offerebas & resignabas te Patri æterno, ad eundum cum ejus ac tuo Filio ac Domino, & patiendum cum ipso; quia noveras jam instare tempus Passionis ejus, & intelligebas, hanc esse divinam ejus voluntatem: ac licet non mediocriter tantùm sentires, nihilominus tamen offerebas te ad id genus ærumnæ. Imprime, Domina mea! hanc veritatem animæ meæ: corrobora voluntatem meam, ut semper insistat hanc viam, & nihil unquam velit, nisi quod Filius tuus de me statuerit. Aufer à me omnem aliam voluntatem, & omne humanum desiderium; quando hæc sola via est placendi Deo meo, ac Domino meo. O Angeli, & Sancti, purissimi & lucidissimi spiritus! juvate me, & impetrate mihi ab hoc Domino, ut non mea, sed sua divina voluntas perfectè impleatur in hac miserabili terra, sicut eam vos facitis in cælo. Amen.

ÆRVMNA XXVII.

Falsa amicitia, sub qua Christus est venditus.

I.

Malum grave falsus amicus.

Dum Christus post ultimam Cœnam discipulis traderet doctrinam cælestem, prolixo, ac teneri affectûs pleno sermone, & oraret, sudarétque in horto; ejus falsus amicus fuit solicitus de exequendo proditionis consilio. Placuit Domino nostro experiri hoc genus ærumnæ ab eo, qui ipsi obligatissimus erat: & cùm non posset, neque deceret ipsum pati omnia malorum genera,

eleg-it

elegit ea, quibus humanum cor solet magis affligi; cujusmodi est falsa amicitia, & proditio; quæ, quàm sit gravis, non capiet is, qui tam est agrestis, ut nesciat habere vel conservare amicos, aut eos curare: quòd est magis bestiæ, quàm hominis culti. At sacra Scriptura inter summa bona ponit fidelem amicum. *Amicus fidelis*, inquit, *protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius.* Ac proinde pro magna calamitate habet amicitiam falsam, præsertim, si prolabatur ad publicam ignominiam, & infamiam, prodendo arcana, & agendo aliquid in præjudicium amici: quod sapiens valde exaggerat, nec immeritò. Nam quia amicus est alter ego, cui omnia mea secreta committo, & communico, quidquid jucundum vel molestum accidit mihi, quasi esset altera mea persona, & anima mea habitaret in illo; si fœdus ineat cum hostibus meis, & iis, quæ de me novit, abutatur in meam perniciem, amicitiam meam in venenum convertens; hoc, si aliquandiu possit dissimulari, tamen æquo animo tolerare non est, nisi specialis ac potentis gratiæ Dei. Quia hoc genus mali tam est adversum naturæ, ut pro non exiguo miracnlo sit habendum, si cor humanum id patientiâ perfectâ sustineat. Non desunt magni Doctores, qui de hoc genere ærumnæ loqui censeant Apostolum, quando scribit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet:* falsos fratres intelligens, à quibus, tanquam submissis à diabolo, vexabatur, dum ejus doctrinam impugnarent, ejus authoritatem evertere nitentes, à quo fidem Christianam erant edocti; quam persecutionem ita sentiebat, ut instanter à Deo contenderit liberari ab illa: plus tamen non obtinuit, quàm promissionem gratiæ ad sufferendum.

Eccli. 6. 14.

2. Cor. 12. 7.

II. Christus Dominus noster hâc in parte passus est, quantùm nullus mortalium. Omitto nunc falsitatem Pharisæorum, cùm illum invitarent ad mensam, honorarent, laudarent in faciem ficto animo, & insidiando dictis, actionibus, & vitæ ipsius; licet vicissim ab eo multum favoris & beneficiorum haberent. Sed quòd inter duodecim, quos pro columnis Ecclesiæ suæ elegerat,

Qualis erat Judas proditor.

multis gratiis ornârat, & velut amicos fecerat arcanorum ſuorum participes; quòd, inquam, inter eos fuerit unus, qui eum venderet hoſtibus, hoc conſiderandum eſt. Cœperat ante paucos dies, cùm Domini caput Magdalena pretioſo unguento perfunderet, murmurare palàm, quòd non potiùs pretium unguenti diſtribueretur pauperibus: non tam horum ſtudio, quàm avaritiæ ſuæ: *Ioan. 12. 6.* *quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Ergo, ut lucrum, quod ex pretio unguenti effuſi perdiderat, reſarciret, Dominum ipſum hoſtibus, in omnem ejus capiendi ac perdendi occaſionem intentis, perfidus vendere ſtatuit; ſive poſtea Dominus miraculo ſe ab illis liberaret, ſive interiret, non curans; modò ſuæ crumenæ foret conſultum. Et credi poteſt, nebulonem Judæis multa mala dixiſſe de Chriſto; ut, quòd commendans contemptum divitiarum & mundi, accederet menſas divitum, pretioſis unguentis uteretur, manducaret cum inimicis illorum, imò etiam cum improbis; & alia, quæ homini jam pertæſo familiaritatis cum ipſo, dictabat mens improba, & ſenſui Judæorum conformia & accepta: pollicendo ſimul, ſe illis optimâ occaſione traditurum eum in manus, cùm ſolus, & ſine multitudine ipſum ſequi ſolita, poſſet inveniri. Collaudant illi ſtudium hominis pro bono communi, & honore divino: ſtipulantur triginta argenteos, ſi rem perfecerit, juxta illud Prophetæ: *Appenderunt mer-* *Zach. 11. 12.* *cedem meam triginta argenteos, pretium, quo appretiatus ſum ab eis.*

Chriſto moleſtiſſimus. III. Peracto venditionis contractu, perfidus monet illos, parati ſint; non tamen ſe moveant priùs, quàm ad eos ipſe redierit. Deſtinârat ipſe flagitio tempus & locum, quo Dominum ſciebat frequenter orare, ſine turbis eum ſequentium. Ergo diſcumbit cum illo; cúmque Dominus diceret, illâ ſe nocte ab uno ex duodecim traditum iri, impudentiſſimus audet cum aliis interrogare, an ipſe ſit, ſuæ ſibi nequitiæ conſcius. Tum permittit ſibi cum aliis à Chriſto lavari ſceleratiſſimos pedes; audit doctrinam è divino ejus ore cæleſtem; recipit ore polluto ſanctiſſimum Sacramentum, ac dignitatem ſacerdotalem; in omni hoc tantorum beneficiorum genere par aliis habitus à mitiſſimo agno. Cúmque nihil horum cor ejus ferreum permoveret, Dominus moram ſuæ

Paſſionis

Passionis jam inutilem non ferens, hortatur, ut abeat: *Quod facis*, inquiebat, *fac citiùs:* condiscipulis opinantibus eum aliquò mitti eleemosynæ ferendæ causâ: at ipse impiger abit ad executionem pestilentis propositi. Quantum autem Christus senserit hanc perfidiam discipuli, David à filio suo similia patiens, in figurâ Domini, verbis expressit valde patheticis. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, Dux meus, & notus meus, qui mecum simul dulces capiebas cibos; in domo DEI ambulavimus cum consensu.* Denique satis est, quòd Christus, qui acerbissimos cruciatus pertulit cum summo & admirabili silentio, dolorem tamen hunc minimè dissimulaverit, apud discipulos, & ipsum quoque Judam conquerendo. *Psal.* 54. 13.

IV. Ab hâc falsâ amicitiâ dignatus est Christus ærumnas Passionis ordiri; quæ feriit cor ejus, & iusto dolore affecit: in eâ dedit mira exempla mansuetudinis ac patientiæ. Utinam autem solum Judam habuisset proditorem ac falsum amicum! sed eheu! nimis quàm multos ejus sodales habet in mundo. Quot enim hodie Christum venundamus, & ejus beneficia vilissimo pretio deliciarum & existimationis mundanæ commutamus, illis nos mancipiantes in ejus injuriam? & licet hæc jam illi dolere non possint; doluêre tamen jam tum, quando proditus à Judâ, habebat animo præsentia, & videbat, quot falsos fratres habiturus esset in Ecclesia, pro quibus ibat ac tradebatur in mortem. Ejus amicitia semper durat; & infidelitas nostra procedit crescítque in dies. Quod si non ita est, examinet quisque seipsum, quando tam studiosus fuerit honoris divini, ut pro illo vel apicem dimiserit honoris mundani: quando pro amicitia hujus Domini fastidium ceperit cogitationis vel gustûs terreni: quando non expleverit voluntatem suam, ut esset Christo fidelis? Equidem credo, si verè nôssemus nos ipsos, tantum in nobis esse de Juda, ut non minùs habeamus queri de nobis, quàm de illo. Jam si addamus, quoties cum his peccatis ingressi templum, è genibus eum salutemus, vocando Patrem, Amicum, Dominum; cùm simus alieniissimi ab ejus amicitiâ, cum quo agimus apud altare, & in domo ejus, tanquam *eni multi non absimiles.*

tanquam ipsi familiares, interim pacta contra ipsum, ac legem & amicitiam ipsius ineuntes cum diabolo, carne & mundo: non est dubium, Christo majorem causam esse querendi de tot falsis amicis, à quibus plures proditiones fiunt, quàm ab impio Judâ.

Quales etiam experiuntur servi Christi: quos animat suo exemplo.

V. Sed & magnam fidelium amicorum suorum rationem habuit Christus, dum hoc genus ærumnæ suscepit: vidit enim, quantum patiantur à falsis amicis, quicunque sincerè volunt Deo servire: habentur enim pro molestis, pro hypocritis; singularitatis notantur, observantur in eis aliquæ minutiæ; quidquid agunt, malè accipitur; zelus eorum judicatur passio & imprudentia: fuga divinæ offensæ censetur odium aut inurbanitas: omnia denique vertuntur eis in malum; & impugnantur suâ propriâ virtute. Ista quanti constent probis, experiuntur ipsi; ac novit Deus, qui videt, quantum in hâc re sufferendâ indigeant suo auxilio: neque enim hîc juvat humanum solatium; quia cum simplicitate incedunt, neque modum quærunt se defendendi, neque industriam hæc impediendi, quæ perferunt: sed cum charitate student illuminare & convertere suos adversarios. Interim hi omnia conantur vertere in venenum, & eis nocere, semper superiores, semper succumbentibus innocentibus, dum tacent & conflagrant afflictione continuâ. Hîc videbat suos amicos Christus, monstrando eis exemplo suo, hanc esse veram viam vincendi & effugiendi omnem humanam amicitiam, totum affectum collocando in eo, in quo omnes amici & inimici purè ac sincerè amantur, & à quo falsi amici cum patientiâ tolerantur: & quisquis hæc suscipit & amplectitur, veluti missa ab unico & verò amico; hic in eo recreatur, consolationem habet, & securè confidit.

EXERCITIUM
De falsa Amicitia.

Ah isti humanitus regustam.

VOluistine, amor cordis mei, spes mea, & vita animæ meæ! experiri etiam, quàm grave sit habere falsum amicum, & proditorem tam spurcum, qualis fuit Judas? & eum quidem adhibuisti mensæ, ut recipiat favores tuos, & audiat sermones divinos, tanquam sincerus amicus, cùm jam haberet cor plenum felle ma-

le malitiæ, & constituisset te tradere tuis inimicis, quibus te vendiderat, intentus occasioni exequendi ferum propositum! O Divina Sapientia, quam non latebat cor proditoris istius; quomodo sustinuisti eum aspicere bono vultu inter cæteros Apostolos, te sincerè amantes? Lavas ei pedes, confers dignitatem Sacerdotalem, porrigis ei sacratissimum tuum Corpus & Sanguinem, & ne confundatur, tegis ejus malitiam. Talis es tu, bone Jesu! & talis est amicitia tua, quæ ex tua parte nunquam deficit. Suffers proditiones, semper desideras & quæris reconciliari animabus, deliniendo eas amore, emolliendo beneficiis; & gratiâ tuâ conaris frangere earum duritiem. Ecquid habes tandem ab amicitia nostra, Domine, ut etiam proditores admittas? Sed hæc, mi bone Jesu! proprietas est amoris tui, ut nunquam retrocedat, sed maneat semper constans, etiam quando te fugimus.

II. O Gloria & beatitudo mea! cùm tu solus mererearis amari à nobis, voluisti mihi ostendere tuum amorem erga me, subeundo tam gravem æsumnam falsæ amicitiæ; ut, cùm debilis mea natura se invenit in simili, te habeat socium rei tam acerbæ: ad hoc te amor compellit. Sed etsi tu pati hoc velis, Domine; quomodo cor humanum, quod unquam tecum egit, te audivit, & à te tanta bona accepit; quomodo, inquam, potest in talem proditionem prolabi, ut fideliter tecum non agat? Conversatio tua capit animas, amor tuus rapit corda, exemplum tuum corrigit errores vitæ, sermo tuus docet omnem veritatem, suavitas tua medetur omni necessitati, humanitas tua levat omnem tristitiam: nihil habes, quod sit notius, quàm liberalitas, veritas, & fidelitas amoris tui: & nihilominus tamen, ô spes mea! invenitur cor humanum, quod infideliter tecum agit, ac proditoriè! ô quàm te hoc affligere debuit, cùm tam sincerum amatorem pecuniâ vendidit tuis inimicis, ut satisfaciat eorum desiderio te perimendi!

Mirum est, ullum posse in Domini proditionem delabi.

III. O fidelis amice, & refugium hujus animæ! Nemo securus est, nisi, qui arctè tibi conjunctus est: & quò majora sunt dona à te profecta, eò gravior & periculosior casus est animæ, quæ recedit à te. Quomodo ergo meipsum non timeam? & quomodo non semper altâ voce misericordiam tuam inclamo, cùm

Nemo tamen ab hoc malo securus.

videò me circumdatum naturâ tam corruptâ, è quâ nasci potuit tanta ingratitudo & fidelitas erga te? ô bonitas infinita! potente manu tua me sustine. Si dæmon è tuis, te præsente, Apostolum deducere potuit in tantam perditionem; quam ego mihi securitatem promittam? Si te S. Petrus negavit, quòd nimiùm de se confideret; quid me fiet, si tu curam infirmitatis meæ non suscipias? Humilia me, Domine, & uni me tibi, bone Jesu! quia sine peculiari gratiâ tuâ semper maneo idem, qui te facilè amitto ac desero: & quando me puto securiorem, tunc agito majores proditiones, & infideliorem ostendo me amori & gratiæ, quam exhibes mihi.

Judas vilipendit Jesum.

IV. Miror Judam, qui adeò pro nihilo duxit te amittere, ut sine omni verecundia te per osculum pacis & amicitiæ prodere, omníque amore & affectione tui amissâ te venderet, paucos argenteos habere volens magis, quàm te, in quo sunt summæ divitiæ: & ego meipsum non respicio: quoties enim finxi, & rebus tuis usus fui pro medio consequendi, quod volebam, & satisfaciendi cupiditatibus meis? quoties, cùm abundarem gratiis tuis, eas permutavi cum vilissima delectatione terrena? quoties malui gaudere hominum favore, quàm tuo Divino consortio? quoties proditor fui, te vendendo pro abominationibus, quas vides in hoc misero meo corde, non auscultans Divinis tuis inspirationibus, neque doctrinæ tuæ, quam legebam, intelligebam, credebam; neque gratiis tuis, quas accipiebam identidem? ô infinita misericordia! ignosce mihi, posteaquam necdum satis coram te erubesco, quantùm exigerent mea peccata & proditiones. An tibi fortè non satis est unus Judas, Deus meus, ut me quoque sodalem ejus habere velis?

Agnitio propriæ perfidiæ.

V. Revertor ad te, Deus meus, & sincerus amicus meus! & abjicio me hîc ad sacratissimos pedes tuos, agnoscens omnem perfidiam & insinceritatem meam, quâ te tractavi. Ignosce mihi, Domine, & satisfac tibi de me, sicut placet; modò ne sinas amorem tuum cum Juda amittere, posteaquam revertor ad te. Recordare, Domine, quantum feceris ad emolliendum cor Judæ; quantùm frustra laboraveris, & ejus perditione dolueris. Ergo, Domine,

mine, eundem amorem, qui non est particularis, sed generalis erga omnes peccatores, ostende mihi jam, cùm ad te venio, me tibi consigno, me reum sisto. Tædet me esse, qualis sum: tracta & forma me, ut vis; modò cum misericordia me recipias in amicitiam tuam: quamvis fuerim, Domine, inter proditores, repone me in numero verè conversorum. Amor tuus triumphat convertendo peccatores, & ex proditoribus fideles faciendo, ex inimicis amicos. Converte me ad te, bone Jesu! & fac me sincerum & fidelem amicum usque ad mortem.

VI. O amor animæ meæ! quomodo tantum permisisti Judæ, ut te veluti mancipium posset vendere? tantum haberet potestatis in te, ut posset te tractare talibus modis? ô bonitatem! ô verùm amorem: Ita es tu, bone Jesu! ita totum te tradis: ita monstras te esse verum amicum animæ, ut, cùm te illi tradideris, permittas te ab illa tractari, sicut vult. Infelix est ille, qui te uti non scit, quique te fugat à se. Felix ille, qui te amplectitur, ac tenet pro unico suo thesauro. O si tu scires, Juda, fœnerari cum hoc Domino sine pecunia! noli timere Judæos: illum trade mihi, ego emam eum, ut mittam in hanc animam, ei serviam, eum adorem in ipsa. Quomodo, mi bone Jesu! non accurro cum toto amore, totâ animâ, totâ voluntate meâ, quando hæc video? non vis me aliquid habere, quod magis meum sit, quàm tu, qui es omne bonum meum. Tu meus pater es, meus frater, meus amicus, meus thesaurus, meus cibus & servus: quo jure & modo homines aliquid habent pro suo, eodem titulo tu vis esse meus: ô quàm te sum dives, mi bone Jesu! tu es unus, & servis mihi pro omnibus rebus. Accepto te, bone Jesu! pro omni meo bono: amplector te pro unico meo thesauro: & volo te habere pro tota beatitudine mea; & amodò abrenuntio omnibus rebus humanis. Cui tu, vita animæ meæ, non sufficis, quid amplius desiderat? aut quid ei sufficiet? infirma, imò jam perdita est anima, quæ te contenta non est. Tu es unicum & singulare meum bonum, unicus opulentissimus thesaurus, unica beatitudo mea. Tecum sum dives, sine te pauper: tecum abundo rebus omnibus, sine te mihi desunt omnia. Veni, bone Jesu! in hanc animam; diligamus nos, & possideamus nos

JESUS prætiosus thesaurus.

semper, sine separatione unius ab altero, regna tu in me, & ego vivam semper in te, ô totum bonum meum, beatitudo mea, amantissime Jesu!

IESVS amicus fidelis.

VII. O Fidelissime amice animæ meæ! tu scis, id, quod plurimum impedit conversationem tuam, amicitiam & secretos favores, quos exhibes animabus, esse inordinatum affectum erga amicos, quando cor multùm occupatur cum ipsis, & quia tu solus vis esse amicus animarum, permittis, ut, quando se plenè convertunt ad te, inveniant amicos, nec illos sinceros. Quantùm affligat infidelitas amicorum, tu scis; & quomodo capiant animos fideles amici, scis etiam. Jubes ergo, ut ego sim quidem sincerus erga omnes; tibi verò soli adhæream, in te solo spem reponam, solum habeam te amicum sinceriſsimum. Idem volo ego, Deus meus! idem desidero, sed posteaquam tu subiisti malum infidelis & falsi amici; da vires huic infirmæ naturæ, ut possim sufferre idipsum; & ne nimius affectus erga homines me decipiat, nec infidelitas eorum me dejiciat.

pro quo dulce est pati quoslibet inimicos.

VIII. Si vis, ut omnes me aversentur, & persequantur; fiat voluntas tua, & da, ut velim id etiam. Posside tu cor meum: ostende mihi Divinam faciem tuam: capiat me amicitia tua: doce me non lamentari: doce me non ulciſci, nec reddere malum pro malo; sed pro amicis habere, qui se mihi exhibent infideles, & insinceros amicos. Fac me, Domine, tibi consimilem, & ut hoc mihi sit satis. Nam quomodo volo ego, Deus meus! ut omnes mihi sint amici, & mecum fideliter agant? quomodo audeo queri, quòd mihi fideles non sint; quando in mensa tua proditorem habes, & eum vocas amicum, dum te tradit in manus tuorum inimicorum? ô mi sinceriſsime amice! tua, solius amicitia est vera: pro illa do, resigno alia omnia. Aufer à meo corde omnem amorem, & odium, quo à tua conversatione impediar. O lux Divina, ô auctor veritatum supernarum! aperi oculos hujus animæ cæcæ: fac me cognoscere illum statum felicem, quo in persecutione, oblivione & contemptu omnium, anima libera ab omni re possit extendere brachia & amorem, tibique uniri ac dicere multa cum fiducia: Pater meus, Deus meus, & unicus amor meus! O felicem horam illam!

ôſi

ô si statim adveniat ! ô si omnem vitam in hoc amplexu , & in hoc amore consumam ! Doleat tibi , Domine , perditio ac cæcitas hujus animæ tam ab illo remotæ,ô amor meus,ac spes mea !

Regina Angelorum , ancilla fidelis , & amatrix sincera hujus Domini , mater & refugium peccatorum ! impetra mihi amicitiam ejus,& ab alia quacunque me remove. O Palatini cæli, qui solo amore hujus Domini vivitis , & ordinatè in eo diligitis omnia, impetrate mihi beata hæc vincula , quibus amori ejus semper adstricti tenemini. Amen.

ÆRVMNA XXVIII.

Captivitas Domini nostri.

I.

PRimum malum , quod simulata amicitia Judæ Domino creavit,fuit ejus indigna & injusta captivitas: in qua se proditor gessit pro duce ; ut qui timorem Dei & pudorem animo jam ejecerat. Neque adeò mirum est, Apostolum brevi in tam enormia prolapsum esse, cùm à Deo sponte recesserit: quia usus docet, non esse pejores in mundo,quàm qui defecerunt à fide Catholica,frena laxando vitiis; vel deseruerunt perfectionem vitæ Evangelicæ , reversi ad profanam, cui priùs renunciaverant. Omnes hi vexilla Judæ sequuntur,ut qui spretâ domo & servitio Dei , respuentes fontem aquæ vivæ , os admovent putidis & venenatis aquis carnis, mundi, sathanæ. Magis admirandum,quòd non patrent majora. Sanè,si dux eorum Judas, clausis oculis ad lucem Divinam, & obturatis auribus ad verba vitæ æternæ , perditóque amore Dei , se mancipavit semel diabolo ; quid magnum est,ex Apostolo intra paucas horas evasisse proditorem , ac ducem lictorum ad capiendum Christum , cum monitis eum ducendi cautè, ne elaberetur è manibus ? Bonum est,cor tenere firmum in servitio Dei, magna cum diligentia,vigilantia & cautela : quia , si receperit libertatem , parùm profecerit , amiserítque pudorem ; non sustinet ampliùs esse ligatum , neque ampliùs timet frenum ; sed ad omne malum ruit cum tanta furia , ut sola Dei

Judas ex Apostolo proditor,

omnium apostatarum antesignanus

manus & gratia possit in eo facere consueta sua mirabilia; sed aliquando sic affligitur suis vitiis, ut etiam renuat acceptare gratiam oblatam à Deo, nec ullo modo possit converti; sed obfirmatum ad malè agendum respuat omnia.

Judæis callidè Jesum tradit.

II. Nota erat Judæ consuetudo Christi, nocte appetente Jerosolymis exire in hortum Gethsemani, ubi quies & solitudo commoditatem orationis, totâ nocte peragendæ, præbebat. Et credibile est, Dominum præscium eorum, quæ illic sibi eventura erant, crebriùs & libentiùs eò itavisse: ubi Judas nôrat opportunum fore, ut solus, absque strepitu populi, atque tumultu capi posset; neque sine peculiari affectu erga locum, in quo daturus esset sui conflictûs initium. Ergo proditor cum Pharisæis & multitudine ministrorum, armis & laternis instructorum, unde postea faces accenderent, silenter egressus urbe, monet eos, ut agant cautè; quia cum mago sit eis negotium, qui jam aliàs factus invisibilis è manibus eorum sit elapsus. Quare injungunt lictoribus, ut eum arctè ligent, & strenuè decerrent contra quemcunque, qui fortè conaretur eum eripere. Ubi credibile est, ab hac profana gente multa utrinque à Pharisæis & ministris promissa non sine juramentis, & maledictis contra Dominum; quæ quidem cum dolore cogitari, sed exprimi verbis non possunt. Judas autem, qui nôrat, omnem industriam & vim frustra fore, si Christus capi non vellet, protestabatur, se fidem suam liberaturum, si, ut promiserat, eum tradidisset illis in manus, quidquid postea eveniret. Et quia inter eos multi Dominum haud noverant; & si nôssent, in tenebris facilè poterant aberrare, ipse illis pro tesserâ dedit, illum fore, quem osculaturus esset; & sic eos anteceſſit. Hæc studia & occupationes Judæ fuerunt, dum mitissimus agnellus inter lacrimas & copiosum sudorem sanguineum, flagrans amore ejusdem, cum Patre æterno de remedio, & salute generis humani tractaret.

Christus fortitudinis, & constantiæ exemplum

III. Sciens Jesus, adesse jam horam, quâ veniret in manus hostium appropinquantium, cùm secum haberet discipulos, jam excitatos à somno, ad dandum eis exemplum fortitudinis, & constantiæ, quâ suos olim labores amore sui adire deberent, sibi immissos à Deo; & obedientiæ, quâ parendum est ordinationi

Divinæ

Divinæ, quantumvis arduæ: non expectato Juda, dum militibus ipsum ostenderet, aut hi ipsum quærerent, ultrò cordatè processit obviam, & interrogavit, quem quærant. Et quamvis decrevisset permittere se capi, voluit tamen priùs illis ac discipulis ostendere suam virtutem Divinam, & quod omnis malitia & astutia humana contra se nihil posset: in documentum omnium electorum, ut nôrint, libera sua voluntate, & amore erga homines, captum se fuisse, quomodo, & quando volebat: ac proinde soli amori Divino, & non humanæ industriæ tribuendam suam passionem: deniq; ut omnem excusationem adimeret eis, qui ad se capiendum venerant: ipsíque cogerentur testari, se nihil contra eum potuisse; & sic malum suum propositum agnoscerent ac retractarent: cùm dixissent, se quærere Jesum Nazarenum, respondit, Ego sum. Tam potens fuit hoc verbum, ut Judas, Pharisæi, milites & ministri subitò retrorsum acti corruerint in terram, quasi fulmine tacti. Poterat sanè tunc abire Christus, & solita sua miracula demonstrare: sed contentus ostendisse, quàm nihil contra se possent, permisit eos surgere: & cùm denuo interrogâsset, quem quærant, ac respondissent, se esse; præcepit, ne quemquam è discipulis tangerent aut læderent: licet enim pateretur Pastor, non tamen gregis sui curam deposuit. Quod ipsum non levi miraculo fuit, neminem prorsus illorum fuisse ab ullo tactum, quod in simili promissimum erat. Sed lædere non poterant, quos Dominus ipse servabat.

Vana est omnis astutia hominum

IV. Noluit tàmen Christus tam citò vinciri, ut non priùs comiter loqueretur cum principibus Pharisæorum & Sacerdotibus templi, intentis negotio tam indigno suo ordine; interrogans eos, quare sic venirent nocturno tempore ad se comprehendendum cum armis & facibus, tanquam ad latronem, cùm quotidie fuerit apud eos publicè docens in templo. Ad hoc illi non habuerunt, quod convenienter possent respondere: sed neque tantum animi fuit illis, ut auderent eum attingere; donec protervia Malchi, servi summi Sacerdotis, occasionem dedit novi miraculi. Is cùm audaciùs aggredi conaretur Dominum, Petrus ut staret magnificis suis promissis, & fidem suam contestaretur, licen-

comitas, & magna tuendo Christi.

licentiam petivit utendi gladio; nec exspectato responso, caput hominis petens, ictu aberrante amputavit auriculam dextram: quam tactu suo Dominus illico sanavit, ac Petro præcepit abstinere vi, dicens: Calicem, quem dedit mihi amantissimus Pater, non bibam illum? & quomodo implebuntur prophetiæ, de quibus perhibent Scripturæ, facienda hæc esse? quid autem fiet misero generi humano, si ego id non redemero? ergo reconde gladium: ne, si quem gladio peremeris, incidas in manus ludicis, & capite luas. Quòd si voluissem me defendere aliena virtute, facilè à Patre meo impetrâssem auxilium, qui plus quàm duodecim legiones exercitûs Angelici mihi misisset, toto mundo tremente, me defensuras. Receſſit igitur Petrus, & reliqui discipuli omnes Domino solo relicto fugerunt: quod etsi per eorum timiditatem acciderit, ordinationis tamen Divinæ fuit, ut Christus pateretur solus.

Judæoculum.

V. Tum Christus ad Pharisæos conversus, licentiam dedit eis faciendi, quod vellent: *Hæc*, ait, *est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Confestim itaque Judas accedens ad eum dixit: Ave Rabbi; & osculatus est eum, sicut in Palæstina solebant amici. Quia enim Dominus eum inter suos receperat, non dedignatus est eum solita humanitate ad osculum, addens: Amice, ad quid veniſti? osculo, signo amicitiæ, me hostibus tradis? Ubi nescias, utrum sit magis admirandum, duritiáne cordis humani resoluti ad malum patrandum, & remoti à Deo; an teneritudo Salvatoris & benignitas etiam erga eos, apud quos novit frustra se fore. Atque hoc meritò cuivis timorem incutiat, cùm simus omnes ex eadem peccatrice propagine. Pergit Judas, quasi re bene gesta, cum nefaria cohorte, cum argenteis in crumena, cum diabolo in anima, paulò post alios in inferno socios habiturus. Ministri verò Judæorum tanquam rabiosi canes, manibus in mitissimum agnum injectis, quàm indignis modis eum tractaverint, nullius animus ausit velle comprehendere: ut eum prostraverint in terram, calcibus impetiverint, pedibus conculcaverint, manibus post tergum revinxerint tam arctè, ut exprimerent sanguinem; contumeliis & convitiis oneraverint, impostorem, magum, fanaticum,

Mitis agnellus inter rabiosos canes.

naticum, populi seductorem appellando; & alia, quæ summa eis malitia suggesserat, cogitare quis potest? sed nec humo levârunt eum sine colaphis, & vellicationibus barbæ & capillorum, magnâ cum insolentiâ eum raptando ad ædes summi Sacerdotis, effundentes in eum virus odii, quod erga eum tam diu jam circumtulerant: maximè cùm nihil vetaret vel obsisteret eorum malitiæ. Mitissimus Jesus instar humilis agnelli inter hæc omnia non aperiebat os suum, neque contradicebat, pedibus incedens in terrâ, corde in cælo, invocando Patrem æternum cum lacrimis, quæ nocte illa diéque sequente fluebant perenniter, instar fontium, petentes misericordiam pro peccatoribus: & offerendo omnes injurias, ac verbera pro necessitatibus filiorum Adæ. Nulla res turbabat spiritum ejus, neque contristabat: & qui ante prœlium tremuerat, contristatus usque ad mortem; in ipsâ pugnâ plus animi accipiebat à singulis, quæ patiebatur, novo ac recenti semper desiderio exhauriendi reliquum, quod restabat, perpetiendum.

VI. In hoc, & reliquis articulis Passionis, habent devoti peraptam materiam occupandi se, non modò in externis ac diris ærumnis Domini, sed multò magis in ejus divino corde, quod ardebat amore, ac natabat in immenso mari virtutis, bonitatis & misericordiæ. Qui considerant hæc tantùm in cortice, fructu non carent; quia hæc omnia impinguant animam: sed qui intrat amorem, & cor hujus agnelli, sic rapietur ab eo, sic immutabitur, sic tenebitur, ut bene sentiat suavitatem ac dulcedinem, quæ dimanat è ligatis his manibus. Et qui nondum agnoscit hæc bona tam magna captivitatis istius, conferat se cum innocentiâ hujus Domini, & perpendat, quid ille patiatur, & nos meriti simus; quódque si voluisset illa nós pati, ut veniam consequamur, tunc magnâ misericordiâ uteretur nobiscum. At cùm sua divina Majestas omnia receperit in se, nobis impunè abire permissis; nos frena licentiæ laxamus cordi & sensibus nostris, & nostra dissolutione illum arctiùs ligamus, nos autem obligamus ad miserias.

In cordibus nostris habitare desiderat.

EXERCITIUM
De Captivitate Domini.

I.

ECquis est iste, qui te capit, ô vera & secura mea libertas? quis te potuit ligare, bone JESU? quæ corda sunt tam barbara, ut modis tam indignis tractent hanc personam divinam, tam profanè & crudeliter capiant ac ligent? Tua suavitas, Deus cordis mei, convertit & mutat animas: tua modestia rapit corda: tua præsentia capit oculos, & spiritus te intuentium: beneficia & gratiæ tuæ tam copiosæ implent universam terram. Quomodo ergo tam feri fuerunt, ut manus auderent injicere filio DEI vivi? quomodo velut latrone pejorem, & maleficum, tot verbis injuriosis, tot colaphis ac sputis, tot vellicationibus barbæ, tam astrictis vinculis, ut sanguis erumpat per ungues, cum tanto triumpho, tantâ furiâ te invadunt ac vinciunt? Ac tu, vita animæ meæ! non tantùm non fugis, aut absconderis, sed etiam procedis obviam ad excipiendos hostes, ac tradis in manus tuum sacratissimum corpus, prohibens discipulis, ne te defendant. Sanas tuis manibus auriculam Malchi, qui ad capiendum te venerat: non vis defendi ab Angelis paratissimis ad tuam tutelam; dimittis discipulos, nec aliud cogitas, quàm ut calicem à Patre æterno mistum exhaurias, ad obedientiæ specimen, & remedium malorum nostrorum! ô sit tibi benedictio & gloria, spes mea, quòd etsi rogaveris Patrem, ut calix hic amarissimus à te transiret; nihilominus tanti facias obedientiam, ut aliud nec velis, neque desideres, nisi quod ipse vult; & promptum te, paratúmque exhibeas ad id, quod tantopere times. Et quia nihil aliud jam cogitas, quàm pati, abscondis tuam potentiam, ut inimici tui liberè possint agere tecum, quod volunt.

Admiratio.

Desiderium patiendi, tutela nostra.

II. O bone JESU, lux cordis mei! ostende huic animæ meæ vincula tua interna, quibus tam arctè adstringeris obedientiæ Patris æterni, & amori erga nos homines. Absque his, ô amor meus! quisnam te potuisset ligare, & tam malè tractare? Ista sunt vincula, quibus teneris captivus, & objiceris malis, quæ suffers; ista te abjiciunt humi, & exponunt calcibus ministrorum sathanæ. Quare, ô vita cordis mei! non me sic alligas intus, quando foris

Obedientia amoris vinculum.

ris mecum dissimulas, & ligaris ipse pro me? quia verò vis pati solus, quod ego merebar, ut liber sim; cur, ô spes mea! libertate meâ non utor, nisi ad peccata, quæ tu luis?

III. Adoro vos, manus divinæ, quæ sic ligatæ ligatis hostes meos. Adoro vos, vincula: laquei, vos adoro: adoro vos, injuriæ, quæ tanta bona nobis impetrâstis de cælo, tantas misericordias promeruistis. ô me infelicem! quantò meliùs ego essem ligatus, quàm liber eo modo, quo jam sum? per hæc vincula tua quæ pateris, humillimè tibi supplico, Domine, ut liberes me à meis, quæ me detinent tam longè à te. Tunc ego puto me liberum esse, mi Domine, quando nemo mihi contradicit; quando me omnes amant, & laudant; quando loquor, video, audio, quod volo; & quando bene & commodè tracto meum corpus, ac facio quidquid ipsi placet. At si inter mediam licentiam carnis, aut sub finem talium delectationum aliquâ inspiratione me voces ad tuam sequelam, egóque tecum agere velim, ô summe amor meus! qui es in omnibus locis, ego me reperio tam remotum à te, tam impeditum & vinctum; sentióque tantam contradictionem, tot laqueos rerum vilium, qui me tenent, nodis penè insolubilibus adstrictum, ut videam tunc meam libertatem esse meram servitutem & carcerem: tunc video, quàm duri sint errores & ludibria passionum & affectuum, qui tenent me, & abstrahunt procùl à te. O sancta vincula! ô divinæ manus! miseremini huius libertatis captivæ, per quam te sequi & amare non possum. Quomodo bonum esse potest, quod facit, ut amittam te, qui meum summum bonum es?

Hostes nostros.

IV. O infelices horæ, quibus fui liber ad mala! quia in illis invenio me servum meiipsius, non tuum, ô bone Jesu! ô quando hæ res mutabuntur, ut videam me liberum à me ipso, & captum tuo amore? quando disrumpes catenas & funes, quibus abstrahor à te, & subjicior propriis malis? ô qui nunquam dedisset cor & amorem suum alteri rei, quàm tibi, amor animæ meæ! Non contentus, ô spes mea! quòd essem procùl à te, vinctus meis affectibus, nescius, quid agerem, notabili ingratitudine ligavi has sanctissimas manus, quæ stringuntur arctiùs, & magis dolent,

Infelix libertas ad mala.

quàm duris funibus. Tu, mi bone Jesu! ligatis manibus capis & ligas diabolum, rumpis vincula meorum vitiorum; subjicis pedibus meis omnes inimicos meos; & ad benefaciendum mihi semper extensas & apertas habes. Offers mihi continuò maxima bona: & ego recuso, oculis ad me ipsum & mundum conversis cælestes divitias tuas cum vilitatibus miserandis commutans: meáque ingratitudine cogente tu retrahis manus, & vinctus manes, ne mihi conferas ea, quæ velles. Tu afflictus amore, at ego illo destitutus, & omni bono.

Liberalitas Dei, ingratitudinem nostram superat.

V. O divinæ manus, plenæ misericordiâ! quamvis ego nihil merear boni; major tamen est liberalitas ingratitudine meâ & culpâ: nolite vos à me subducere. Non amisistis potentiam vestram in his vinculis: exserite eam in hac improba & infelice anima, pro cuius libertate estis ligatæ. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce, sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad te, mi bone Jesu ac Domine! defixi in manibus tuis ligatis pro me, exspectantes ab eis misericordiam. Vos precor, divinæ manus, vinctæ pro me, apprehendite oculos meos, ne ampliùs videant vanitatem: apprehendite linguam meam, & hos sensus meos, ne ita liberè vagentur per mala: apprehendite cor meum tam distractum, ne tractet ampliùs tot ineptias, neque occupetur tot nugis, à te separantibus. Pro omnibus, ô manus divinæ, habetis magnam bonitatem, pro omnibus plus misericordiæ, pro omnibus majorem potentiam. Si hucusque te fugi, Domine; ecce nunc redeo: si rupi suavia tua vincula; ecce nunc me toto corde tibi obstringo. Cape, & liga me, ut vis: dulces erunt mihi manicæ ac pedicæ: jucundæ tuæ catenæ, si me intus nexuerint, ô divinæ & charæ manus!

Non abjicit Deus, quem fecit.

VI. Sufficit, quòd peccavi; feci hucusque quod volui: posthac facite vos, quod vultis, divinæ manus! O qui nunquam è manibus istis exivisset: ipsæ me fecerunt, quomodo me abjicient? Recordare, Deus meus, quòd hæ manus è luto me fecerint hominem vivum, & capacem tuæ cognitionis & amoris: per ipsas ego sum, quod sum: ab ipsis omne mihi bonum provenit. Jam quia

nihil

nihil odisti eorum, quæ feceris, idem amor, qui te fecit capi, eripiat me à malis meis. Conserva, Domine mi, purga, reforma opus tuum; ut non pereat, quod ego corrupi. Pulchritudo vinculorum istorum, est reformatio & liberatio animarum innexarum peccatis, ac tenet intus tibi devinctas, Et quia, Domine, tua creatura sum, tam cùm peccavi, quàm si nunquam peccâssem; recognosce, Deus meus, hanc miseram creaturam tuam: libera me à meipso, & alliga me tuæ legi & obedientiæ.

Animam à vinculis terræ liberam amore sibi nectit.

VII. O amor divine! quomodo apprehendis, cùm accenderis in anima! quomodo alligas, cùm ostendis animæ aliquam partem pulchritudinis faciei tuæ divinæ! anima peregrina in hoc mundo sine clara tui visione, per ea, quæ sentit & experitur in hac vita cum tua gratia, quàm libera est à seipsa, & à vinculis terræ, capta tuo amore? tam fortiter stringunt nexus amoris, ut etiam gustum sensuum corporis mutes in te: quia in omni re trahis animam ad te, & ad obsequium tui amoris. Si vult dormire, tu excitas: si quiescere, tu occupas: si comedere, tu adimis saporem: si conversari, tu retrahis: totam tenes captivam: totam vis: omni re illam spolias: omnia ab ea defendis, semper amans, semper zelosus: quia te totum das ei, etiam totam exigis: totum te illi das, & totam apprehendis. Capta vivit contenta, & mancipata est libera, quia vivit in te, ac de te. O mea captivitas, & mea custodia! ô mea vincula, & nexus mei, cur me non stringitis? in te, amor divine, ac tecum capies eos, qui te amant: tu eos ligas, tu spolias, tu custodis. Gerunt spiritum purum in carne humana, & cum tua præsentia, & amore toti sunt transformati in te. Qui tecum est ligatus, quàm libertatem desiderat? ô quàm laxè habitat? quàm liber est ab omni re? quàm contentus est? tu scis, amor divine, vincula hæc esse digna, quæ desiderentur: & qui corde accenso ad illa suspirat, non potest dicere, quod experitur. Noli esse parcus, neque crudelis erga me; quia si mihi des, quidquid habes absque te, nihil das mihi. Si me à te dimittis liberum, crudeliter me castigas, & me tradis in manus inimicorum, Cape me, liga me, ama me, & adure me, ô mi Jesu!

Ejus absentia pœnæ est gravissima.

VIII. O divine amor, quid agis in animabus, quas tenes captivas? qui sentit, dicat si potest. Sed anima mea tacta à te desiderat hunc statum, in quo magis ostendis potentiam tuam in humanitate infirma. Quando captis viribus animæ, ac transformatis in te, abscondis te, ac tegis suavitatem tuæ præsentiæ, & nihilominus tenes tibi devinctas, non possunt contradicere, neque desiderare solatium extra te: quia ipsis unicum solatium est pati, ac tecum esse ligatum. O vita & amor animæ meæ, quàm divina est hæc operatio tua! desolati à te fugiunt amicos: non audent aliud cogitare nec petere à te, ut eos consoleris: nesciunt aliud velle, quàm bibere tuum calicem, sicut tu bibisti. O quomodo regnas in his cordibus? ita fugiunt consolationes terrenas, sicut alii fugiunt ærumnas. Ita timent à te separari, cùm sine cruce sunt, sicut infirmi habent se pro derelictis à te, quando non visitas eos dulcedine & suavitate. A te capti, sunt liberi; quia non volunt te, nisi eo modo, quo tu vis: cúmque tu sis unica eorum quies, quærunt te juxta voluntatem tuam, non suam: ac desiderantes te absolutum Dominum, se tibi dedunt sine omni conditione & limitatione, tantùm ut liberè te ament, liberi semper ad patiendum, ad te possidendum, gustandum; liberi ad te dimittendum, sed non amittendo; homines in naturâ, supra homines in operibus gratiæ & amoris tui. O liberam servitutem! ô aurea vincula! ô qui se videret captum à te, amor divine! sed quia, amor meus! miseria mea procùl est à te, fac me saltem captivum spei tuæ: fac in illa sola vivam, illâ reficiar. Tu, Jesu bone! securus portus es, ubi spes fundatur: tu verax in promittendo, pius in miserando, liberalis in donando, securus in implendo, amans in accendendo igne tuo. Cape me totum cum spe, attendam semper ad te, accedam propè ad te, suspirem ad te, & requiescam in solo te, ô amor meus, ô vita mea, ô Jesu spes animæ meæ!

Amor Iesu libera servitus,

O sacratissima Virgo! tota capta amore hujus Domini, & libera semper in ipso, juva me, ut etiam ego capiar, & semper vivam in illo. O Curia cælestis, tota jam vincta in hoc divino carcere

carcere, & liberâ custodiâ, rumpe hæc miserabilia vincula mea; libera spiritum meum, & illi pulchritudini divinæ, quam intueris, me alliga. Amen.

ÆRVMNA XXIX.

Raptatio Domini per Tribunalia improbrum Judicum.

I.

DOminus noster, posteaquam in manus hominum venit, suæ Passionis certamina decurrere voluit per ea, quæ humanitus plurimum possent afferre dolorum & molestiæ: cujusmodi fuit, raptari per diversa tribunalia Judicum iniquissimorum, & simul inimicorum. Indignum certè fuit, supremum Judicem ac Dominum universorum judicari à malefactoribus, & vilibus subjici creaturis eum, quem ab homine quocunque sanctissimo & integerrimo judicari fuisset intolerabile, & mirabilis excessus amoris. Quantò igitur gravius fuit, ligatum trahi ab uno tribunali ad aliud, & ejusmodi judicum, qui nihil cum justitia erant acturi, sed omnia ex odio diro & capitali? nescio, quam rem cor humanum possit magis admirari, quàm cùm videt personam divinam, etiam secundùm carnem gravissimam & sanctissimam, post tot demonstrationes Majestatis suæ, coram quâ terra & mare tremebat, cujus imperio mors & sepulchra reddebant redivivos, fugiebant dæmones è corporibus infestis, mare fremens componebat fluctus, lepra & alii morbi sontici deserebant infectos; terra, & infernus absque contradictione parebant; in quo omnia respectum, venerationem, obedientiam ac reverentiam provocabant, qui mirabili modestiâ, maturitate & gravitate micabat etiam inter vincula; eum, inquam, ligatis manibus, fune collo injecto, inter manus lictorum examinari à Judice tanquam maleficum, & ab uno trahi ad alios, aliósque semper peiores prioribus.

Supremus Judex malefactoribus

II. Obivit hæc tribunalia Dominus tantâ cum patientiâ, tranquillitate ac modestiâ, ut nullâ re turbari posset, vel contristari, neque vel minimùm sacratissimi sui vultûs gravitatem ac mode-

modestiam immutaret. Ita se submisit eorum judicio ac sententiæ, an potius improbæ voluntati accusatorum ac Judicum, ut juxta prophetiam Isaiæ, propter summam humilitatem & abjectionem suæ personæ nulla ejus ratio videretur habenda in judicio, nec justitia illi administranda, sicut etiam totus ordo Juris circa eum fuit perversus. *Vidimus eum*, inquit, *& non erat aspectus: despectum & novissimum virorum: & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum.* Certè nihil minus, quàm de justitiâ erga eum exercendâ cogitatum est ab illis; sed tantùm de modo, quo satisfacere possent odio suo & malignitati. Ita per omnia fuit ab his Judicibus injustè, contumeliosè, contemptim tractatus & condemnatus.

Isaiæ c. 53. v. 2. & 3.

Et iniquis judicibus subjicitur.

III. Ad quatuor Judices ductus est Jesus, ad Annam & Caipham Judæos, ad Pilatum & Herodem Gentiles. Dicunt aliqui, eum, dum ex horto duceretur in urbem, ita fuisse raptatum ac trusum, ut decideret in torrentem Cedron, qui transeundus erat: in quem sensum accommodant illa verba Psalmi, aliàs ex mente Prophetæ intelligenda de totius Passionis torrente, cùm dicitur: *De torrente in viâ bibet: propterea exaltabit caput.* Quidquid sit, à malitiâ Judæorum alienum non fuit hoc genus injuriæ. Urbem ingressi nocte concubiâ, magno strepitu excitârunt homines, & insolentibus dictis omnes turbârunt, avidè præstolantes diem, ut exitum rei viderent, Quare albescente cælo tota civitas plena fuit hâc novitate, stupescentibus multis, nonnullis varia super Christo judicia formantibus, omnibus autem expectantibus finem tragœdiæ: non sine vilipensione & imminutione existimationis Domini. Sic perventum est ad Annam, voluntate Caiphæ, Socerum suum sic hônorare volentis. Qui Christum interrogavit primùm de discipulis, non sine risu amaro, cur solum relinquant, magnâ multitudine eum sequi soliti: nec sine dictis acerbis contra similes assectas: atqui mox mundum visurum, qualis Magister, & quales fuerint ejus discipuli. At innocens agnellus hæc omnia tacitus remittebat Patri æterno, suo tempore manifestaturo veritatem.

Psal. 109. vers. 7.

IV. Inter-

IV. Interrogatus præterea insidiosè de doctrinâ, respondit; cur id à se quærat, cùm palàm docuerit semper in templo, ac proinde illi, qui audierunt, potiùs interrogandi sint, utique veritatem dicturi. Est hæc securitas bonæ conscientiæ, quæ ut omnia dicit ac facit sincerè, simpliciter, ac bene, ita non habet quod timeat, vel loquatur multum pro sui defensione: quia ejus actiones, & veritas rerum stant & loquuntur pro ipsâ. Et plerumque illi, qui multis verbis, magnóque conatu se defendunt apud homines, coram DEO non inveniuntur tam justi, quàm ipsi se faciunt; & actiones eorum tam sunt vitiosæ, ut non audeant fidere, tales apparituras, quales optarent. Sed DEUS, qui justus est, permittit, ut, quia bonæ actiones, sancta intentio, ac desiderium placendi suæ majestati, solæ justificant hominem; ubi hæc desunt omnino, vel ex parte, parùm roboris habeant verba, quæ homines in sui defensionem copiosè profundunt: & plerumque ubi multa ad se excusandos attulerint, quisque de illis judicat, prout ipsi videtur. Tutiùs est ergo fidere DEO, & justificari ab illo. Porrò unus è militibus, qui adstabant, cognatus Malchi, cujus auriculam sanaverat JESUS, audito ejus responso, infregit ei alapam dicendo: *Sic respondes Pontifici?* At ille nihil commotus, pari gravitate & constantiâ dixit homini: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Talis erat Judex, talis justitia in hoc tribunali, ut neque veritatem dicere sineretur Dominus, & in præsentia judicis auderet lixa eum percutere, judice non reprehendente factum, sed potiùs approbante rem, quæ nec apud Barbaros toleraretur. Atque in hunc modum omnis ordo justitiæ contra Dominum cœpit perverti.

Innocentia opprimitur.

Io. 18. 22. v. 23.

V. Missus est ab Anna JESUS ad Caipham, ejus generum, ubi congregati erant Principes Judæorum, Pharisæi, ac Sacerdotes. Et, ut à primo judice exivit cum injuria colaphi, ita apud secundum oneratus est falsis testimoniis, ac demum pro blasphemo & reo mortis, inclusus carceri: donec summo manè ad Præsidem Pilatum, & ab hoc mox ad Herodem est ductus; apud quem pro stulto habitus & tractatus, ad Pilatum reversus est: ab isto contra jus fasque direè cæsus flagellis, spinis coronatus, & ad crucem condemnatus, eique inter duos latrones affixus. Quis inter hæc mo-

Iustitia condemnatur.

dus aut numerus injuriarum & injustitiæ? At JESUS omnes obivit silentio, non nisi pauca verba, & illa quidem non pro sui defensione, locutus. Sinebat unumquemque dicere, accusare, condemnare, sicut volebat; nihil respondendo pro se ipso, (sed neque erat, qui staret pro ipso) usque ad honoris & vitæ jacturam.

Amor patiendi dolores auget.

VI. Intervenerunt his nonnulla, quibus haud parùm aucta est hæc ærumna, videlicet injuriæ, quas non sine gravi sensu vidit inferri Patri æterno: sicut etiam duritiam & malitiam adversariorum suorum; quorum flagitia tantò magis ei doluerunt, quantò amabat eos impensiùs: nam quæ faciebant contra ipsum, aspiciebat, ut mala illorum propria; quæque illorum salutis causâ perpetiebatur, noverat propter suam malitiam cessura eis in damnationem. Accessit, quòd sciret se, velut Judicem supremum, coactum iri quondam, contra suos Judices iniquos duram ferre sententiam, cùm nihil magis cuperet, quàm sua ipsos morte absolvere; illi autem clauderent oculos, & obturarent aures veritati à se traditæ, ita ut ipse accusator, testis, & judex eorum futurus sit. Qui cognovit cor Domini JESU, & perfectionem ejus amoris, intelliget, quantò facilius ei fuerit hæc sufferre ad lucrandas animas eorum, quàm obligare justitiam suam ad eos damnandos propter mala, quæ faciebant, neque erant retractaturi per pœnitentiam; quod eis remedium esse debebat vitæ æternæ.

Veritas mendacium refutat.

VII. Reportavit præterea Dominus ex his tribunalibus insignem victoriam traditæ à se veritatis & doctrinæ cælestis, etiamsi tunc malè acceptæ & intellectæ, postea tamen toto mundo explicatæ & agnitæ. Nam cùm apud hos judices ostium pateret omni mendacio, calumniæ, falsis testimoniis & malitiæ, dolis & fraudibus, quibus macularent ejus sanctissimam vitam; hæc omnia cesserunt in exaltationem & æstimationem ejus verborum & operum; dum nullâ arte, quantumvis malâ potuerunt invenire quidquam, quod ei cum veritate objicerent vel exprobrarent. Mordebat seipsam rabiosa malitia, invidia totum venenum suum effundebat, odium lethale exsaturabat se alapis, clamoribus & vocibus insanis furebat mundus: è contrà taciturnus & mansuetus agnellus nihil querebatur: sed ipsa malitia pro testimonio erat

erat puriſſimæ innocentiæ. Sic prodiit Veritas illo tacente, & malitia nugatrix ac perfida ſtabat confuſa. quia tenebris contra lucem nihil eſt juris, nec malignitati contra perfectam ſanctitatem, neque mendacio contra Veritatem æternam, Sed potiùs lux magis ſplendeſcit in tenebris; ac licet non intelligatur, non tamen minùs eſt pulchra & victorioſa, Etſi verò fuerit indignum, trahi Chriſtum ad hæc tribunalia; voluit ea tamen obire, & rigidè judicari, ut omnibus conſtaret, nihil in eo reperiri, quod purum ſanctum & perfectum non eſſet, & per ipſos hoſtes ejus confirmaremur in veritate. *Malitia innocentiam teſtatur.*

VIII. Graviter hîc Dominus illos redarguit, qui vel propter dignitatem ſuæ perſonæ, vel ex præſumptione de ſeipſis, vel ex vano reſpectu, fugiunt judicari res ſuas ab aliis ſe inferioribus. De talibus dicitur: *Qui malè agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Sanè, qui non vult judicari à minoribus, innuit ſe magis in dignitate perſonæ, quàm in operum ſuorum veritate confidere. Si non es juſtus, agnoſce, nec finge te alium; quia juſtum judicem habes, qui jam videt, quàm non meritò habearis pro bono. Si iuſtus es, ne ſubterfugias judicem: et ſi habearis culpabilis, noli, ut ætas aut vanitas te excuſet: quòd ſi non vereris, quid perdis dando locum manifeſtandæ veritatis? ſi verò judices habeas tam iniquos, ut non immeritò timeas malitiam eorum, tum non exiguum lucrum reportas patienter injuriam tolerando cum Chriſto. Poſſumus autem ſecurè confidere, ſi Chriſto nos committamus, facturum ut appareat veritas modo, quo minimè cogitatur. Si tamen permittat procedere malitiam Judicis, ſignum eſt, eum ſibi reſervare vindictam, eo fine, ut multa bona tibi largiatur, ſi patienter injuriam tuleris; & honorem tibi reſtituat olim coram cælo, terra, & inferno in publica & generali audientia, in vicem injuſtæ condemnationis coram non multis. *Humilitas infringit ſuperbiam. Io. cap 3. verſ. 20.*

IX. Aliud documentum altiſſimum Dominus dedit admirabili ſuo ſilentio, ab omnibus adorato, ſed à paucis intellecto, minùs etiam imitatione expreſſo: ut quis Deo fidat in omnibus rebus, quas ſolo ſilentio ſuperare velit ejus amore. Qui pacem quæret ſui cordis, & odium internum ſui ipſius, purumque amo- *Silentium hoſtes triumphat.*

rem Dei, cui soli desideret perfectè placere, eum imitando, hic intelliget, quàm malè impendantur horæ, quibus curat suum honorem; & quantum boni sit in sui confusione; quantum lucri in perdendo apud homines, ac damni in lucrando apud eosdem. Scio, lege Dei nos ad hoc non obligari; scio tamen etiam, si quis perfectè ac simplici animo imitetur Christum, nihil damni adire. Dicit Isaias, illi propter suam magnam humilitatem non esse administratam justitiam: *In humilitate judicium ejus sublatum est.* & addit; *Generationem ejus quis enarrabit?* Si ergo silentio suo tot Sanctos, tot Religiones, tot bona cælestia progeneravit Christus; an ejus amore tacere, ejus imitandi studio, fructu carebit? ô si Deus omnibus aperiret hanc veritatem! ô si daret cognoscere pacem, gustum, quietem, ac divitas animæ, hanc viam perfectæ mortificationis ingressæ? certò viderent paradisum in terra. Sed qui hucusque non pervenit, cui tacere videtur nimis grave, saltem sit cautus & tranquillus in loquendo, plúsque confidat in Deo, quàm in sua justitia, ut habeat Deum pro se.

Isa. c. 53. vers. 8.

EXERCITIUM
Circa diversos Judices Christi.
I.

O Mi bone Jesu! éstne hîc locus tuus? non ampliùs adis loca diversa, ut ibi edas consueta miracula, & doceas veritatem cælestem; neque vadis ab uno templo ad aliud, ut ibi adoreris & colaris pro eo, qui es? quin potiùs ab uno corde concedis in aliud, ut ameris ibi charitate sincerâ, desidereris, agnoscaris, quàm ut obeas hæc impia tribunalia? Mi Domine! cælum & terra te laudet, omnis creatura te adoret, omne cor te amet, qui te sic demittis pro me: cúmque ego sim reus, tu accusaris, judicaris, damnaris. Adoro istos excessus amoris tui erga me, mi optime Jesu! quòd me reservaveris tuo solius judicio, ipse verò subeas iniqua judicia mundi. Adoro te, Bonum animæ meæ, quòd pati volueris, quæ debueram ego. Nullus injustus judex me tam malè condemnare potest, quin pejora meruerim: & nullus erga te potest esse tam benignus, ut satis agnoscat, quantâ veneratione, obsequio, amore

Demerita nostra satis castigari nequeunt.

amore sis dignus. At quia mea res bono loco esse non potuit, nisi judicarer cum misericordia, voluisti tu, ô bonitas divina, esse meus judex, & onerare tuam innocentiam meâ malitiâ & sententiâ, quam ego promerui.

II. Quantò meliùs ego compararem in ædibus horum judicum, DEUS animæ meæ, quàm tu? quia cum tota sua malitia nihil inveniunt, quod reprehendant in tua sanctitate: sed in me haberent, in quo justissimè effunderent omnem furiam suæ malitiæ: in me invenirent, quod quærunt in te: in me sine scelere exequerentur, quidquid immeritò exercent in te: mihi possent eruere oculos, quibus multa malè aspexi: possent amputare linguam, quâ plurima sum malè locutus: secare in frustra corpus onustum peccatis: evellere cor, quo te non amavi: condemnare opera, & mores legi tuæ contrarios: adimere vitam, quam non impendi in tuis obsequiis, ut optimè nôsti, DEUS ac Dominus meus. Si quærebant hominem, qui omnia bona corrupit, me inveniissent: Si malefactorem justè tollendum è medio, veniissent ad me. Sed tu, misericordia infinita, qui verè me amas, ac meam salutem desideras, dissimulas mecum, & judicio tuo paterno reservas: & exponis te, DEUS animæ meæ, odio impiorum judicum, hostium tuorum, ut iniquè te condemnent pro tali, qualis ego revera sum. Quid dicam, ô mi supreme & justissime Judex! de ista commutatione tam pia, tam plena misericordiæ? huic me offero, & remitto, quidquid invenitur in me: & quia bene scis, pro quo hoc facias; ne permittas, Domine, ut in me tanta misericordia frustra sit. Duc meum cor tecum per horum judicum domos; illumina illud veritate, quam istic doces; inflamma me amore tui, ut te ibi adorem, & amem inter tot blasphemias, quas ibi pro me sustines. *Pro quibus Christus in persona nostra patiendo*

III. O Judices iniqui & inhumani! si noviissetis, quem habeatis captivum, quomodo mutaretis cum eo vestrum officium, & ad pedes ejus prostrati imploraretis misericordiam? Sed, ô Domine & amor animæ meæ! pro te solo jacet Justitia, pervertuntur leges & jura, in oblivione est virtus. Doce me, Domine, divinam hanc sapientiam, ut vincam tacendo, triumphem patiendo, *à judicibus non est agnitus,*

tiendò, justificer, quando judicor injustè. Sed ô Deus, ego sum talis, ut omnia, quæ te video pati, me condemnent. Ego sum pejor istis judicibus; quia illi te non noverunt, nec adorant: ego te adoro, & cognosco, & fide teneo tuam doctrinam, laudo actiones tuas; & tamen quando prodit amor proprius, & contradicit tuæ voluntati & sanctissimæ legi, ego te traho ad tot ac tam improbos Judices, quot sunt mali appetitus mei. Quoties, ô divina Majestas! te non respicio, cùm sciam te esse intra me, & inspirare mihi veritates tuas! ego tibi alapas dedi, ego te jussi tacere, ut locum haberent meæ malæ cupiditates. Quoties, velut alter Annas calumniatus fui tuam doctrinam, ut meam doctrinam justificarem! quoties pro stultitiâ habui, quæ tu docuisti de contemptu mundi, quæque credo & veneror; sed perverso judicio inhonoravi te, vanitatem cordis mei secutus! Misericordia, Domine, misericordia! cùm ego revera sim talis, tu taces, & ego me justifico: tu traderis in manus inimicorum, & ego queror. Tu moreris, & amas infinito amore illos ipsos, qui tibi negant justitiam; & apud me totâ vitâ meâ durant querelæ, dolor & odia: tu finis te judicari ab omnibus, & ego à nemine judicari volo. O bonitas infinita, quandonam hæc mutabuntur? quando, ô sponse vitæ meæ! te semper habebo ob oculos, ut imiter te in omnibus; quando magis curabo fieri tibi similis, quàm placere hominibus?

Quos Christiani malitiâ superât,

IV. O Deus meus, Salvator meus, & sapientissimus Magister meus desinat ab hac hora mea præsumptio. Confiteor malitiam & superbiam meam: desidero te imitari cum gratia tua, tacendo & sufferendo omnia sine discrimine. Amodo & in posterum, Domine mi, ab hâc horâ in perpetuum do licentiam omni creaturæ, ut mihi prævaleant, contra me insurgant & à me pœnas exigant injuriarum, quibus affeci te. Bene scio, Deus meus, nisi tu continuisses creaturas tuas, pridem insurrecturas fuisse contra me, tanquam contra ingratum hostem tuum. Quia verò me defendis, noli amplius me relinquere, ut tam diu maneam perversus: sed incipe statim, Bonum animæ meæ! me convertere: transforma me in te, ô summa perfectio! da mihi perfectum amorem eorum, qui malè me tractant, malè mihi loquuntur,

& omnis creatura vindictam incurrunt.

me, malè me judicant: quia in hoc est vera sapientia, quam tu me doces. Mirabatur Propheta tuus Isaias, videns in spiritu fructum, quem recepisti è multis animabus, adjutis per humilitatem, quâ te subjecisti malis judicibus. Et ego, Domine, quid magni præstabo, si amore tui, Deus meus, fecero peccator, quod tu fecisti pro me, ut colligeres aliquem fructum amoris, legis & sapientiæ divinæ, ac vitæ æternæ, quam mihi promeruisti? ô mi Domine, ego sum, qui sum; & tu es, qui es. Hoc igitur erit operæ tuæ, ut quod ego propono, tu efficias gratiâ tuâ. Fac in me, Domine, quod desideras: infunde mihi, quod à me petis; ut, quando me quæsieris, invenias omnia ad votum tuum.

V. O bone Jesu! qui se videret vinctum pro te, abjectum atque despectum à mundo, inhonoratum ab hominibus, malè judicatum ab omnibus; simul tamen exemplo tuo quietum, gratiâ tuâ tacitum, patientem, bene contentum, puróque amore te complectentem, ô quàm ille dives! quàm sapiens foret! quàm lætus! Quando interiora mea tibi dicent ex corde: Deus meus, perfectum bonum meum, abundantia mea plena, & satietas mea sufficiens! ita mi bone Jesu! veni in cor istud: veni ad hunc miserum peccatorem, qui desiderat te semper secum manere? Dimitte modò, Domine, has domos iniquorum Judicum; & si apud malos libenter es, ego pejor sum illis: si te delectat humiliari, satis apud me humiliationis invenies: si libenter moraris, ubi convertere possis aliquam animam, in me habes multa, quæ vertas: si expectas, ut mihi possis conferre aliqua dona gratiæ, veni, veni ad me Domine, & hoc sufficiet mihi. Ingredere, ô lux & anima mea! in cor meum. Hîc te cognoscam, hîc te adorabo, te amabo, complectar, & apprehendam; neque dicam cum Jacob: *Non te dimittam, nisi benedixeris mihi.* Sed cum sponsâ tuâ: *Tenebo te, neque dimittam.* O quando venies, Domine? quando videbo te, lux oculorum meorum! amor meus, ac dulcedo mea? si fructus sententiæ injustè contra te latæ, & à te summâ humilitate ac silentio exceptæ, est, ut sicut Isaias dicebat, hâc viâ invenires multas oves perditas, multas animas errantes, quas reduceres in viam bonam; multos filios, qui te amarent; multos cæcos, qui te cognoscerent;

Summa felicitas amore IEsu contemni.

Gen. 32. 26.

Cant. 3. 4.

Isa. 53. 11.

rent; multos deceptos, qui te desiderarent ac possiderent; ego sum, Domine, magis perdita ovis, quàm ulla alia. Reperi me, Domine & Salvator meus! reduc me in viam bonam, Redemptor meus! pone me juxta te, ô bone Pastor! Ego te adoro, te cognosco, ac desidero amare te toto corde. Purifica me, expoli me, & fac me, qualem me esse desideras.

VI. O quantò melius mihi est in manibus tuis, quàm tibi in manibus inimicorum tuorum! quia tu videns te coram illis ligatum, nullum verbum dixisti, sed illis permisisti te totum, quasi ab eis dependeret salus tua, cùm ipsi facerent omnia contra jus fásque. Ego si me permittam tuis manibus, mi sincere Judex & Amice! possum loqui, clamare, à te audiri & consequi misericordiam. In his manibus melior fit causa mea; in his invenio justitiam, quâ careo; & nescio, quid me excæcet, ut te fugiam, & quæram potiùs judicium mundi. Omnes quærunt mihi facere malè; solus tu, Pater meus, æternus & amabilis Judex, quæris meum bonum, & suppeditas quidquid mihi deest, ut merear bonam sententiam; & ego te desero. O qui te nunquam fugisset, nunquam deseruisset hunc Patrem piissimum! nunc redeo Domine: nunc subjicio me tibi: nunc me trado in manus tuas. Recipe me in cor tuum, include me pectori tuo, uni me spiritui tuo, subjice me totum voluntati tuæ; ut vivam, non aberrem; ut meipsum horream, te amem, te possideam, ô Deus meus, ô amor meus, ô benignissime Judex meus, ô Pastor meus, ô bone Jesu, & Salvator meus, semper, semper, semper!

Extra Deū omnia nocent.

O sacratissima Dei Mater & Virgo purissima! in cujus corde regnavit semper hic Dominus, & in eo solo perfectè quievit in hoc mundō: quia es Mater peccatorum, adjuva istum, qui coram te stat. Monstra tua materna viscera, & impetra mihi à Domino veritates, quas docet, ut semper totam vitam meam gubernent. O curia cælestis, quæ semper intueris magnitudinem hujus Domini, & secura es de fructibus ærumnarum illius: impetra mihi spiritum, quo jam vivitis, ut per humilitatem hujus Domini merear vestrum consortium in æternum.

ÆRVMNA XXX.

Falsa testimonia dicta contra Dominum.

I.

SUstinuit Agnellus Divinus in domo Caiphæ, secundi judicis, gravissimas injurias: quarum prima, fuerunt falsa testimonia contra eum producta: quod est inter maxima mala, quæ pati potest natura humana. Congregati erant apud summum Sacerdotem omnes inimici Domini nostri, magnâ cum solicitudine, quomodo successerit ejus captivitas, metuentes, ne forsan, ut aliàs, eorum expeditio recidisset in vanum. Certiores autem facti de successu, magnâ sunt impleti lætitiâ, quæ etiam crevit, cùm viderent adduci captivum: quam risu, dicteriis, & sannis demonstraverunt. Quæstio præcipua fuit de vita & doctrina Domini, quarum utraque tam sancta & inculpabilis fuit, ut nulla inimicorum ejus malitia, odium & invidia quidquam invenire posset, quod cum veritate ipsi objicerent. Perverterunt totum ordinem justitiæ, & falsos testes excitaverunt, ut mendacio saltem aliquo colorem suis conatibus inducerent, & neci, quam decreverant illi inferre. *Sistitur Redemptor Caipha.*

II. Varia testimonia falsa prolata fuerunt: ut quòd blasphemiam dixerit contra templum, cùm dicebat, se illud in triduo reædificaturum, loquens de templo corporis sui: quod eos bene intellexisse, & malitiosè in alium sensum traxisse patet ex eo, quòd à Pilato petierint adhiberi custodes sepulchri, quia dixerit se tertia die resurrecturum. Alii accusârunt eum, quòd prohibuerit dari Cæsari tributa; cùm apertissimè dixerit, Cæsari danda, quæ sunt Cæsaris; & pro se jusserit dari staterem inventum in pisce, propterea capto. Alii accusârunt, quòd se fecerit Regem; cùm notissimum esset, eum fugisse, quando quinque millia hominum, miraculo à se satiatorum, voluerunt eum per vim Regem creare. In hunc modum alia plura dixerunt, quæ manifesta erant mendacia, neque ullam speciem veri criminis habebant, cujus possent reum peragere. Siquidem tanta Domi- *In odium veritatis falsò accusatur.* *Matth. 22. 21.* *Matth. 17. 26.*

ni innocentia fuit, ut etiam ipsimet hostes testimonium veritatis darent, ipso tacente. Interim autem accendebatur odium illorum, & invidia stimulabat ad excogitandum, quo ipsum perimerent. Nam eùm in illa purissima ac Divina luce ne minima peccati umbra cerneretur, conati sunt eum in aliquo saltem verbo deprehendere, si darent ei causam loquendi. *Nihil respondes ad ea*, dicebat Caiphas, *quæ isti adversùm te testificantur?* At ipse tacuit, quia sciebat nihil profuturum, neque volebat dicere, aut facere quidquam, quo Passio sua impediri posset, quam tantopere semper desideraverat: deinde, ut exemplo doceret, quàm nihili faciendæ sint machinationes mundi, & malitia, quando quis cum puritate conscientiæ Deum habet pro se, qui est securum refugium ac tutela suorum.

Decet, puritatem conscientiæ tutelam esse suorum.

III. Videns Caiphas, nullâ re Dominum dimoveri à sanctissimo suo silentio, summam admovet machinam sacrosancti nominis Divini: *Adjuro te*, inquit, *per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.* Erat hæc petitio talis, ut meritò sperari posset ex ejus responsione, conversio totius malitiæ & odii in adorationem, cum lacrimis ac dolore maximo de his, quæ in eum commiserant. Nihilominus Divino consilio Pater æternus uti voluit instrumento tam malo, qualis erat hic perversus Pontifex, in occasionem, quâ Christus clarè ac publicè suis inimicis aperiret supernam veritatem suæ Divinæ personæ, quam hactenus nunquam ita disertè expresserat; & ante mortem certos relinqueret de sua persona: quod nôsse tam multùm intererat. Audiens ergo Christus hanc adjurationem, habito potiùs respectu ad reverentiam Divini nominis, & ad fidem ac bonum Ecclesiæ suæ, quàm ad injurias ob responsionem sibi mox irrogandas, respondit apertè: *Tu dixisti. Ego sum. Verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Licet enim essentiam Dei visuri non sint, videbunt tamen omnes Humanitatem Christi sedentem à dextris Dei, in summâ gloriâ & majestate, tanquam Dominum universorum, judicantem hos ipsos suos judices: quantâ confusione ipsorum, tanto proborum solatio & lætitiâ. Hoc audito Caiphas, qui non

Matth. 26. 63.

animo

animò credendi, sed calumniandi interrogaverat, ritu Judæorum, animi sui sensum ac dolorem indicantium, scidit vestimenta sua exclamans: *Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* at illi omnes condemnaverunt esse reum mortis, quam dudum ei decreverant. *Et veritatem odium parere.*

IV. Sed hæc nondum videbatur sufficiens causa eum adigendi in crucem, uti volebant: nam cùm ipsis non liceret ullum occidere, opus erat auctoritate Pilati præsidis: hic autem, utpote gentilis & idololatra, parùm curaturus erat illorum religiones & leges. Itaque non nisi mendaciis & falsis criminibus videbant sibi obtinendum, quod vellent: ac proinde falsæ blasphemiæ, quòd se dixerit filium Dei, adjunxerunt alia duo falsa crimina, eáque capitalia, quòd prohibendo tributa dari Cæsari, & Regem se faciendo, concitârit populum, ac turbârit quietem publicam. Quæ summâ cum furiâ & vociferatione exaggeraverunt coram præside, Domino nihil pro se dicente, juxta illud Isaiæ: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus, coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isa. 53. 7. Judicet quisque, quàm gravis fuerit hæc ærumna Christi, & quàm exaggerata patientia: videmus enim non paucos pati gravia; sed quando venitur ad falsa testimonia, non tantùm naturæ videntur intolerabilia; sed etiam rara est virtus, quæ sufferat silentio. Quando verò servus Dei se resolvit ejus amore illa sustinere, hoc ideo facit, quòd inveniat in se multos veros defectus, & obligationes erga Christum, ut offerat injuriam falso crimine sibi illatam pro aliis veris erratis; & quæ non meretur, in compensationem aliorum debitorum, & in gratiarum actionem pro bonis ab eo acceptis. Sed vita Christi talis fuit, ut nullus inveniretur in eâ nævus; nulla umbra defectûs, quâ humiliaretur; nullum debitum erga eos, pro quibus patiebatur: sed mero amore sustinuit omnia. *Falsa testimonia plerumque dolent naturæ.*

V. Imò sic apprehendunt plerique hanc injuriam, ut valde pauci possint secum inire rationes prædictas, ut sufferant. Et si pro aliis malis tolerandis multas sæpe causas inveniamus, tamen duplo plures ferè habemus, cur falsum testimonium tolerandum non videatur: & videmus in Sanctis quibusdam, quam- *Unde sine magna difficultate non perferuntur.*

vis ulciſci ſe non velint, graviter tamen eos dolere & queri. Et verò malum hoc adeò noxium habetur atque terribile, ut major pars hominum, non dico mundanorum, ſed etiam eorum, qui profitentur ſanctitatem, invenire ſoleat rationes virtutis, & honoris Divini, cur diſſimulare non oporteat, ductas ab exemplo & ſcandalo, vel ab auctoritate & dignitate virtutis aut ſtatûs, vel aliis, quæ perſuadeant, ſine culpa diſſimulari non poſſe, obligando conſcientiam eorum, quorum eſt impedire ſcandala, defendere honorem DEI, tueri dignitatem ſtatûs & ordinis, vendicare innocentes & ſtudioſos virtutis à calumniis & injuriâ. Sed eſto Chriſtus non obliget ad tantam perfectionem, quantam ipſe exercuit; qui tamen deſiderat eum ſequi perfectè, pro certo habeat, Chriſtum nullius virtutis moralis exemplum dediſſe, quod imitari non poſſit, quantumvis heroicum & perfectum ſit. Neque contra hoc inveniri poſſunt argumenta tam fortia, ut non multò fortiora ſint ea, quæ Spiritus ſanctus ſuggerit mentibus illuminatis, confirmata vivis & efficacibus exemplis virorum Apoſtolicorum, & ſanctorum vitæ valde perfectæ. Quare qui hæc non aſſequitur, Deo gratias agat, quòd tam clementer egerit ſecum, ut noluerit ſe obligare ad tantam perfectionem, quâ fragilitas ejus terretur: & laudet eos, in quibus illam videt, & quò ſe remotiorem cernit ab ea, hoc magis eam deſideret.

Bona vita conſervat bonam famam.

VI. Diſcamus ab hoc Divino Magiſtro verum modum conſervandi honorem; qui conſiſtit in bonâ vitâ, quâ nulli demus occaſionem ſcandali: quia juxta S. Auguſtinum, qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt. Non vult hic Sanctus, ut nobis honorem procuremus, vel ademptum recuperare ſtudeamus inordinato ſenſu doloris, querimonia, gladio; ſed vult eum conſervari bonâ vitâ & exemplo. Modeſtia & compoſitio externa, continua & fervens occupatio interna cum Deo, patientia, ſilentium, tolerantia laborum & moleſtiarum, obſervantia legum & mandatorum, aſſiduitas in officio ſuo, benefacere omnibus, vitare peccata, & aliæ virtutes ſunt, quæ honorem & exiſtimationem conciliant homini, quando is eam minimè quærit, & confundunt ora maledicentium, Sicuti videmus Judæos eſſe

esse confusos cum falsis suis criminationibus, Christo nec verbum ad eorum refutationem dicente. Qui voluit ingredi hanc viam, incedet securè. Verum est, secretum tolerandi falsa testimonia pro amore Dei, nihil respondendo, & vincendi tacendo ac sufferendo, est intellectu difficile, & paucis notum. Certum tamen est, in eo magnam esse virtutem, & singularem gratiam, si debile cor hominis elevetur ad hunc statum: nec minùs certum, statum hunc abundare bonis cælestibus, & fundatum esse in beatâ regione perfectæ pacis; quod cùm verbis declarari satis non possit, credamus his, qui experti sunt. Pro conclusione sufficiat, hanc fortè gravissimam fuisse omnium ærumnarum, quas passus est Christus, virtute tantò magis admiranda, quantò minùs intellecta, quâ etiam consummavit suam victoriam. Sufficiat etiam iis, qui in hoc ipsum sequuntur, promissum esse thronum triumphalem, in quo suos inimicos olim judicaturi sunt.

Detractor sua ipse criminationibus confunditur.

EXERCITIUM

Circa falsa Testimonia, quæ pertulit Christus.

I.

O Gloria & honor justorum, ô Via gloriæ, Veritatis & vitæ! voluisti, ut etiam hoc injuriæ tibi non deesset, quod pateris mei amore; ac sustinuisti, Deus meus, ut etiam falsi testes adducerentur, contra tuas veritates æternas. Adoro te, summa Puritas! adoro te, Fili Patris æterni, Deus, Rex, & verus Dominus meus! quid unquam in te potuit invenire mundus, quo offenderetur, quódque cum veritate in te reprehenderet? quid contra te dici potuit, quod non esset magna, & impudens blasphemia? nihilominus tuam doctrinam cælestem arguunt mendacii; actiones sanctissimas criminantur, ac te mendaciorum & blasphemiarum damnant impudentissimè: ô amor animæ meæ! quàm contrarium est hoc genus injuriæ meritis tuis? Et tamen hoc totum nondum sufficit mihi, ut gaudeam tibi fieri similis: ô quàm diversum ac remotum à te me invenio in omnibus rebus! ô quantum sentio, quidquid contradicitur meo honori! quomodo te

Querimonia amantis animæ.

statim amitto ex oculis, quando me tangunt in aliquâ re, quam non feci, & in quâ puto versari meam existimationem! & pluris æstimo honorari à mundo, quàm tibi fieri similis: non potest, Domine, mundus veræ culpæ te arguere; & quando contra me dicit aliquid falsi, tu, Judex meus, novisti, quòd in meo corde sint vera, & verè mala coram oculis tuis.

Humilis detestatio peccatorum

II. O Deus, & inspector omnium internorum meorum! tu scis, Domine, si videret mundus abominationem cogitationum ac desideriorum, quæ oculis tuis manifesta sunt, quando me vel maximè volo justificare, quòd me fugerent homines. Et valde parum illos facere, respectu ejus, quod facerent, si novissent mala animæ meæ, quæ confiteor coram oculis tuis; & quàm malè respondeam obligationibus, quas erga te habeo: quàm longè aliam de me opinionem haberent ab eâ, quam nunc habent. Et cùm tu abscondas mundo, quod posses manifestare; tanta est mea superbia, ut me ipsum non agnoscam, & justificare me velim apud homines; nec tolerem vel minimam labem honoris mei, & erubescam te imitari; reputando me humilem, si vel minimum quid patiar ejus, quo tu copiosè oppletus fuisti. Tu me doces, meum honorem defendere puritate conscientiæ, bonitate vitæ, sanctitate morum, & sufferendo injurias: & ego eâ conscientiâ, quam tu vides, absque virtute & bonitate, solâ impatientiâ & linguâ volo comparare mihi honorem ex eo, quod me jubes contemnere: ô misericordiam! Domine! noli me separare à te: planta in corde meo hanc veritatem, & fac, ut credam illam mihi profuturam.

Abjectus est, qui aliquid in hac vitâ magnificis.

III. Longè fac à me, Domine, propriam æstimationem & mundi: ô quàm sum vilis & abjectus, quando magni facio aliquid in hâc vitâ sine te, quantumvis magni fiat à mundo! quoties, Domine, cogito tuum honorem augeri, cùm facio, quod mihi placet; sed offendi te, cùm tibi assimilor sufferendo aliquid injuriæ? ubi est mea vera sapientia, mea lux vera? si est vera, & eam adoro in te, cur eam sequi non volo? si clara est, quomodo in tenebris ambulo? quomodo non semper video, quòd tacendo, & tolerando tui amore, ac permittendo me tuæ providentiæ, ad

imitan-

imitandum te, crescat honor meus, justificetur virtus, & veritas melius cognoscatur, quàm si multùm turbando eam velim defendere? liceat mihi, Domine, petere, ut digneris mihi respondere, me illuminare, & inflammare in amore hujus veritatis: ubinam est, Deus meus, & sol veræ justitiæ, ista lux & veritas tam aperta, & tam occulta? ô Domine & magister meus, ô Deus meus, & Pastor meus, ô speculum veritatis æternæ! nam etsi totum credam fide, nihilominus occultum retines in te splendorem, & lucem illius, ut non degustem, neque intelligam, nisi amore & experientiâ, cum vero desiderio te imitandi. Cùm igitur ita sim cæcus, illumina me: da mihi, Deus meus, veram scintillam tui amoris: doce me, ut interiùs cum gustu & fide me tradam in manus tuas; ut videam Divinam hanc lucem, & sequar; ut semper viva in meo corde remaneat.

IV. Si quæram tibi conformari, quid mali mihi potest accidere? & quid est hic mundus? quid illi debeo, vel quid mihi boni facere potest, ut studio illi placendi, erubescam tibi fieri similis? mundus judicat instar cæci, & quasi fanaticus res probat & improbat. Tuos persequitur velut hostes: promittit, & ut mendax non servat: illudit, ut adulator, & tribuit honorem apparentem, qui in momento evanescit. Sed tu, Deus animæ meæ, honoras me tanquam æternus: promittis & servas, tanquam fidelis; administras justitiam, velut incorruptus; remuneraris, ut omnipotens, eos, qui patiuntur pro te: amplecteris & imples suavitate ac bonis eos, qui desiderant, & magni æstimant fieri tibi similes. Et tamen ego propter mundum à te fugio: reputo pro terribili onere, aspernari honorem mundi præ tuo: & malo placere vanitati, & opinionibus hominum, quàm veritati, quam adoro in te. O misericordia infinita! quando videbo hanc mutationem in me? non est in me res, Domine animæ meæ, propter quam debeas mihi dare gloriam similitudinis tuæ, sed pœnas & tormenta, quæ pro me toleras. Muta, ô bonum ac Domine animæ meæ! cor meum, quia me nimiùm pudet abesse tam longè à tui imitatione, & æstimatione, quam deberem habere de hac veritate.

Conformis Christo omni calamitate superior est.

V. Sed,

Desiderium tolerandi contumelias.

V. Sed, ô Domine, ab hac hora erit hæc mea voluntas. Propono cum gratia tua tolerare pro te quæcunque falsa testimonia, quasvis contumelias & injurias, quæ mihi obvenient. Ignosco ex toto corde omnibus, qui contra me aliquid fecerunt, aut facturi sunt. Tui amore remitto omnibus obligationem instaurandi mihi famam, quam obtrectando detriverint: neque volo Deus meus, habere honorem vel existimationem, nisi tecum, & quam in obsequia tua mihi dare dignaberis. Ne permittas, Domine, ut quisquam patiatur propter me: da, Deus animæ meæ, bona pro malis, quæ mihi intulerint, & magna charitate eos tibi conjunge. Et si hoc terreum cor meum non statim est integrum in hoc desiderio & proposito, sicut velles; tu Domine, fac in me voluntatem tuam, illumina me, Deus ac Dominus animæ meæ: noli radios Divinæ tuæ lucis à me abscondere. Penetrent cor meum flammæ tui amoris, ut mutent hanc meam duritiem in veram imitationem, & unionem tuam. Da mihi, Domine, vel adime existimationem apud homines, prout magis ad honorem tuum conveniet: ita ut à me tollas omnem existimationem propriam, ut, quando apud alios mihi aliquam dederis, non recedant à corde meo ardentissima desideria contemptûs & humiliationum; sed me confirma in desiderio & gustu patiendi pro te, si eandem existimationem rursus abstuleris.

VI. Sed, ô Domine, quid contra te dicunt hi scelerati? da licentiam mihi, bone Jesu! ut, quia isti de te judicant tam malè, ego te judicem & adorem pro eo, qui es. Dicunt, quòd Filium Dei te feceris, & te condemnant ut falsum Deum. Errant, summum bonum meum! non te falsò fecisti Filium Dei; quia verè ab æterno es generatus à Deo Patre. Ego, Domine, quanto possum amore ac fide, prostratus coram Divina tua Majestate, abscondita in hac sacra natura humana, te adoro, ut verum Filium Dei, ac Deum æternum, omnipotentem, infinitè sapientem, bonum, magnum, excelsum, & per omnia æqualem Deo Patri. Tu es tota mea beatitudo, perfectus thesaurus omnium bonorum meorum, & magnitudinum gloriæ. Dicant illi, quod volunt, tu semper es talis, amor meus, & gloria mea, summa pulchritudo mea, & felicitas æterna. Te adorant Seraphim & Cherubim: te agnoscit

JESUS thesaurus bonorum nostrorum.

scit tota curia cælestis : ego terræ vermiculus simul cum ipsis, & omnibus creaturis te adoro pro meo Deo vero, & Filio Patris æterni. Opera tua, Domine, te manifestant: miracula tua te ostendunt: sola malitia ac cæcitas humana te non cognoscit. Quando tu, æterna mea pulchritudo! ostendis aliquem radium tuæ lucis divinæ huic cæco cordi, ô quàm clarè cognoscit, te esse verum Filium Dei, & in seipso per tuam operationem id experitur multis modis in fide. Sed ô quando veniet illa dies beata, illa felix hora, quâ mea anima à te & pulchritudine tuâ capta dicat tibi: Tu es Deus meus, Dominus meus, & amor meus; & ego nesciam diligere vel æstimare quidquam extra te, ô Deus, ô amor, ô Salvator meus?

suam celsa dignitatem.

VII. Judicant te reum esse mortis, quòd Regem te feceris. Ipse, Domine, non gessisti te pro Rege in terrâ, & abscondisti te, ne appareres, qui eras. Sed cui obediit mare, quando super illud ambulâsti, & ad mandatum tuum quievit? cui obediit mors & sepulchra, cùm ad verbum tuum vitæ reddiderunt mortuos? cui dæmones, cùm jussu tuo egrederentur ex obsessis? cui sanitas, cùm tua virtute restituisti infirmos? nónne suo vero & unico Regi? adoro te, Rex ac Dominus meus. Tu me gubernas tuâ sapientiâ, succurris meis necessitatibus tuâ abundantiâ, me castigas tuâ justitiâ, parcis tuâ clementiâ, erudis sanctis legibus, ditas me beneficiis, abunde remuneraris mea servitia, tueris divina virtute. Quid ergo viderunt illi in te, ut te pro falso Rege haberent? forsan opera tua non monstrabant potentiam tuam, & eam non confitebantur dæmones? veniat in me, Domine, Regnum tuum: regna sine contradictione in anima mea. Hi scelerati, qui in te non credunt, te damnent, ut volent; ego te agnosco, recipio, amplector, & advoluor tuis divinis pedibus: quia tu verus Rex meus es. Accipe, Rex ac Deus animæ meæ, hanc meam voluntatem, & fac ut semper tibi sit fidelis, neque te unquam prodat, sed maneat semper in tuis obsequiis.

Obedit Capisari,

VIII. Dicunt præterea, quòd prohibueris dari tributa. O Deus meus, quis ab his fuit magis immunis, quàm tu? & tamen priusquam nascereris, deportatus es in Bethlehem, ut velut

pro ſubdito Cæſari pro te detur tributum: & poſtea mandâſti Petro, ut pro ſe ac te tributum daret, & præcepiſti dari Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. At illi falſis teſtimoniis te onerant, tu verò nihil reſpondes. Talis es, Domine, ut ſemper mala pro bonis accipias, mendacia pro veritate, pro æquitate injuſtitias. Adoro te, Domine, pro meo vero judice, & non pro raptore alieni, qui omnibus largiris omnia bona. Quid tibi tributis eſt opus, qui tribuis omnia, & omnia mei amore contemnis? tributum cordis prohibes dari mundo, & vis amorem animæ tribui tibi ſoli. Si de hoc te accuſant, verum eſt: & quia propter hoc moreris, ego Deus cordis mei, tibi conſigno hanc animam; de qua non volo dare tributum, ſed totam tibi offero cum omni amore meo. Ne ſinas ergo, Domine, ut alius habeat partem cordis mei, ſed tu totum poſſideas.

Mala pro bonis recipit,

ſolus vult occupare cor noſtrũ,

IX. Accuſant etiam te tanquam turbatorem populi, & quietis publicæ. O ſacrilegi! Tu bone Jesu, verus Pacificator es: tu reconcilias nos patri: tu veram doctrinam tradis: tu fide purificas corda: tu tollis falſas interpretationes legis divinæ: tu ſeminas legem amoris: tu corda noſtra conjungis puro amore tui & proximi; qui te audiunt & ſequuntur, ſunt in pace: qui te deſerunt, in omnibus turbati & inquieti ſunt. Quem tumultum excitâſti in populo, Deus meus? ſuſtinuiſti culpas omnium, promiſiſti regnum cælorum, recepiſti peccatores, curâſti eorum infirmos, illuminâſti cæcos, monſtrâſti eis viam ad cælum; & hi te vocant perturbatorem populi? Benedictus ſis, Deus ac Dominus meus, quòd ad tam evidentia mendacia, contra opera tam ſancta, vitam tam innocentem, taces, ac ſinis te condemnari pro eo, qui non es! Adoro hanc patientiam, hunc divinum amorem, quo pateris omnia. Quando, ô Deus meus, in me accendes hunc ignem?

abſque illo omnia turbantur:

O Mater Dei ſanctiſſima, in cujus Unigenito nulla vera labes invenitur! in te recidit major pars hujus injuriæ, ut Mater impoſtoris ac perturbatoris habearis: tu non ſine maximo dolore ſentis hæc falſa teſtimonia contra ſanctiſſimum filium tuum, fidelis ſocia in perferendis ejus injuriis: impetra mihi hanc gratiam, ut nullum alium honorem habeam, quàm

ut

ut filio tuo in hoc similis fiam. Impetra mihi, ut mea gloria sit pati cum eo, vivere abjectum ac despectum cum eo. Non me noverint homines, ut notus sim tibi.

O Angeli, qui adoratis hanc veritatem! ô Sancti, qui eam secuti estis! laudate pro me Dominum, ut dignetur illuminare me. Impetrate mihi robur eum imitandi, & ut nolim alium honorem, præter ejus amorem ac similitudinem. Amen.

ÆRVMNA XXXI.

Alapæ Christo inflictæ.

I.

Tam fuit evidens falsitas accusationum Domini, quibus eum Pharisæi ac Principes populi cogitabant apud Pilatum adigere in crucem; tanta quoque existimatio ejus & fama apud populum, ut valde metuerent, nec apud populum neque apud judicem id obtineri posse, quod volebant; sed potiùs honorem & opinionem sanctitatis vitæ ac personæ ejus inde auctum, & se pro calumniatoribus & malignis habitū iri. Quia ut veritas ac virtus defenduntur à seipsis; ita malitia non aliam rem timet magis, quàm seipsam; præsertim si sub specie sanctitatis incedat, & veneno suo plus noceat, & justificetur non apparendo, sicut virtus prodeundo in lucem. Sed ut malitia & virtus extremè sunt contrariæ, ita malitia sibi ipsi semper diffidit, ne etiam sub pallio virtutis satis dissimulare seipsam non possit. Quæ causa est, ut nunquam quieta sit, sed novos semper dolos & nequitias excogitet, utpote quæ metuit omnia. Ita vera fit sententia sacræ Scripturæ: *Perturbatam conscientiam semper* Sap. 17. 3. *sæva præsumere*: quia videt, quanta sit causa, ut nihil sibi ex voto procedat, sed omnia in contrarium. Et sicuti cogitat de seipsa, quòd quidvis mali possit facere; ita non cessat quærere novas astutias, quibus tueatur se ab omnibus: quod fieri non potest, nisi mala malis addendo.

Virtus seipsâ defenditur malitia sibi ipsi timori est.

II. Ita Pharisæi & principes sacerdotum nihil magis curabant, quàm ut Christi existimationem apud populum everterent, suam verò adstruerent, quam videbant iuxta veram Christi sanctitatem non posse consistere; quòd nimis clarè appareret ipsorum

Dolo Iudæi famam, Domini denigrant

rum malitia, cum falsitate rerum, quas contra eum proferebant. Cùm ergo Domini personam, vitam, doctrinam, & miracula pessimè odissent, & eum jam haberent in manibus, constituerunt astutiâ diabolicâ illum populo contemptibilem reddere, se verò commendare: ad quod usi sunt notâ populi inconstantiâ & levitate in judicando, ut qui res parùm profundè perspicere, & multùm strepitu, clamore, multitudine, ac specie externâ solet moveri. Propterea cœperunt Christum publicè vexare omnibus contumeliis & injuriis, ut rei gravitate mota plebs rudis & inconsiderata confunderetur in suâ opinione de illo, existimans Pharisæos, qui profitebantur sanctitatem, principes ac sacerdotes nihil tale in illum designaturos, nisi reperissent in illo justam causam, eámque enormem, quam vulgo manifestari non expediat. Et successit eis astus è voto. Nam mox alterâ die populus, qui Dominum secutus erat, ab ejus ore pependerat, obstupuerat ejus miracula, & acceperat eum tanquam delapsum è cælo, vela vertit, & ab eo descivit, versus in hostem.

Opinionem populi pervertunt.

III. Servivit eis hæc astutia etiam ad exsatiandum vetus odium contra illum, quod animo dudum inclusum, jam cum furiâ, gustu & rabie maiore effuderunt per injurias, suis & carnificum manibus irrogatas. Initium fecerunt à densis colaphis, quibus veneranda & sacratissima facies ejus livore, tumore, sputis deformata, barba & cæsaries vellicata est. Quod licet noctu fecerint, manè tamen bene apparuit in publico, quid esset perpessus. Servivit insuper eis hæc astutia ad suffocandam justitiam, ac turbandum judicium præsidis. Licet enim is Christum haud nôsset, tamen ex multitudine harum contumeliarum corruptum est ejus judicium, ut pro innocentiâ etiam perfectâ pronuntiare non posset. Unde factum est, ut, cùm accusantium auctoritati, ac tumultui plebis non prævaleret, mortis sententiam in eum denique tulerit.

Judices eorrumpens.

IV. Acceperat Christus jam apud Annam colaphum ita sævum, ut Ioannes eum, tanquam notabile quid, silentio prætereundum non duxerit. Sed ubi à Caiphâ judicatus est reus blasphemiæ, certatim se omnes accinxerunt ad ejus injurias. Vinctis

ergo

ergo post tergum manibus, & fune in collo, forsan & capillo, qui prolixus erat, retentus, ut se non posset avertere, omnium licentiæ fuit expositus. Quanquam illâ industriâ opus non erat: cùm enim ipse dudum docuisset, si quis percutiatur in unâ maxillâ, ut etiam præbeat alteram; eam doctrinam exemplo suo confirmandi occasionem neglecturus non erat. Nec refert, quòd hoc apud Annam non fecerit: quia id infirmitatis nostræ solatio dedit, quâ solemus initio cum dolore ferre injurias; assueti postmodum iis, cum delectatione. Instruxit ergo nos, quomodo, licet aliquid patiamur cum sensu, tamen etiam tunc evitare debeamus impatientiam, & indignationem scandolosam, mansuetudine in verbis & gestibus retenta. Nam & ejusmodi patientia DEO placet, quamvis nondum perfecta sit. Ut autem non dubitemus, eâdem, si continuetur, demum dolorem in delectationem vertendum, & cruciatum in gloriam, quòd aliquid mereamur pati pro Dei amore; voluit silentio pati, quæ illata sunt ipsi in domo Caiphæ.

Patientiæ dolorem in delectationem vertit.

Et cruciatum in gloriam.

V. Illa verò colaphorum seges, quàm inhumana, quàm densa, quàm inconditis verbis, & inurbanis gestibus in eum effusa fuerit, cogitatione, aut sermone quis poterit assequi? cogitetur odium inveteratum Judæorum, imò Sathanæ ipsius erga Dominum, Judæos incitantis in illum, cùm nemo adesset, cujus reverentiâ retraherentur. Isaias conatus est exprimere, qualis fuerit, cùm dixit: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum. Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiente.* Denique talis erat, ut idem Propheta præmiserit, non fore qui credat, si à se dici audiverit, eum sic esse deformatum, ut talem faciem nemo reputet factam à DEO: cúmque facies magnum argumentum esse debeat sinceri amoris vigentis in animo Christi, id ipsum in tantâ deformatione ampliùs agnosci non posse.

Isa cap. 53. vers. 2, 2.

VI. Erat verò facies Domini tam pulchra, gravis & modesta, ut omnes intuentes ad venerationem permoveret; ac proinde licet odio summo Judæi ferrentur in ipsum, non tamen

ita liberè poterant illud exercere, ut volebant, aliquâ saltem reverentiâ eos retinente. Noverant quoque longâ experientiâ, illi notas esse cogitationes & malitiam suam, quam & nonnunquam detexerat. Ergo ut minore timore, maiore audacia litarent odio suo, velârunt faciem ejus: atque ita eum alapis, pugnis & sannis tanquam morionem tractare cœperunt impudentissimè, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Intolerabilis malitia! qui conferet majestatem hujus divinæ personæ, cum vilitate homuncionum istorum, talia in illam designatium summâ impudentiâ, necesse est, ut obmutescat præ admiratione: præsertim si etiam attendat patientiam, silentium & mansuetudinem Christi hæc tam indigna perpetientis: imò & internam animi dulcedinem erga eos, à quibus & pro quibus ea patiebatur.

Obvelant oculos omnia intuentes. Matth. c. 26. v. 6. 68.

VII. Magis tamen admirandum est omni intellectui creato, quod apparet in hoc speculo lucis æternæ, non dico apud eos, qui ista non credunt, neque adorant ut remedia salutis; sed multò magis apud Christianos, qui sciunt solùm virtute & meritis harum injuriarum patere sibi fontes perennes omnium bonorum. Hi tanti faciunt unam alapam, ut non vereantur illi, qui inflixit adimere vitam, & perdere animam suam. Atque hoc licere ita firmirer sibi persuadent, ac si lex foret lata in cælo, in quâ Deus dispensare non velit. O Christiani, quàm malè perpenditis vestram obligationem! cælum exemplo Christi non obtinetur alio modo. Animæ jactura compensari non potest. Nimis nota est differentia majestatis Christi à vilitate peccatoris. Malum esse tolerari à Christiano, quod sustinuit Christus, fides negat: & omnia vera esse, quæ fides docet; falsa verò, quæ improbat, in confesso est. Ex istis despectibus anima firmam spem capit honorum cælestium. Amor accenditur aspectu Christi patientis: sola præsumptio vanitatis, & opinionis terrenæ excæcat mentes Christianorum, ut omnia, quæ videntur in Christo, quæque scribuntur, conformiter doctrinæ Evangelicæ, spargantur in ventum, nec admittantur in animum, quasi essent meræ fabulæ. Admiratione digna, & extra omnem ratio-

rationem est hæc tanta insania, quæ Christianis insedit: quia totus hic error provenit non ab amore salutis animæ, sed corporis, quod sepelitur in terra, & conculcatur; quando jam nihil ei prodest humiliatio: quam si æquo animo tolerâssent, Deum sibi obligâssent ad largienda sibi bona cælestia cum gloria sempiterna: at ipsi credunt se obligatos ad perdendum potiùs corpus & animam, quàm ut minimam injuriam ferant. Multa quidem afferunt in excusationem sui, ignorantiam, infirmitatem humanam, occasiones improvisas. At ipsi fatentur hunc esse manifestum errorem contrarium fidei & legi divinæ, & exemplo atque doctrinæ Christi, qui errare non potuit: non igitur excusat ignorantia. Sed neque infirmitas seu passio, cùm rationi prævalere non debeat: neque occasio, nam repudiare potest animus liber. Manet ergo, tantùm ex merâ malitiâ diabolicâ id provenire, & ex perversâ voluntate ac judicio, quo Christus multò magis offenditur, quàm omnibus alapis, quas in Passione accepit.

Contemptus Deum obligat ad largiendam gloriam.

VIII. Non potuit Christus apertiùs declarare nobis mentem suam, quàm cùm dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Æquissimum profectò, ut Christus tueatur hîc suum honorem, nec toleret inter suos in cælo, quos facere pudet in terrâ, quod ipsemet fecit: dum vilissimi & miserabiles peccatores pluris æstimârunt res terrenas, quàm imitationem Regis cælestis; & secuti vanitatem obturaverunt aures & corda veritati suæ doctrinæ. Gratias Deo magnas debent, qui vitam religiosam professi, liberati sunt ab hac obligatione mundanâ tuendi puncta honoris: ut adeò ipsi homines mundani, qui pereunt ob illa puncta, scandalizentur, si videant illos non imitari Christum in ferendis injuriis: cùm teneantur tueri solum honorem DEI privatim ac publicè, gloriantes de hac suâ felicitate: & cavent̃es omni studio, ne rursus introducant in religionem puncta mundi, à quibus Deus ipsos eripuit. Meminerint autem sæculares, Christum non dispensaturum unquam in veritate suæ legis, nec admissurum excusationem, quòd se imitati non fuerint: cúmque mundum declaraverit suum hostem, conentur

Luc. c. 9. v. 26.

Religiosi honore proprio contempto Divinum tuentur.

tur eum sibi reconciliare priùs, quàm veniant ad judicium. Quamvis enim in hâc vitâ fuerit mitis ac patiens, ut amore nostri sustineret omnes injurias; rigidus tamen erit olim in condemnandis iis, qui ob respectum legis & judicii mundani, noluerint ipsum imitari in hâc parte. Equidem his, quibus hoc videtur valde difficile, suaserim, ut confisi misericordiâ Dei, coram ejus majestate faciant generosum propositum, nihil agendi ex judicio & opinionibus mundi, ne cum vitæ quidem & honoris periculo: factóque hoc generali proposito, diffidentes viribus suis, prosternant se ad pedes domini, & per has ipsas alapas ejus petant gratiam; ut, cùm tam potentes fuerint, ut obseratas cæli portas panderent, ac spoliarent infernum, aperiant sibi cor ad excipiendam lucem & gratiam Dei; & expellant à se timorem terrenum, assumendo robur ad validè resistendum omni humano terrori. Quo facto, Christus Dominus noster, qui pro plantandâ in cordibus nostris veritate suâ sustinuit omnes injurias, magni faciet hæc desideria nostra, & operabitur in nobis solita sua mirabilia.

EXERCITIVM

Circa alapas Christo inflictas.

I.

SIne me, ô bone Jesu! intueri pulchritudinem divini vultûs tui, priusquam profanæ manus crudelium carnificum illam deforment. Adoro te, cælestis pulchritudo! in quam desiderant Angeli semper aspicere: quam admirantur beati; ô lætitia cæli, gloria te amantium, suavis & amorosa captivitas te quærentium! Quis unquam, Domine, audebit mittere manus, & profano tactu contemerare divinam hanc faciem? sufficiant tibi, Domine, aliæ injuriæ, quas passus es. Ne permittas, ô amor animæ meæ! ut accedant ad conspurcandam hanc divinam pulchritudinem; ne animæ illâ captæ, & ex illâ viventes, eam non amplius possint agnoscere. O crudi & inhumani! ô saxo duriores! si scireti*s*, quem habeatis inter manus; si nôsset*is* pulchritudinem, con-

Gloriosa captivitas quæ te sectantium facessere.

tra

tra quam insurgitis, ô quomodo mox mutaremini è feris lupis in agnos! Ego, Domine, ego sum durus, qui video te percuti, & vivo, neque cor mihi ruptum dissilit in frusta. Video ferale odium inimicorum tuorum crudelissimis alapis exerceri in hoc divino vultu; & adhuc manet in me spiritus, nec exanimis corruo, sed oculis intueor te sufferentem has injurias!

II. Quid hoc est rei, bone Jesu? non satis est, videre omnia hæc membra distensa in cruce; sacratissimam carnem dilaceratam flagellis; & hodie nullam partem sanctissimi tui corporis integram fore; ut nec divino tuo vultui parcas, & in ipso fieri velis initium tormentorum? quomodo, DEUS meus, inveniri possunt corda & viscera talia, quæ simile quid audeant? quomodo cessat omnis reverentia erga hujus divinæ faciei modestiam, gravitatem & majestatem? & insuper, ut liberiùs percutiant, eam obvelant? Verè, Domine, te delectat humiliari, & exercere mansuetudinem: quod si non ita esset, impossibile foret, exponere divinam hanc faciem impudentissimis istis injuriis. Hîc, ô lux animæ meæ! video, quàm procùl absim ab hac humilitate. Edico palàm omnibus, amore tui me paratum esse tolerare summas, quæ inveniri possint, injurias: sed cùm considero interiora mea, & veritatem dicere volo; quando sufferendæ forent alapæ contra justitiam, & ab hominibus me inferioribus, licet publicè dicam me paratum ad illas, quòd videam vultum tuum adeò tractatum indignè; confiteor meam infirmitatem & miseriam, tunc ego vel multùm turbor, vel magno mihi constat eas tolerare; vel denique omnino non tolero. Et quare hoc, DEUS meus? quia mea humilitas consistit solùm in lingua; superbia verò intus est in mea vili natura. Tu, ô divine Agnelle! tanquam humilis corde & animo, & cum gustu, non habes rationem divini vultûs tui: tacendo & sufferendo, plenus amore erga ipsos, qui te afficiunt injuriis; te das illis in manus, ut mihi parcatur, qui commerui. Et ego superbus corde & animo, cum exemplo tam efficaci nondum habeo desiderium offerendi me ad alteram alapam, si unam accepero. Quandónam, Domine, humiliabis ac deprimes hanc meam superbiam? quando me facies mitem, & humilem corde?

Cujus desiderium injurias redit acceptas.

Mundana leges in Christo cessant.

III. Leges mundi inveniunt rationem, ut occidam eum, qui mihi infregerit alapam, & æstimem pluris meam faciem, quàm alterius vitam. Sola mancipia non vindicant alapas sibi datas à dominis: & tu, meum summum bonum, pluris æstimas meam vitam ac salutem, quàm sacratissimam faciem tuam. Quis fuit ille, Deus meus, qui meum servum te fecerit? poterit forsan dici de te, amorem tuum esse cæcum & insipientem? quis es tu, & quis ego, & quis tu propter me? ô secretum! ô ignis! ô altitudo divini amoris! ô amor, qui tam mirabilia facis in hoc domino, pro mei amore! quomodo non mutas hunc vilem terræ vermiculum? ut audeat aliquid pro ejus divino amore, an reperis majorem in me resistentiam, quàm in hac divina majestate? ô me miserabilem, ô frigidum, ô pauperem! quàm longè absum ab hoc igne? ô qui videret eum accensum in isto corde!

Ingratitudo peccatoris,

IV. Pudet me mei, Domine, cùm video, quòd ii, à quibus tam indignè exciperis, non sint animalia bruta, aut fera, sed homines, ejusdem mecum naturæ, & me filium ejusdem Adami, cuius illi sunt, nasuræ tam improbæ, tam cæcæ, tam perversæ, ut cadat in eam odium hujus divinæ pulchritudinis, audacia verberandi hanc faciem, tædium intuendi hunc cælestem decorem, & malitia velandi eundem, ut liberiùs in eum insaniant. Ego, Domine ac Deus meus, non solùm peccatis meis promerui, quæ tu pateris, & eorum caussa fui; sed & natura, quæ te sic tractat, mea est: & ego tamen eam non odi, non horreo meipsum ex corde, sed amo illam & meipsum plùs, quàm te, & legem tuam. O me miserum! quàm sum vilis, dum te non cognoscendo invenio causas te non amandi ex toto, ac tradendi me tibi, ut me ames, me succendas tuo amore, me mutes, humilies & exaltes. O Quando facies mutationem hanc, Domine? quando mihi dabis odium meiipsius? quando aversabor rem, quæ sibi relicta sine gratia tua profert tantam malitiam? ô mi bone Jesu! ô mi humilis Jesu! perfice in me opus, pro quo tanta pateris: nam si manum tuam tollas à me, pejor sum his ipsis, qui nunc te cruciant: quia sum tam durus, ut, licet alapis te non petam, ut ipsi; tamen me non mutem, non me humilem ex corde, non me penitùs horream.

V. O mi

V. O mi bone JESU! tantum est odium, quo contra te flagrant, ut nolint videre quidquam, quo mitigetur eorum rabies: ideóque velant pulchritudinem & modestiam divini vultûs tui. Quomodo, Deus ac Dominus animæ meæ! remansisti inter manus tam crudeles, ex odio tam diuturno contra te, quod nunc erumpit in sacratissimam faciem tuam per tot alapas? ô amor animæ meæ! noli à me abscondere divinam hanc faciem, quantumlibet malè deformatam. Ita illam desidero, ita adoro: monstra mihi eam hoc modo, ut sola tua pulchritudo me capiat; amor velati vultûs me accendat, me rapiat. Ignosce mihi, Domine, mala, quæ dolet anima mea contra te commisisse. Ah quoties, Domine, vultum tuum velavi, ut liberè sequerer meos appetitus! Jam in eo, quod faciunt hi carnifices, me illumina, ut intelligam verè, qualis fuerim hactenus. *Faciem DEI abscondit.*

VI. Quid agis, Domine, quando lego tuam doctrinam, audio verba tua, considero, quid pro me feceris, vel per inspirationem tuam intus moveor & vocor, vel agnosco, quis sis, & quid tibi debeam pro meis peccatis & erroribus, quæque sit via veritatis? quid, inquam, tunc aliud facis, quàm quòd ostendas mihi pulchritudinem tuam, ut amem te, & mittas radios tui vultûs in me, ut observem legem tuam, te possideam, & amore tui sinam me capi? & ego quid aliud ago, quando cum perfidia mea nolo audire vocationem tuam, neque curo has veritates, oblitus tui, servus meæ propriæ voluntatis, & vitiorum meorum, nisi quòd velem lucem tuæ pulchritudinis, quæ me abducat à fœditate meorum appetituum, quos ego sequor, & amo? O misericordia infinita! quæ si infinita non esses, me sustinere non posses; parce mihi per infinitum amorem tuum: concede mihi, Domine, ut ab hac hora non ampliùs amittam te ex oculis meis, sed habeam te semper præsentem: & sicut hactenus te fugi, sic deinceps te quæram; sitque hîc tandem finis meæ cæcitatis ac duritiæ; ne propter ea, quæ feci hactenus, omittas ostendere mihi divinam faciem tuam, & emollire duritiem animæ meæ; quandoquidem tua misericordia major est, quàm infelix mea malitia; túque plus potes ignoscere, quàm ego delinquere. Hâc horâ me potes mutare, ac *& propria voluntas pulchritudinem ejus.*

transformare in te. Muta me, Deus meus, amor meus, & Salvator meus!

Quærentes Jesum intimè cum eo conjungi petunt.

VII. Sufficiat jam, Domine, quod passus es: fac, ut cessent hi carnifices: ostende mihi divinam hanc faciem, ut eam videns emolliar & plangam, ac liquefactus consumar totus in ejus amore. Judæi velaverint faciem Moysi, quia non poterant sufferre splendorem, quem retulerat à tuo colloquio, & maluerint loqui cum illo, quàm cum Deo, timentes mori: sed animæ, quæ toto corde diligunt te, ô Jesu animæ meæ! te quærunt, & sequuntur divinam pulchritudinem tuam: captæ immensâ tuâ charitate, desiderant audire vocem tuam, & facie ad faciem colloqui tecum: oderunt omne, quod impedire potest hunc favorem: non ferunt, ut inter te & ipsas quidquam intercedat, ne minimum quidem, quo abscondatur tua cælestis pulchritudo. Moyses, qui te noverat, & ardebat amore tui, tantùm anhelabat ad hanc pulchritudinem, ac petebat, ut, quia tuâ eum dignatus es amicitiâ, ipsam ei monstrares. Ergo, Domine, quomodo versaris ob oculos obturatos, ut te videre non possim? revela, Deus meus, faciem tuam huic indigno servo tuo, quia ab illa nihil aliud expecto, quàm claritatem, in qua te cognoscam & amem, ac transformer totus in te. Rape, Domine, cor meum: & si aliquando id facturus es, jam facias. Verùm est, Deus animæ meæ, si essem tuus, nulla res mihi absconderet radios tuos; sed in omnibus te viderem, te cognoscerem, si fideliter te, & puro corde amarem. Sed, ô salus animæ meæ, quis hoc faciet, nisi tu?

Quem respicit Deus, ad pœnitentiam movet.

VIII. Domine mi, Jesu Christe! à te, Dominus ac Deus meus, peto veniam hâc horâ. Recordare, Domine, quòd oculi, quos velaverunt Judæi, non potuerint claudi Petro Apostolo tuo, qui te negabat eodem tempore; sed eum respexeris, & radiis tuis cor ejus percusseris, & illuminaveris, ut agnosceret lapsum suum, deploraret, emendaret, & converteretur ad te. Eia, Domine animæ meæ, adhuc idem ipse es, qui tunc eras. Aspice me, Domine, cum misericordiâ: penetra cor meum virtute radiorum tuorum: reduc me ad te, ut agnoscens meum miserum statum,

Resignatio voluntatis

defleam peccata mea. Transforma me in te, mi dulcis Jesu! & pro

tuo

tuo me recipe; quia me, quomodo, & quantum possum, offero tibi, & in manus tuas consigno. Muta me, Domine, ex eo, qui hactenus fui: da mihi tuum divinum amorem, ut semper maneam captus tuâ pulchritudine, mi bone Jesu, mi Domine, Magister & Pastor animæ meæ errantis! *hominem in Deum transformat.*

O Mater Dei sanctissima! quæ plus aliis omnibus amas pulchritudinem hujus Domini; & magis, quàm alii, sensisti tam deformatum, & plenum livore à crudelibus alapis; quæque præ omnibus creaturis capta semper fuisti specie hujus faciei divinæ; recordare hujus miseri peccatoris, & impetra mihi ab eo, ut his tormentis tuis erudire me velit. Accipe, Domina, curam mei, ut me trahas post te ad divinam pulchritudinem ejus. O sancti Angeli! qui pulchritudine vultûs divini sustentamini: ô curia cælestis! quæ tota capta & glorificata es pulchritudine faciei divinæ; amate, laudate, extollite hunc Dominum, quantùm potestis: ardete igne divino pro vobis, & pro me; ac supplete meæ tepiditatis defectus: & quia videtis, quid amittat, qui recedit ab hac pulchritudine, impetrate mihi misericordiam ab hoc Domino, cum perpetua ejus memoria; inseparabilem unionem cum ipso, & odium omnium, quæ ab ipso abducunt. Amen.

ÆRVMNA XXXII.

Consputatio Domini.

I.

SImul cum alapis passus est Christus Dominus noster aliud genus contumeliæ, naturâ suâ intolerabile & ignominiosissimum, quo sacratissimum ejus vultum consputaverunt. Quod ipse pro tanto habuit, ut & per Isaiam prædixerit his verbis: *Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Et ipsemet illud postea enumeraverit inter præcipua, cùm dixit filium hominis tradendum gentibus, & illudendum, & flagellandum, & conspuendum. Et meritò graviter hoc sensit, quòd alia, quæ pertulit, non sint insolita inter homines; at spuere in faciem alterius, communiter extra mores hominum *Ignominiosè tractatur Christus. Isaiæ c. 50. vers. 6.*

est: quod etsi dolorem gravem non inferat, quia nullum vulnerat, neque occidit; est tamen ignominiosissimum. Qui enim id facit, indicat se hominem vilem, impudentem, crudum, & sine judicio esse, barbaris brutisque pejorem. Innuit pariter ingens odium, & contemptum ejus, quem conspuit: neque id loci aliquid esse dignius & aptius recipiendo sputo, quàm personam & faciem ejus. Quia inurbanum putamus spuere coram alio, cum quo loquimur; ideóque avertimus faciem, & sputum pede conterimus: & sunt barbari, qui cùm faciant alia multa indecorè, tamen habent pro magna injuria, si quis exspuat in eorum conclavi. Atqui Pharisæi, Sacerdotes, ac principes populi tantùm abest, ut hoc honoris habuerint divinæ personæ Domini, ut etiam indicârint, se faciem ejus judicare dignissimam sputis suis fœtidis & abominabilibus. Atque adeò non contenti alapis, ad exsatiandum odium suum infernale, etiam sputa conjecerunt in eum; utique non abstinentes verbis contumeliosissimis, maledictum, impostorem, blasphemum, pestem populi, ebriosum, inimicum legis divinæ, hypocritam, magum, Samaritanum, dæmoniacum, socium Beelzebub, & aliis nominibus appellando, quibus ostenderent, esse dignissimum, qui sic exciperetur.

Conspuitur.

Non defatigatur patiendo.

II. Bonam partem noctis insumpserunt in his contumeliis; donec fatigati abierunt, manè redituri ad prosequendum impium suum propositum. Sed innocens Agnus, decus cæli, & gloria paradisi, non fatigatus est patiendo; nec restitit eis, quidquid facere vellent. Nam ut non recessit ab ejus oculis necessitas illorum, qui se quærunt, nec est unquam invenire, qui suam divinam majestatem difficilem experiarur in ullâ suâ necessitate; sic ab his injuriis non avertit, nec abscondit suum sacratissimum vultum, neque recusavit pati, quidquid vellent ejus inimici: atque hoc tantâ mansuetudine, gravitate, modestiâ, ac demonstratione patientiæ, ac si tunc reciperet peccatores pœnitentes, quo ipsi nihil poterat evenire gratius & jucundius: nam licet hos non habuerit præsentes, nihilominus tamen magno amore satisfaciebat pro illis.

III. Et mirum est, inter tot alia, quæ in vita & passione sua pertulit, noluisse Dominum sibi deesse hoc genus indignissimæ

ſimæ injuriæ. Neque enim patiebatur ſolùm ideò, quòd illa inferebantur niſi per malitiam & odium inimicorum, ſed etiam ideo, quòd ſic eſſet ab æterno conſtitutum: non quòd illi conſilio divino moverentur ad hæc inferenda: cùm DEUS auctor peccati non ſit; ſed quòd res ita diſpoſitæ fuerint, ut veniret in manus ejuſmodi hominum, qui talia ſuâ perversâ voluntate ultrò ipſi erant irrogaturi; ſic ut ſua majeſtas divina uteretur propriâ illorum malitiâ ad ea conſequenda, quæ deſiderabat pati pro peccatoribus. Hujus autem conſilii divini rationes multæ & graviſſimæ fuerunt. Prima, ſicuti DEUS eſt perfectiſſimus in ſua natura divina, ita voluit etiam eſſe in his, quæ exercuit in humanâ, tam in operibus potentiæ, quàm humilitatis ac patientiæ, ut non tantùm nullus ea poſſet æquare, ſed neque cogitare, quid addi deberet: nec enim minoris exceſsûs fuerunt opera humilitatis, quàm majeſtatis. Etenim per hæc erigebat noſtram fidem, ſpem & charitatem; per illa docebat & illuminabat noſtram cæcitatem & errores. Ideo vocavit ad ſe omnes laborantes & oneratos, ut eos reficeret, aperiendo fontem omnis boni: & nominatim eſt adhortatus ad imitationem ſui in humilitate & manſuetudine; quòd in his lateant ſummæ divitiæ. Et ne ſe excuſaret ullus ab hac imitatione, cum multiplici exceſſu manſuetudinis & humilitatis, ipſe præivit. Sic enim loquitur apud Prophetam: *Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Opprobrium, cujus meritò pudeat; abjectio, quem omnes meritò condemnant, abjiciant, ac pedibus conculcent, ſicut rem abominabilem, & quam horreant aſpicere. Demiſit ergo ſe ad ſtatum abjectiſſimum, volens non tantùm ſubjici pedibus mancipiorum diaboli, tanquam vilis terræ vermiculus; ſed etiam velatis oculis conſpui, velut res horrida & indigna viſu.

Statutum erat ab æterno, eum pati pro peccatoribus.

Pſal. 21. v. 7.

IV. Altera cauſa, cur Chriſtus voluerit pati tam indigna, eſt, quòd non tantùm voluerit ſatisfacere Patri æterno pro nobis; ſed etiam docere, quomodo nos humilitare debeamus coram DEO, ut ipſi placeamus. Quamvis enim non haberet in ſe cauſſam tantæ ſubmiſſionis, voluit tamen oſtendere quomodo ſe

Docet peccatorem, ſe coram Deo humiliare,

se deberet humiliare, si esset peccator, ut nos sumus, culpabiles filii Evæ. Nec dubium est, quin, si Christus verè fuisset reus eorum, de quibus accusabatur, quæque in se luenda susceperat, dignissimus fuisset omni illo despectu, quem pertulit, veluti pestis & ruina totius mundi. Atqui cùm esset expers omnium peccatorum, eorum in se pœnas recepit, velut ipse promeritus foret: inde vincula, verbera, mortem est passus. Sed ut quilibet peccator sciat, quo loco sua peccata sint apud DEUM, & quid ipsum de illis sentire oporteat, voluit conspui; ut quisque intelligat, quamdiu sua ipse peccata non horret, neque coram Deo pudet eorum, tam diu dignum esse, quem aversentur omnes creaturæ, quòd inter se habeant rem tam fœdam ac detestabilem; ac meritò Deum execrari sua peccata, quæ homo neque satis agnoscit, neque detestatur, neque, ut par esset, propter illa se humiliat.

fœditatem peccati ostendens.

V. Ex hoc intelligitur, quo spiritu acti sint multi Sancti, cùm in mundo quærerent & excogitarent varios modos, ut haberentur pro stultis, & omnibus essent contemptui, cum voluptate talia perferentes. Nec defuerunt, qui nec mortis pericula, injustè sibi intentatæ refugerent: quia scilicet à Deo illustrati perfectè nôrant seipsos, & quid debeatur naturæ tam inclinatæ ad malum; ideóque se offerebant ad omnia, per quæ possent humiliari, indignum reputantes, quòd sustinerentur à cælo & à terra: & quando videbant propter sua peccata vexatum & inhonoratum fuisse Christum, omnis humiliatio ipsorum judicio nimis erat exigua. Hoc fecerunt Sancti, pleni Spiritu Christi Domini nostri, & virtutibus ejus, cùm longè minora peccata, quàm alii plerique committant. Quid ergo sentire debent illi, qui in peccatis delectationem quærunt, appetitui suo litantes per omnia? Id unum eos monuero, Dominum, qui tanta fecit tulitque pro animabus eorum, & se ad tam stupendos excessus demisit amore illarum, easdem olim contemptas abjecturum à se, & in æternum condemnaturum, quas dilexit tantopere. Ex quo clarum est, quantùm detestetur peccata, quibus nos delectamur, ut neglectâ omni jacturâ, quæ per illa fit, obliviscatur animarum, quas tam

Ob quam Sancti se despexerũt.

afflictim

efficitim amaverat, neque miſericordiam eis exhibeat; ſed tanquam cum ingratis, nec deteſtantibus propria mala, rigidâ utatur juſtitiâ.

VI. Omittendo alias rationes, cur Dominus noſter hæc pati voluerit, unam præterire non poſſum, propter conſolationem piorum; qui, ut amant humiliari ac vilipendi, ſic mundus, cùm habeat eos pro adverſariis, erga eos exercet ſtrenuè ſuum officium, deſpiciendo ac deprimendo eos, quantùm poteſt. His tanquam meliore apud ſe calculo notatis, & æſtimatis à DEO, voluit Dominus parare apud ſe meliorem locum, in quo ſe tueantur, quando vident ſe quaſi vermiculos conteri pedibus mundi, qui ſemper prævalet ipſis in omnibus. Voluit enim à mundo è divino & ſanctiſſimo vultu ſuo fieri locum, in quem putida ſua ſputa conjicerent, ut ad eum ſe conferant, qui ejus amore tractantur ut vermes; quemadmodum David prædixit fore: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Cùm non ſit aliquid occultius vultu Domini ſputis contecto, voluit hoc ſecretum eſſe & abſconditum, in quod ſui ſe reciperent. Nam quid magis occultum, quàm pulchritudo divinæ Majeſtatis, ſub livore alaparum, & fœditate ſputorum? Sic oſtendit ſuis, quòd nihili faciat mundum, & ejus injurias: à quibus bene protegentur, ut nihil eis poſſit nocere. Quia Chriſtus utcunque fœdatus foris, non potuit vel minimùm lædi in ſua divinitate, quam abſconditam habebat, & reſervabat pro his, qui cum humilitate exoſculantur hanc faciem ita tractatam. Per eam intrant ſicut vermiculi in cavernam ſuam, & ſuaviter quieſcunt, non curando, quid foris ſuperbiat mundus, nec illum imitando.

Paſſio Chriſti piorum eſt conſolatio.

Pſal. 30. 21

Quos perſecutiones à malo protegunt.

VII. Inter hæc probra, ac deformationes faciei ſuæ, Dominus non ita voluit latere, & incognitus eſſe animabus; ut non oſtenderet in medio illorum ſpiritus magnos, quos ex eo licet haurire, ſi aſpiciamus eum cum fide & amore. Quod clarè oſtendit in ſancto Petro, qui, cùm ex magna confidentia de ſeipſo promiſiſſet, ſe priùs moriturum, quàm abneget Chriſtum; in domo Annæ, ubi Dominus accepit primam alapam, ſub mediam no-

ctem interrogatus, an sit Christi discipulus, respondit, se illum haud nôsse: & mox gallus cantavit primâ vice. Deinde in domo Caiphæ, ad focum de eodem interrogatus, bis iterum negavit cum execratione & imprecatione in caput suum, secundâ circiter horâ post mediam noctem, dum Christus sub alapis & sputis plùs laboraret de remedio peccatorum, quàm de suis injuriis ac doloribus. Cùm ergo nôsset peccatum, quod Petrus inter servos Pontificis commiserat, in quo etiam usque ad mortem perseverâsset, absque luce & gratiâ suâ; misertus illius convertit oculos interiùs ad animam ejus, ne in illa abnegatione obstinatus persisteret: Et simul, ac radio interno illum tetigit, gallus alterâ vice cantavit. Hîc ille reputans animo, quid fecerit, metúque & horrore sui ipsius perculsus, è mala societate, per quam in scelus inductus erat, se proripuit, magnâ cum humilitate & lacrimis petendo veniam; quam & obtinuit. Erat sanè conveniens, ut pœnitentia ejus, qui caput Ecclesiæ futurus erat, primus fructus esset ærumnarum, quas Redemptor patiebatur pro peccatoribus; ut omnes certi forent, quòd, qui oculos animæ suæ non occludunt, luci profluenti ab oculis Domini malè tractati pro nobis, experimento proprio cognoscant, has contumelias ejus esse nostrum honorem; illius abjectione nos exaltari; & contemptum hominum esse remedium animæ nostræ. Cùm igitur ea, quæ isti nefarij designârunt in personam Christi, tantas opes contineant, ut inde fiamus meliores; nullus erit tam vecors, ut velit separari ab illa abundantia bonorum, quæ datur humilibus corde.

Pœnitentia sancti Petri primus fructus est Passionis dominicæ.

EXERCITIUM
Ad Christum conspurum.

I.

O Sapientissime cognitor malorum meorum, Jesv bone, & unice mediator eorum! ago tibi gratias infinitas, quòd sic applices eis remedium, sicut ea novisti, & sentis. Et ego, quia illa non satis intelligo, peccata mea pro levibus habeo: nec ea sentio, ut oporteret; quia non capio malum, quod inferunt, neque modum sanandi. Tu, sapientia æterna, qui scis, quantùm adhæreant illa meæ naturæ, tanquam sordes longo tempore inolitæ, diu macerari

cerari ſolent in alia re vili, ut poſſint purgari; ita voluiſti, ut medicina meorum peccatorum ſint dolor & humiliatio cum contemptu meiipſius, ad evellendum inveteratum amorem proprium, & æſtimationem rerum à te ſeparantium: & quia mea peccata recepiſti in te expianda, paſſus es, ut efficerent in teipſo, quæ debuerunt in me. Ego, ô vita animæ meæ, deformavi in me tuam imaginem: ego purgandus eram aliâ re viliore, quàm ſint eæ, quas contra legem tuam dilexi; ſed tu, DEUS meus, qui es puritas infinita, quid habes purgandum, cur te ſic abjicias? & cùm nullum genus majoris abjectionis inveniatur in mundo; quare vis hanc ſacratiſſimam faciem ac perſonam tuam conſpui cum tanta contumelia, ac ſi nihil vilius eſſet in mundo? & tanquam blaſpemus, impoſtor, veneficus & corruptela populi conſpurcari, contemni? ô meum unicum bonum, mea beatitudo æterna!

Peccator deformat imaginem DEI.

II. Quid invenitur in te, quod reprobandum ſit? quid in tua converſatione, quod creare poſſit faſtidium? an fortaſſis horrent bona, ut te ſic conſpuant? ô DEUS meus! ego ſum talis, non tu. Non poſſunt inferre contumeliam, quam non meruerim, qui relinquo tuas delicias præ ſordibus, quas amo; relinquo converſationem tuam præ miſeriis, quas quæro: amicitiam tuam, & ſuaves amplexus, bona, quæ mihi das & promittis, præ vilibus rebus, quas præ illis amo & æſtimo. Ego, Domine, ſum ille, quem meritò conſpuant omnes creaturæ, tanquam abominabilem & miſerabilem peccatorem, indignum aſpectu. Et tu, Domine infinitæ miſericordiæ, ut me defendas ac protegas ab iſtis deſpectibus, offers divinam faciem tuam, & abjicis majeſtatem tuæ perſonæ ad has injurias tam indignas. O Domine animæ meæ! veniant ſuper me iſti contemptus: vel ſaltem, quia accipis eos in te, da mihi gratiam, ut faciam interiùs, quod video facere divinum hunc vultum. Doce hanc animam cæcam nauſeare ſordes corporeas, ut horreat & conſpuat ea, per quæ ſeparatur à te. Doce me odiſſe rem tam vilem, qualis ego ſum; quia pro rebus abjectis derelinquo te, ſuperna mea felicitas, ac theſaurus infinitus!

III. Hoc autem ideo facio, Domine, quia natura mea vilis ac terrena, vilior etiam à peccatis, neſcit amare, niſi mihi

similia. Sed tu, ô Domine ac Deus animæ meæ! quia creâsti me propter alia bona, crea in me de novo fructum tuorum sputorum & contemptuum. Tu, Deus, humiliâsti te, ut exaltes me, ac doceas, quàm parvi pendere meipsum debeam, & omnia, quæ à te separant. Voluisti sic despici, ut in faciem tuam ac personam conjiciant abominabilissima, & putidissima terræ. O durum cor meum! qui hoc video & credo: & tamen non eo per plateas, ut omnes me videant & agnoscant pro eo, qui sum, & me excipiant, sicut tu, Jesu & Salvator meus! es exceptus pro me: sed ego facio omnia contraria his, quæ me doces; quia etiamnum æstimo meipsum, nec audeo me aspicere, qualem te video. O vilitatem insidentem visceribus huius animæ! quando me, Domine, eripies ex hoc luto? quando exibo à me ipso, ut me aspiciam & abhorream! Mitte mihi, Domine, lucem tuam, & veritatem tuam, ut me illuminet, & educat extra meipsum, & introducat in cognitionem tuam; quia solùm stando juxta te, incipiam nauseare & horrere meipsum. Tu, Domine, qui nôsti me, quid amplius facere potes, quàm ut in divina facie & persona tua ostendas mihi, qualis ego sim intra me, & quomodo debeam tractare meipsum? ah me miserum! qui me nec audio, nec possum liberare à meipso! Miserere, Domine, miserere, mi bone Jesu!

Renuit videri, qualis est,

Debitas sibi pœnas in Christo videt,

IV. Quàm verè dixisti, Domine, per Davidem? *Ego sum vermis, & non homo:* quia non tantùm te fecisti vermem, qui proteritur ab omnibus, & nihili fit à summis & infimis, à bonis & malis, etiam à bestiis, subjectus pedibus omnium creaturarum, sicut video tractari ab istis hominibus te Regem gloriæ, ac Dominum meum; quin sacratissimam faciem tuam, ac personam facere voluisti locum sordium, ac putidorum sputorum? O thesaure cæli, Fili patris æterni, reperistíne aliquid vilius, cui te comparares? Ego sum certè, quo, si ibi fuissem, nihil vilius invenisses. Tu semper es idem, Deus meus, ex quo natus es, usque ad mortem: & ego, quando me consídero, sum verè sterquilinium quoddam intus & foris, & æstimandus pro tali. Tu verò, Deus meus, suprema & infinita majestas, qui non debes æstimari minoris, quàm es, mutâsti æstimationem in rem, & vilissimis rebus te submisisti.

Pſal 21. 7.

Illo nil vilius,

V. Quid

V. Quid tibi dabo, Domine, pro his, quæ propter me fecisti? scio bene, Deus animæ meæ, quòd non habeam quæ dem: scio tamen etiam, quid à me petas. Ego sum, Deus meus, id quod petis. Cur itaque, Deus cordis mei, non accipis possessionem hujus animæ? nónne sum tuus? an fortè omittis me possidere, quia sum liber, & mihi vim inferre non vis? ô malè impensa libertas! quia mihi non prodest, & ego utor illâ in meam perniciem. Quoniam igitur expectas, donec tibi me tradam, ecce me hîc, amor animæ meæ! ecce me, Vita mea! ecce me, bone Jesu! immitte mihi has contumelias: tracta me, pro voluntate tua, ad gloriam tuam; quoniam meâ semper utor in ignominiam tuam. Ex hac hora me offero toto corde, & quantùm possum, & pono me in manus tuas, & in providentiam tuam consigno: fac me, quidquid vis: seca, castiga, afflige, humilia, exalta, sicut gratum tibi erit. Ego tibi meam libertatem resigno, id unum petendo, ne unquam permittas me excidere de manibus tuis. O mi bone Jesu, ac Domine animæ meæ! tuere per misericordiam tuam, & confirma me in hâc voluntate: perfice me in illa, ut abhinc semper confidam in te, quòd quidquid evenerit, ordinetur à te, quia sic tibi placet, & expedit mihi; ut nihil aliud velim, nec à te me separem.

Tamen Deo cordi est.

VI. Dignare, Domine, me illuminare ac docere rem unam, quam ex te scire desidero: quandoquidem voluisti esse meus magister, nec vis ut audiam alium, erudi, Domine, ruditatem meam. Cùm vermes è luto nascantur, & sustententur, ac tu sic te demiseris, ut faceres te mundi sterquilinium; fortasse voluisti docere me, Deus meus, ut, quoniam ego sum vermiculus, opus manuum tuarum, non me sustentem in aliâ re, quàm in te? fortassis ut natus es in præsepio inter duo animalia, ut homines, qui è cælestibus bruti facti fuerant in suis desideriis, de te pascerentur in præsepio: sic etiam voluisti, ut hæc anima mea assueta lætamini & rebus vilibus, sustentaretur te solo, sic abjecto & humiliato? Intelligo, bone Jesu! te hoc velle. Quia ne magnitudo tua terreret hanc vilitatem pauperis istius vermiculi, luto assueti, & sordibus mundi; voluisti, ut aspiciens te humilem & contemptum ab hominibus, accedam ad te, ac te humili despectóque delecter,

Despectus Jesus vera delectatio.

quandoquidem per meam miseriam, culpam & vilitatem perdidi gustum tuæ magnitudinis. O vere amice & Servator animæ meæ! qui te sic per omnia mihi accommodas, quæ mihi sunt necessaria.

Pretium debitorum nostrorum.

VII. Jam venisti ad me, quia ego non poteram venire ad te: jam in teipso satis est factum pro meis debitis, quibus ego soluendis non eram: jam factus es cibus meus multis modis, ut possim te gustare: nunc autem quia aliud non restat, quod facias, videns me tam affectum ad vilitates mundanas, facis te lutum, ut eo involuar, ac sustenter, & te etiam in formâ luti gustem atque possideam. quod cùm ita sit, cur non tui amore diffluo, & me tibi conjungo? non me accendo, non inflammo ad amandum te, ad serviendum tibi? implevisti, Domine, quod per Isaiam prædixeras, daturum te nobis panem arctum, & aquam brevem. Tu es ille, Deus meus, ac Dominus meus. Quàm multos meliùs sustentas hâc extremâ tuâ demissione, & aquâ hâc modicâ, quæ in tantâ humiliatione videtur quasi lutum, quàm omnibus rebus, quas possent habere extra te! panis, quo vescebatur Elias, coctus erat sub cinere; sed virtute ejus ambulavit quadraginta diebus, usque ad montem, in quo Dominum vidit. Hîc, ô Deus meus! sub cinere latet pulchritudo tua: hîc sub isto contemptu Majestas tua: sub ista abjectione Gloria tua. Possunt te putida phlegmata & sputa cum istis contumeliis operire, sed non opprimere, neque minuere. Hîc ego te recognosco & adoro, tanquam Deum, ac Dominum immensæ majestatis: tanquam meum Regem, formosum, & amabilem: tanquam sustentationem meam dulcem ac delectabilem.

Isa. 30. 20.

Arbor vitæ, collapsa restaurans,

VIII. O quando vescetur anima mea? quando sustentabitur te solo, te solo fruetur? Tu es arbor scientiæ, cuius fructus dat omnem cognitionem & lucem: tu es arbor vitæ, quæ omnia collapsa restaurat. Et ô quantò meliùs alit, quod in te putridum videtur ac putidum, quàm quod in mundo & carne integrum & sanum est! siccus & asper cortex tuus habet suavissimum odorem & sapidissimos fructus, quos vani flores, & ridentia, sed intus cinere plena poma mundi nequaquam noverunt. Quando, Deus meus, & omne bonum meum, trahes me odore ac dulcedine tuâ

ne tuâ ad te? cibus terrenus mutatur in substantiam comedentis; at quo die anima mea admissa fuerit ad gustandum te, Deus meus, ego totus transformabor in te. O quando mutationem hanc facies? fac, omnipotens Deus, ut imitando te amplectar hos tuos contemptus, & me pro te despiciens me ipsum oderim & horream; ut agnoscam qualis sim, & ab omnibus creaturis pro tali agnoscar tractérque. Quia verò Deus ac Dominus meus, aliter ordinâsti, concede mihi, ut saltem in animo pro tali me geram; quandoquidem hîc es absconditus; hîc te inveniet, quisquis te quæret, vera gloria, verus honor & amor animæ meæ!

O Regina Angelorum, humillima ancilla hujus Domini! quæ per experientiam novisti quantum boni habeat, qui se amore ejus humiliat. Te, ô purissima Virgo! elegit pro se divinus hic Dominus, quando voluit fieri vermis; quia te invenit verè humilem, & vilem in oculis tuis. Te, Domina, tam sublimia & singularia dona non potuerunt elevare à vili æstimatione, quam habuisti de teipsa: tu meliùs omnibus novisti hunc Dominum absconditum in his injuriis & indignationibus. Recordare hujus peccatoris; quia non pro te sola, sed etiam pro nobis accepisti tanta bona. Adjuva, Domina, hunc peccatorem in hac hora: leva me de luto meorum peccatorum: humilia superbiam vanitatis meæ: abjice me ad pedes hujus Domini: impetra mihi lumen, ut eum semper agnoscam; gratiam & robur, ut imiter; æstimationem suæ humilitatis, ut me illi conformem; & supple tu, quidquid hâc in parte mihi deest. *Cujus fructus novit* MARIA.

O mi Custos Angele! ô omnes beati spiritus! qui sustentamini majestate & magnitudine vestri Domini non ampliùs coopertâ: ô cives æternæ gloriæ! qui fuistis viles peccatores, & reipsâ gustâstis fructus veritatis istius; & per hanc viam, sequendo humiliationes Domini, ad tanta bona venistis; tangat vos mei miselli compassio: quia sine vestra intercessione non mereor audiri. Juvate me, & obtinete mihi à Domino perseverantiam usque ad mortem in his desideriis eum imitandi, quæ nunc mihi largitur; & unicam scintillam hujus ignis divini, quo vos ardetis ac transformamini, ut & me transformet in voluntatem Domini. Amen. *Nunc gustant Beati.*

ÆRUMNA

ÆRVMNA XXXIII.

Carcer Domini.

I.

Essi Principes populi, Sacerdotes, Doctores & Pharisæi ludibriis Christo illatis, per bonam partem noctis, domum ivere, collecturi novos contra eum spiritus in crastinum, imperatâ militibus diligente custodiâ. Credibile est autem, eos parùm cepisse quietis aut somni, stimulante eos malitiâ suâ; ut in omnem partem se versarent, quâ suos conatus ad exitum optatum promoverent, multa metuendo, multa excogitando, quæ manè proferrent in consilio. Ut enim, teste S. Chrysostomo, malitia nunquam fatetur se victam, utcunque demonstratione apertâ veritatis convicta; sic etiam nunquam satiatur, utcunque defessa sit, donec evenerit malum, quod desiderat. Nam cor semel obfirmatum in malo proposito, ac destitutum gratiâ Dei, magnam cum inferno similitudinem habet, qui quantumvis torqueat & urat, nunquam tamen dicit, sufficit. Etenim non modò perdiderant omnem sensum compassionis, tam proprium cordi humano; sed etiam viso tam optato initio exercendi sui erga Dominum odii, magis accensi fuerunt ad ea perficienda, quæ restabant. Unde & reliquum noctis longum putabant, etsi multum non esset. Nam apud Annam, post primam negationem Petri, jam gallus cantaverat: & impensis facilè duabus horis apud Caipham, post secundam ac tertiam abnegationem, secundò cantavit. Quo facto Petrus, radio gratiæ divinæ tactus, exivit ad expiandam suam culpam, Domino in manu Custodum relicto.

Cor oranti inferno similis est,

II. Quia verò inimici ejus persuaserant sibi, veneficum esse, non fidebant solis custodiis, nisi etiam vinctum includerent, sive in carcere, qui fortè in ædibus summi Pontificis, veluti magistratûs, erat; sive in alio conclavi bene munito, pluribus eum custodibus commendantes, manibus ligatis, & fune in collo ad parietem, aut annulum ferreum, aut simile quid adstricto. Erat anni tempus, quo sol oritur manè horâ sextâ, quam illi primam (videlicet diei) vocabant. Superfuit ergo parum ad lucem; sed ea passus est interim

Nulli fidit

interim Christus, ut cuilibet alteri captivo visum esset tempus longissimum. Neque enim habuit, ubi caput reclinaret, sudore sanguineo, raptatione per urbem, calcibus, alapis & injuriis utique plurimùm debilitatus. Accessit improbitas vigilum, qui tum suâ malitiâ & instigatione diaboli, aliquid impatientiæ ab eo extorquere volentis, quòd nec dum satis certus esset de Christi persona, veréne esset filius Dei, cùm etiam studio principibus placendi, & spe remunerationis ab eis accipiendæ invitati, nullam Domino quietem indulsêre, sed potiùs omnem petulantiam scurrilem exercuerunt in eum, crudiùs etiam ipsis Judæis pro more & indole sua vexando, & affligendo.

III. Cogitare licet, principibus digressis, ut solet in ædibus magnatum, vacuum jam aliâ occupatione famulitium Caiphæ, servos, coquos, ancillas, pueros mediastinos convenisse ad novum spectaculum, & Christum visendum, qui ex falsâ opinione, quòd esset impostor & veneficus, etiam non abstinuerint sannis, irrisionibus, & maledictis. Certè non fuisse, qui compateretur, aut aliquid afferret solatii, novimus ex Prophetis: nec desunt, qui reputent, ea, quæ Dominus tunc passus est, fuisse inter præcipua tormenta passionis totius. Licet enim Evangelistæ illa non descripserint; crediderunt tamen per seipsa facilè colligenda à fidelibus, & Christum amantibus: & manifestabuntur olim in Judicio. Sanè ab immenso pelago amoris divini non potuerunt non provenire cruciatuum fluctus immensi, quos nulla lingua, calamus nullus explicaverit unquam. Sufficiat, eos in S. Scriptura comparari tempestati maris furentis, quo submersus, non tamen suffocatus est. *Veni*, inquit, *in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Cruciatus Christi explicari nequeunt.

Psal. 68. vers. 3.

IV. Inter has injurias Redemptor mundi tacebat, sustinebat, ac parabat se ad perpetienda majora. Quantumlibet enim sint magnæ vires malitiæ ad inferenda mala, majores tamen sunt amoris ad perferenda pro illo, quem amat. Et ut sua divina majestas amore infinito complectebatur homines, etiam eos, à quibus cruciabatur, dum sui hostes domi acuerent iras, & novas inventiones contra ipsum, ut satisfacerent odio suo, & custodes

Amor malitiæ vires superat.

non parcerent: ita cor Domini JESU reficiebat se amore per ea, quæ patiebatur, inflammabatúrque desiderio longè plura sustinendi. Nihil erat, quod perturbaret animum ejus; atque ita laxabat sensibus, & corpori suo sentiendi omnia, quàm distinctissimè & acerbissimè; ut tamen spiritu esset quietissimo, tranquillè & accuratè faciendo officium Salvatoris mundi, cum omni efficacia & integritate, coram Patre æterno, non sine ferventissimis petitionibus, & liberalissima sui oblatione ad omnia, quæ pro peccatoribus perferenda fuerunt. Atque, ut hæ tres vel quatuor horæ ante lucem sunt aptissimæ ad orandum; ita illis ad hoc uti solent servi Dei, posteaquam corpus aliquâ quiete refecerint, associantes se Christo: qui ex una parte per solitudinem noctis patiebatur maxima tormenta ab inimicis; ex altera diffluebat lacrimis, parùm intellectis ab his, qui eas videbant; & effundebatur in excessu ardentissimæ orationis, & amoris erga eos, quos redimebat. Et ut ex hoc numero se nemo potest eximere; sic unusquisque habet in illo socium, à quo juvetur in agendis gratiis, quas Deo debet in dolore, quem sentit; in amore, quo inflammetur; in fructu sui Spiritûs, quem colligat: & insuper cor tam fidele, ut qui voluerit mente obire passionem ejus, in qua non habuit consolatorem, non minùs gratam sit habiturus ejus compassionem, quàm reipsa præsens foret ei compassus.

Oratio solatium in ærumnis.

V. Hâc internâ occupatione, quam habuit Christus in ferventi oratione, inter omnia, quæ die suæ sacratissimæ passionis pertulit, docuit afflictos filios Adæ, qui degunt in continuis ærumnis vitæ, ubi reperturi sint certum, & unicum solatium, scilicet per orationem in Deo. Quia duo sunt, quæ faciunt ærumnas graves & intolerabiles. Primum, quòd non agnoscatur manus, à qua proveniunt cum pondere & mensura, quâ expedit nobis. Secundum, quòd recurratur tardè ad eum, qui solus potest juvare, & est ipse Deus, qui illas immisit. Tota, vel major pars occupationum vitæ est, fugere ærumnas, & requiem quærere. Sed quia terra est exilium, in quod sumus proscripti è Paradiso, tot sunt inimici, tot defectus naturæ, tot mala, quæ illam circumdant, ut impossibile sit effugere, quod nos insequitur, hoc est, miserias; & asse-

& assequi id, quod nos celerrimè fugit, hoc est, quietem in hac vita. Et major pars hominum, quæ vivit sine cura conversationis cum Deo, nescit aliud spectare, quàm quis mali sibi illati sit auctor: tribuit autem illud vel fortunæ, & infelicitati suæ, vel queritur de hominibus & malo successu; vel procurat media multò pejora, vel denique præ rabie rodendo seipsum, jam huic, jam alteri rei tribuit causam, quarum nulla potest eum liberare: & sic ab una ærumna, & displicentia incidens in aliam, vitam degit longè fastidiosissimam.

VI. Remedia, quæ communiter adhibent suis malis, sunt mera perditio temporis nobis dati, & necessarii ad procurationem salutis ac vitæ æternæ. At, quæ nostra est miseria, nos illud impendimus rebus & laboribus, qui horam mortis faciunt nobis periculosissimam, & à quibus nihil expectare possimus, nisi maximos dolores internos, provenientes à delectationibus, quas quæsivimus ad leniendas nostras ærumnas. At, qui agunt cum Deo, & in speculo vitæ Christi considerant, quid ipsis conveniat, fide divina certi sunt, ærumnas hujus vitæ sibi provenire à manu Dei ad promerendam vitam æternam; ac dum sentiunt aliquam afflictionem, undecunque obortam, agnoscunt & adorant manum paternam Domini, qui sic ordinavit; & confisi de bonitate & amore illius, qui disponit omnia, cum eadem infirmitate & impatientia naturæ, quam sentiunt, exosculantur manum se castigantis, agnoscentes ab eo provenire omnia, quantumlibet excogitata per malitiam hominum: quia probè noverunt, homines malorum inventores alteri nocendi potestatem non habere, nisi Deus concedat, ac malis aperiat januam: quæ tamen ipsa tantùm exteriùs lædere, sed ad interiora penetrare non possunt, DEO sibi soli aditum ad ea reservante. Cum hac certa fide servus Dei, in medio suarum ærumnarum offert se Domino, agit cum illo, & cor suum puro amore, ac fideli subjectione elevat ad illum, ferventi oratione omnia sua ipsi committendo, & quælibet mala hujus vitæ acceptando ab eo, tanquam viam rectam ad Deum, per amputationem superfluarum oblectationum vanitatis, & commoditatum corporis; ad augendos thesauros meritorum, & societatem

Tempus medium salutis.

Christo patienti præstandam, cujus vestigia sequi semper desiderat; cùm in eo solo veram consolationem inveniat. Atque in hunc modum, qui hujus vitæ pertæsi ad cælestem anhelant, soliciti placere Deo, hi soli consolationem habent in hac vita, qualis haberi potest, velut in vespere & initio felicis æternitatis.

Resignatus perpetua quiete fruitur.

VII. Hæc est materia sacræ Scripturæ, doctrinæ & vitæ Sanctorum, ab iis copiosè tractata. Hîc sufficiat probatio longè clarissima, quam præbet experientia. Conferantur inter se duo, unus immemor Dei, & suiipsius amator, alter immemor sui, & amore Dei resignatus in manus illius inter ærumnas, solatia, gustus, disgustus hujus vitæ. Uter horum meliùs habuerit, & inter adversa æquiore animo fuerit, ille enimverò veram viam ad quietem, quæ in hac vita potest haberi, invenerit.

EXERCITIUM
De Carcere Domini.
I.

Omnipotentes manus ligavit amor.

VBi te ponunt, Deus animæ meæ, sine hoc peccatore? quomodo te ligant, relicto me libero? quid est hoc, Domine? tu inter pedicas, cum fune in collo? nónne es tu, mi bone Jesu! ille fortis ac potens, de quo gloriatur David, quòd solvas compeditos? nónne es tu ille, quem, cùm Judæi lapidare & capere vellent, non potuerunt? quomodo igitur, amor animæ meæ, fortitudo cordis mei, factus es debilis? éstne robur tuum in capillis, sicut olim Samsonis? ô quomodo potuerunt illi te incarcerare, & vinctum tenere? ô verè amator animarum, quem solus amor potuit capere, tenere, includere; quia te offers ad omnia pro meo remedio & amore! adoro & laudo hunc amorem, quem erga me geris: adoro te, qui es tam constans ad omnia sustinenda pro me, nec admittis quietem, donec perfeceris omnia, quæ proposuisti pro meo remedio. Non sumes tibi saltem paucas horas pro quiete usque ad lucem, ut respires nonnihil ab iis, quæ passus es hâc nocte, ut ad reliqua consurgas vegetior & alacrior? homines & jumenta, volucres & viatores noctem habent ad quiescendum: in te solo consumitur verberibus & injuriis? mutemus

vices

vices, Domine: fac me capi, ut quiescas tu parùm. Sed quia non vis, & ego te hîc habeo vinctum; priusquam te hinc abducant, aspice me piis oculis. Vide hoc meum cor, ut ad te suspirat; ut altâ voce implorat misericordiam tuam. Aspice, Domine, meas necessitates, & juva me: da mihi spiritum te comitandi, ut sentiam tuos dolores, & imiter exempla tua.

II. Qui furantur, non quiescunt nocte, ut obtineant, quod volunt. Sed tu, bone Jesu, ac Dominus animæ meæ! quid indiges nocte ad opus tuum, ut non quiescas, donec perfectum sit? si vis, ô vita animæ meæ! die & nocte intentus esse cordi meo, ut id rapias, noli perdere somnum, bonum animæ meæ: ecce illud: cape id è manibus peccatorum, quæ id possident: accipe illud tecum, & quiesce: reclina caput in illud, & quiesce. Audi clamorem necessitatum mearum, ac desideriorum cordis mei, qui audis tantas injurias ex ore gentis istius improbæ. Noli attendere, Domine, blasphemias, quas evomunt isti; sed fidem, quam in isto corde plantâsti: cum eâ, & quanto possum amore te adoro, ut Deum meum, pacificatorem meum, unicum magistrum, & potentem Salvatorem meum.

Iesu nulla conceditur quies, nisi in corde hominis.

III. Obliviscere, Domine, molestiæ, quam inferunt tibi hæc vincula: quia possunt me expedire à vitiis meis, sicut tu desideras. Ne recorderis, Domine, cruditatis & crudelitatis eorum cordium, quæ te non amant, nec aliquam tecum compassionem habent inter hos tuos cruciatus: conjice oculos in hunc tuum, quamvis miserabilem, peccatorem, quem illuminâsti tuâ fide, quique desiderat te consolari, & in se recipere tuas ærumnas, & te in animam suam. Quiesce, Domine, in eâ, quandoquidem dignaris eam accendere tui amore: ac licet hæc domus magnitudine tuâ indigna sit, ac miserabilis, ut vides; nihilominus ipsa te unicum Patronum, Dominum, & perpetuum incolam habere desiderat. Ingredere, Domine, & requiesce in isto corde, donec es captivus; ac licet non merear, tamen horæ sunt paucæ, dum sol oriatur; & ego saltem meliùs, quàm hi perversi, te cognosco, pro meo vero, unico & summo bono. His paucis horis potes me capere tui amore, & vinctum postea ducere tecum ad ea, quæ imminente

die toleranda superſunt. O bone Jesu! non poſſum dicere id, quod jam deſidero: tu ſcis: & quia plantas in corde meo hæc deſideria, exple illa, ſicut potes: appareat in me virtus iſtius captivitatis, horum vinculorum, iſtarum injuriarum, quas pateris; & amoris, quem erga me geris, quóque pateris omnia. Et licet omnium ego ſim cauſa, monſtra in me, quantò plus poſſit miſericordia tua, quàm mea peccata.

Confidentia in bonitatem divinam.

IV. Non dubito, ô vera ſalus animæ meæ! de vi amoris, quem erga me habes; nec de miſericordiâ, quâ mihi deſideras ignoſcere, & recipere me in amicitiam tuam; ſed mihi diffido & malæ conſuetudini peccandi, quam habeo; & metuo, ut me ſeparet à te, & faciat indignum gratiâ tuâ. Quia tamen, Domine animæ meæ, dolorem ac pœnitentiam relinquis nobis pro remedio malorum noſtrorum; per hæc vincula, bone Jesu! tibi ſupplico, ut obliviſcaris moleſtiarum, quas hi miſerabiles peccatores tibi afferunt, & priusquam abducaris ex hoc loco, audias meam confeſſionem, quam ut peccator tibi offero. Ignoſce mihi, Salvator animæ meæ, cauſam, quam dedi, ut incarcererareris & ligareris: quia ſcio meis peccatis factum, ut tractareris tam indignè. Ignoſce, Domine, nimis liberis cogitationibus meis: conſtringe illas tecum, Deus meus, ne ita vagentur per res viles, quibus ſemper adhærent. Accuſo coram te, Redemptor meus ac Domine! hanc libertatem linguæ tam pronæ ad ea, quæ lædunt animam meam. Accuſo licentiam ſenſuum meorum, qui tam longè me removent à te, ſalus mea! Accuſo, Redemptor meus! tepiditatem amoris, quem tibi debeo; incuriam & magnam negligentiam cordis mei, quod elegiſti pro tuis obſequiis; libertatem voluntatis meæ tam diſtractæ per varios affectus, contra legem ac divinum tuum ſervitium. Omnia, Domine, damno coram te intus & foris; quia libero arbitrio, quod mihi pro tuo honore dediſti, malè utor in omnibus: & ô quàm malè, & quantùm contra te! Miſerere, Jeſu animæ meæ! fac ut hi lictores me capiant: quia vides me perire, quando ſum liber. O ſi non ampliùs liber eſſem ad malum! ô ſi potiùs captivus eſſem pro te, quàm liber & ſejunctus à te!

V. Quia

V. Quia, Domine, dissolutio meæ libertatis te ad hæc patienda pertraxit, fac me tuum socium in illis. Amodo, spes mea! consigno tibi meam libertatem: tua est, quia tu mihi eam dedisti; & ego meritò illâ privor, quia malè sum usus: & quia mihi eam non aufers, par est, ut ego ultrò eam tibi restituam, quia tuum donum est. Hîc eam tibi consigno, Deus meus, ac Dominus meus! recipe eam cum misericordia. Accipe, nec permitte me illâ uti ampliùs. Noli eam mihi reddere, etiamsi fortè petiero; ne fidas mihi ampliùs, quia vides, quòd cum eâ te prodam. Tu, bone Jesu! qui es Via, Veritas & Vita, loquere linguâ meâ, vide oculis, audi auribus meis, move sensus & membra mea secundùm voluntatem tuam; trahe ad te cogitationes meas; reside in corde meo; alliga me voluntati tuæ, & fac me, quidquid vis. Hîc me, Domine, abjicio ad pedes tuos, velut altera mulier peccatrix; & osculor toto corde has catenas, hæc vincula: adoro istas injurias, quas sustines pro meâ salute. O si me necteres funibus amoris tui, méque tibi alligares! ô si auribus animæ meæ audirem unam vocem ex hoc suavissimo ore, quod video tam taciturnum, ac tu diceres mihi, remissa esse peccata mea, quia multùm dilexerim! ô quando veniet hæc hora? ô quàm facilè hoc tibi esset, optime Jesu! noli tacere mihi Domine, quamvis taceas ad omnia, quæ inferunt tibi. Noli tacere isti cordi, quod te desiderat. Dic, Domine, unum verbum, quo me tibi adstringas: dic mihi, salus tua ego sum. Credo te esse, spes mea! sed desidero, ut interiora mea audiant te hoc dicere: Quia vox tua secreta suavis ac dulcis, penetrabit, ac tibi adstringet vires animæ meæ.

Libertas nostra Christum in vincula conjecit.

VI. Verum est, ô Jesu animæ meæ! quòd hoc tuum silentium damnet mala mea; sed tu, Verbum divinum, loquere interiùs, ut te audiat, & intelligat anima mea, & capiatur suavitate, luce & veritate vocis tuæ. Recordare, Domine, quòd dixeris per Prophetam Oseam, te nos tracturum in funiculis Adam, in vinculis Charitatis. Vides hîc, Domine, funiculos Adam. Hæc tua sacratissima Humanitas, hi colaphi, catenæ, vincula, hæ injuriæ hæc peccata Adami, & filiorum ejus, quæ in te suscepisti expianda in isto

Verbum divinum interiùs alloquitur animam.

in isto carcere, sunt funiculi Adam. Ubi ergo, mi Jesu amor animæ meæ! sunt nodi amoris & charitatis, quibus constringar? cur inter ista ego sum liber? quomodo tam liberè incedo per omnia mala, quæ volo? quis tenet hos funes, ne me capiant, ne me vinciant? trahe jam, Domine, hos funiculos amoris: fac, ut me simul tecum adstringant: liga me, stringe me, illaquea me; trahe me illis ad te, ne unquam amplius recedam à te. Fac, Domine, ut sentiam, & æstimem dolores tuos, & insistam vestigiis tuis: noli pro me tanta subire in vanum. En pro eo, quod non mereor, impetrando, tibi ob oculos pono hos funes & vincula, & amorem, quo sustines illa, & desideras pro mea salute.

Christus pro offendentibus se patitur.

VII. O si dignus essem intelligere occupationes cordis tui, quibus intentus fuisti his horis, quando vidisti te in vinculis tam indignè tractari à custodibus! isti conscelerati omnes suas cogitationes & studia intendunt ad te vexandum; tu verò omnes sensus, ac totum corpus tuum offers ad patiendum, animo interim occupato in rebus divinis, pro remedio eorundem, qui te affligunt, & omnium hominum, propter quos pateris; & pro corroboratione tuæ sacræ humanitatis, ut vegetior sit ad reliqua sustinenda, quæ restant. O Deus meus, ac Dominus meus! quàm verè dixisti, refrigerium inventuros, qui recurrunt ad te! nunquam malè fuit mihi, quando veni ad te: nunquam bene, quando recessi à te: quia nihil est boni, sine te. Quando animum averto à te, quævis afflictio me suffocat: cùm autem animum converto ad te, quantæcunque sint ærumnæ, non timeo. Et quomodo sine te possim esse fortis, unica fortitudo mea?

Extra quem nulla salus.

VIII. Ideo, Deus meus, fatigor, ideo affligor, ideo contristor adversis & malis, quòd eis mederi velim sine te, nec te quæram, nisi quando jam illis penè suffocor. Tecum omne asperum lene, levis est omnis calamitas, dulcis afflictio: quia præsentiâ tuâ illuminas tenebras nostras, locupletas inopiam. Doce me, Domine, quærere te in omnibus necessitatibus meis; tibi confidere: pati meas ærumnas in societate tua, neque timere quidquam cum illa. Et quia nunquam dormis, neque dormitas in cogitatione & cura de me; doce me in medio perturbationum

hujus vitæ, habere semper cor meum in te, neque velle aliam consolationem, nisi quæ venerit à te: quia tu es verus consolator meus: & tu solus novisti necessitates meas, potésque mederi.

O sanctissima Virgo MARIA, Mater DEI, Protectio te quærentium! repræsenta meas necessitates oculis Domini: & quia libertas cordis mei radix est omnium malorum meorum, impetra mihi vincula sui amoris, & nodos Charitatis, ut semper maneam alligatus suæ divinæ majestati.

O Curia cælestis! quæ es tam secura & libera à miseriis hujus vitæ, & tam inflammata amore hujus Domini; recordare, pauperum exulum filiorum Adæ: duc tecum cor meum, ut corripiatur igne, quo semper tu flagras. Amen.

ÆRVMNA XXXIV.

Domini per plateas Vrbis ignominiosa raptatio.

I.

ORiens dies Veneris, tori generi humano felicissimus, longè diversis affectibus diversorum exceptus est. Nam Christo Domino nostro nullus gravior, nullus etiam illuxit optatior: nam is erat, in quo amor ejus, tot annis vi obedientiæ & voluntatis paternæ conclusus & restrictus, pleno impetu, tametsi non sine magna suæ humanitatis impensa, erumperet: neque toto vitæ suæ tempore alacrior unquam animo & spiritu fuit; quia vidit eo die se, plenâ tandem obtentâ victoriâ, terram cælo juncturum, omnium electorum corda suæ voluntati subjecturum, redempturum omnes peccatores, & humano generi aperturum æternos & infinitos thesauros. Mundus autem beatum hunc diem aspexit instar cæci, & ignorantis immensa bona, quæ ipsi præparabantur; ipse verò tanquam perditus ne sperare quidem poterat, vel cogitare. Sed inimici Domini, qui tota nocte arserant malitiâ, & à DEO derelicti fuerant, ut essent ministri diaboli in perimendo Christo, ac simul executores æterni consilii, licet hoc ignorarent; nullam sibi horam, aut partem ejus diei perden-

Dies parasceves omnium felicissimus fuit.

dam putaverunt, quâ suo odio erga illum satisfacere possent, ac promovere victoriam suæ malitiæ, donec obtinerent, quod animo destinaverant, in extremam suam ruinam, & maximam gloriam Christi.

Obstinatio in malo ejus & rationem severit.

II. Igitur primâ luce, inter quintam & sextam, ultrò, non vocati, suo ipsos odio incitante, convenerunt apud Caipham, prout condixerant: ac stabilitis inter se capitibus accusationis, decreverunt nullo modo recedere à proposito, quidquid in contrarium objiceretur aut rationis, aut juris: siquè Dominus defendere vellet seipsum, contradictione, tumultu, clamoribus eum opprimere, ac Præsidem vi trahere in suam sententiam. Quod ut obtinerent faciliùs, nulli alteri causam committere voluerunt; sed ipsimet per seipsos Principes, Pontifices, Doctores, & Pharisæi opinione sanctitatis & suæ personæ dignitate, justitiâ suffocatâ, quod statuerant, exequi. Itaque sine morâ, priusquam Pilatus aliis negotiis occuparetur, populúsque tumultuandi tempus haberet, qui ante paucos dies Christum inusitatis honoribus & acclamationibus, etiam post severam eorum prohibitionem, exceperat; consultum judicaverunt, illum ignominiosè, trahendo per urbem, plebi facilè mutabili exosum & contemptibilem reddere. Sic productum è carcere non jam suo sanctissimo nomine, quod pronuntiare digni non erant, sed maledicti impostoris & venefici salutant, absque omni compassione ob ea, quæ intelligebant eâ nocte perpessum; cum acerbo sarcasmo interrogantes, ecquid miraculi patrare velit; alii Deum laudantes, qui patefecerit tandem ejus imposturas; & alia multa ingerentes, quæ non potuerunt non gravissimè animum ejus afficere. Et mox ligatum lictoribus tradiderunt, quàm cautissimè possent, simul & ignominiosissimè ducendum per plateas ad Præsidem, stipante illos armatorum multitudine, prohibentium, ne quis eum forsan erepturus propè accedat.

Malevola instrumenta Dæmonis.

III. Hoc proposito eduxerunt eum è domo Caiphæ magno cum rumore ac strepitu, stipantes eum, & ut affligerent ejus amicos, nulli parcentes violentiæ & contumeliæ, raptando, urgendo ut properet, & alia omnia patrando, per quæ divinam ejus personam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sonam contemptibilem facerent. Ac Diabolus, qui regnabat in omnium animis, qui tantopere desiderabant illum insignibus injuriis proscindere, instigavit eos, ad omne genus blasphemiæ; verbáque tam nefanda & enormia, ut nemo satis ea comprehenderit. In quamcunque partem Dominus, rapientibus illis, vacillaret aut caderet, calcibus, pugnis, maledictis & contumeliis eum increpabant, ut homuncionem in toto mundo vilissimum: quantò ipse per modestiam, & opinionem virtutis venerabilior erat, tantò profaniùs & indigniùs habebatur. Atque ad hunc tumultum, sparsâ per urbem famâ, convolavit omnis populus, ut videret hunc novum & inexpectatum casum viri tantâ paulò antè gloriâ omnibus admirandi. Et quò major concursus, eò major vociferatio, ac Domini ignominia fuit, qui cùm tam contumeliosè traheretur per easdem plateas, per quas antea gratiosus incesserat, passim omnes sanando ac docendo; simúlque taceret patienter ad omnia, quæ ipsi inferebantur, præsentibus, approbantibus & incitantibus ipsis principibus & sacris personis; non aliud judicavit populus imprudens, quàm res ejus fuisse meras impostura, hypocrisin & ludibria diabolica. Ita major pars amicorum ejus versa est in inimicos; & populus tantis ab eo beneficiis cumulatus, mutatus est in persecutorem: virtutes & miracula ejus in opinione plebis in materiam ignominiæ. Quàm impossibile est assequi, quantum hæc omnia Domino molestiarum creaverint; tam nemo alius poterat ea tolerare; quòd nemo sit præditus amore infinito, qui Dominum corroboravit ad hæc omnia, & ad mensuram suam exaggeravit.

IV. Quatuor itinera facit hoc manè inter has injurias: à Caipha ad Pilatum, ab hoc ad Herodem, hinc rursus ad Pilatum, & ab eo demum ad montem Calvariæ cum cruce in humeris; præter alia duo noctu facta ab horto ad Annam, & ab isto ad Caipham: quas sex peregrinationes, qui amant Christum, obire possunt cum illo, compatiendo, & notando ejus exempla, sequendo sanctissima vestigia, & colligendo summa bona. quæ per illa nobis promeruit. Qui tantum spiritûs non habet, conferat suas vias, quibus perit, his, quas Christus obiit pro se redimendo, & imploret humiliter ejus misericordiam, ut per ejus merita reducatur

Via Christi ad crucem nos ad Deũ educit.

tur in viam legis divinæ ad serviendum huic Domino. Multa virtutum exempla dedit in his itineribus Dominus, maximè humilitatis & patientiæ. In primo quidem per voluntariam obedientiam se resignans & offerens Patri æterno ad omnia sufferenda, quæ ordinaverat, permittendo se capi ut maleficum. In secundo, submittendo se judicio suorum hostium, agentium omnia pro libitu, & ex malitia. In tertio amittendo existimationem, comparatam tot miraculis, virtutibus & exemplis. In quarto, cùm esset ipse absolutus & supremus Dominus omnium, subeundo tribunal Herodis, quasi foret ei subditus. In quinto æternam suam sapientiam, & virtutem permisit haberi pro stultitia. In sexto facta sunt illi omnia contraria suis meritis, dum inter latrones reputatus est. Jam quis unquam dixisset, has esse rectas, certas & securas vias ad gloriam æternam, nisi filius Dei ipsemet eas tenuisset?

Et ad gloriam æternam

V. Videtur mihi David aliquid horum præsensisse in spiritu cùm dixit: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tuâ, & doce me: quia tu es DEVS Salvator meus, & te sustinui totâ die. Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.*

Ps 24. v. 4.

Quia licet videret David se ductum à Deo ex ovili ad regnum, ex persecutione Saulis ad Dominatum supra hostes suos, ex paupere juvene ad sortem præclari ducis militiæ, ex homine obscuro ad dignitatem glorioſissimorum principum sui temporis, ex minimo natu inter fratres ad hoc, ut esset maximus in populo Dei, ex ignobili familiâ ad hoc, ut ex eo secundùm carnem descenderet Filius Dei, atque adeò, fieret Patriarcha, Propheta, & exemplar justorum: nihilominus in omni suâ sublimitate, retinuit semper in viva memoria cum dulci quodam sensu vilem conditionem suam, è quâ fuit elevatus à Deo, & intimum quendam sui contemptum, ut viliſſimus quisque. Et quando vaticinabatur de humiliationibus Domini in suâ passione, semper loquebatur de illis in suâ personâ; quasi his, qui Christum erant olim visuri, nihil magis invideret, quàm quòd ob oculos suos habituri erant Deum humiliatum, & majestatem ejus in terra

In dignitate constitutis vilis conditio respicienda.

concul-

conculcatam, & cruci affixam, cujus exemplum non possent non imitari cum gaudio. Et quamvis eum ipse visurus non esset, avertebat nihilominus oculos à celsitudine, ad quam elevatus erat, edoceri petens de secretis his viis ad cælum, plenis miserationum Dei, quæ tum erant ignotæ, ac postea primùm aperiendæ electis, tanquam viæ regiæ. Has à longè salutabat, ad has aspirabat, his in spiritu conabatur occurrere. Hinc enim, cùm esset inter potentissimos sui temporis, quando à Deo castigabatur, & exercebatur rebus adversis per homines ingratos & nefarios, totum se ita submittebat, ac si ante oculos haberet exemplum Dei humiliati in terrâ. Ex quo colligas, quàm nos obligati simus ad idem faciendum, quibus bonitas ostendit & aperuit has vias consecratas vestigiis Filii Dei, suppliciter & ardenter petendo, ut per easdem nos ducere velit, & illuminare cæcitatem nostram, ut bene intelligamus hanc veritatem cælestem.

VI. Crediderim sanè, si suo tempore hoc exemplum Domini publicè propositum fuisset, Davidem nullam intermissurum occasionem, ut posset capi pro Domino, malè tractari per plateas, haberi prostulto, & contumeliis affici, ut multi Sancti postea divinitus illustrati fecerunt. Nos, qui ad hoc nondum pervenimus, & videmus, quæ Dei benignitas est, tantum à nobis non exigi, quantum ad nostrum erga se amorem demerendum passus est Christus, quam excusationem habebimus, quòd vivamus sine continuâ curâ ipsi placendi in omnibus rebus, & evitandi vias peccati, abducentes à Deo? quam excusationem, quòd majestatem ejus non honoremus, neque cupiamus esse ejus discipuli & filii; quando nobis offertur aliqua occasio patientiæ, in toleranda re quapiam ignominiosa, vel contraria nostræ naturæ? ô si saltem in animo haberemus veram cognitionem ejus, quod meremur nostris peccatis, quódque locus abjectus nobis debeatur in terra! Multi quidem sunt in statu honorato & sublimi, quibus non est tantum animi, ut eum deserere velint pro Deo, & esse abjecti in mundo, ut fiant omnino conformes filio Dei. Sed tamen hi multùm obligantur, ut saltem in animo suo se humilient, & omni studio in oculis Domini superbiam subigant, animo incedente

Desiderium Davidis patiendi pro Christo

Animo se humiliare tenentur omnes,

dente per vias Domini, patientiâ, vilipensione sui ipsorum, acceptatione humili de manu Dei adversorum quorumlibet, suspirando ad Christum, ut eis porrigat manum, nec se deserat gradientes hoc itinere, cum pudore, quòd eum tam parùm generosè sequantur, & libentiùs insistant viis ab eo damnatis & seductricibus. Quòd si fideliter animo servent absconditum sub externis pompis ad statum externum necessariis, quas lex Dei non prohibet, sine dubio quondam in judicio, quando Christus veros suos imitatores remunerabitur, non secundùm ea, quæ foris apparebant, sed secundùm ea, quæ amabant & sectabantur intus in animo, id eis glorioſissimum erit. Nec parùm valebit ad confusionem eorum, qui per vanitatem vitæ, & amorem propriæ carnis perdiderunt vera bona spiritûs. Quòd si verò tales humiles solo corde, sic honorabuntur à Christo, quantò chariores erunt illi, qui & in animo, & in oculis mundi secuti sunt humilitatem & contemptum Domini? quantò verò detestabiliores illi, qui post factam vitæ Evangelicæ & Apostolicæ professionem sepositâ imitatione Christi, in Religione circumferunt secum memoriam & puncta honoris, humilitatis & sui contemptûs obliti? Omissis autem omnibus, quæ de hoc dici possent, & fallaciis, quas adinvenit humana malitia, ad miscendam vanitatem cum Christianitate, hoc solum dico, Christum in die Judicii laturum sententiam secundùm ea, quæ docuit; & ne quis ea minùs intelligeret, ostendit in opere, ut nullus possit errare. Quia verò non est discipulus super Magistrum, nec servus major Domino suo; nulli favebit in rebus, quas tanto suo impendio declaravit se odisse, & in his, in quibus voluit, ut ipsum imitaremur intus in animo, vel etiam foris in opere, si simus vitam perfectiorem professi.

Verbo, & opere maximè Religiosi.

EXERCITIUM

Circa ignominiosas raptationes Domini per plateas.

I.

Adhortatio ad animam si à

EVigila, anima mea, à somno teporis & negligentiæ tuæ: vide Dominum, quem Judæi condemnatum ad mortem, volunt

educere

educere ad exequendam suam sceleratam sententiam. Attende, quàm ignominiosa itinera faciat hodie pro te. Vide, ut oculos habet introrsum recedentes ob insomniam: vide vibices & lividam à pugnis faciem: cæsariem & barbam convulsam: vide, ut manibus religatis incedit, cum fune in collo: associare illi, & cogita, quàm magno illi constes. Vide, ut eum à Caiphâ ducunt ad Pilatum, tanquam turbatorem populi; à Pilato ad Herodem, ut falsum Regem & mancipium; ab Herode ad Pilatum, ut stultum; ab hoc ad crucem, ut latronem. Vide, ô peccatrix anima! innocentem agnellum in medio luporum: vide verba, quæ infligunt; strepitum carnificum & militum; sermones & contemptum populi; irrisionem Pharisæorum; clamores puerorum; maledictiones eum deducentium. Vide plateas consecratas ejus miraculis, & calentes adhuc operibus divini ejus amoris; per quas ante sex dies deductus fuit cum divinis honoribus & acclamationibus; nunc autem omnia versa in ignominiam. Vide ut mansuetissimus Agnus Dei tolerat omnia cum silentio, permittens ab unoquoque se tractari pro suâ malitiâ, & odio; non pro eo, quod meretur ejus divina majestas.

somno evigilet.

II. Quid jam tu dicis ad hæc, anima infelix, quæ vides? quid ad hoc dicis, homo de terra & pulvere, & simul tam superbus? quid est hoc, quod facere vides filium Dei, miserande peccator? quæ sunt hæc itinera, quæ ipse facit, & quis eum ducit? ô divine agnelle, qui tollis peccata mundi! ô Judex meus, Deus meus, & felicitas mea! aperi Domine, oculos meos, & illumina meum intellectum, ut intelligam vias, quibus incedis, & in illis videam perditionem aliarum. Tu sapientia æterna, quæ falli non potes, & omnia ponderas æquâ lance, recipiendo in te peccata mea, & infelices gressus meos, ut solveres mala, quæ commisi, noluisti dispensare tecum, nec mitigare, quæ commerui. Neque tantùm soluisti pro me; sed etiam ostendisti mihi vias rectas ad salutem. O lux mea divina! ô clara & æterna veritas! ignosce meæ cæcitati: illumina me, quia necdum te intelligo; multòque minùs cognosco meipsum. Monstra mihi, Domine, clarè vias tuas: doce me, duc me per tuam veritatem æternam; quia defixi oculos meos in te,

ut Christus ad Iudices raptatum sequatur.

te, qui es Deus meus, Salvator meus, mea via, veritas, vita, & dux vitæ meæ. Recordare, Domine, infinitæ misericordiæ tuæ; & amoris, quo me sustinuisti; bonitatis, quâ me expectâsti usque in hanc horam, ut me dirigeres in viam bonam, & ostenderes mihi mala mea, & errores meos; ut plangam eos coram te, ne ejicias me foras, sed per vias, quas me docuisti, deducas.

Et ut perditionis detestetur semitas

III. Hîc, Domine, volo confiteri mala mea cum dolore ac pœnitentiâ, & deplorare coram te vias & itinera mea, quibus ad perditionem contendi, & satis longè processi, ut me castiges, & in misericordia tua deducas per vias cæli, ad quod me creâsti. Aperi, Domine, paterna viscera tua; conjice in me misericordes oculos tuos: recipe me filium prodigum, pro quo tanta pateris. Tu mi bone Jesu! fecisti me ad imaginem, & similitudinem tuam creatum: consecrâsti, & expiâsti sacro baptismo pretiosi sanguinis tui, cujus virtute & gratiâ mundantur animæ. Et mox impressisti cordi meo, quas tenere debeam vias vitæ, Fidem, Spem, Charitatem: tu scripsisti in anima mea legem tuam, per quam possem venire ad te: tu multò antè, quàm nascerer, fecisti te meum Redemptorem, atque Doctorem, & præordinâsti ad Ecclesiam Catholicam: pro me in illa reliquisti tuam doctrinam, claves regni cælorum, & pignora æternorum bonorum. Potitus tandem usu rationis; & hoc totum, & alia multa inveni præparata ante oculos meos, tanquam vias ad vitam æternam. Si ego tanquam filius ac servus tuus voluissem hactenus per eas incedere, sicut in baptismo promisi, quàm nunc tibi essem conjunctus, Amor æterne? quàm plena esset mens mea tuo lumine? quàm purus à peccatis, quæ feci? ô misericordia infinita! noli me confundere, ô bonitas æterna! noli me separare à te, ut mereor. Totum hoc sprevi, Deus meus, avertens oculos à te ad mundum & me. Secutus fui meam perversam voluntatem, non tuam. Credidi unum & aliud feci. Spem, quam in te habere debui, reposui in mendaciis & fallaciis vitæ. Amorem tibi soli debitum, posui in his, quæ odisti. O Deus meus! in quo posui meum amorem? in quo? Misericordia mea! in quo posui illum? Dominus meus! quis possit hoc scire, dicere sine rubore: extende Domine, divitias misericordiæ tuæ, ut me sustineas hâc horâ.

Ne in iis confundatur.

NB. *Hic*

NB. *Hîc se detineat orans, quantùm poterit, sigillatim recensendo graviora peccata totius vitæ, & ea, ad quæ sentit se magis propensum, quæq; magis impediunt bona spiritualia, & propter quæ Deo non placet: & cum intimo dolore animi se humiliet, & confundat coram Domino, quem videt tanta pro se pati: ac postea dicat:*

IV. Talis, prô dolor! ego sum, Deus meus! En hîc illum miserabilem, pro quo tanta pateris. En vias malas, quibus incessi, & per quas tu nunc duceris inter injurias & verbera. Ecce hîc vanitatem cogitationum mearum, vilitatem rerum, quas amavi, & absurditatem meæ miserabilis vitæ. In his consumpsi vires, quas mihi dedisti: his occupavi facultates animæ meæ: hæ fuerunt oblectationes meæ. Et tu, vita animæ meæ, ac Deus meus! ô quàm procùl ab isto corde ingrederis! quomodo te sprevi! quàm parvi feci: quæ mihi dedisti ac promisisti! ac talis cùm sim; video me in hoc statu, te verò sic inhonoratum, sic despectum. Ego, Deus meus, tibi fidelis non fui; & tu tractaris ut proditor: ego insanus fui in meis vanitatibus; & tu, sapientia æterna, tractaris, ut fatuus: ego fui raptor gloriæ tuæ, & amoris tibi debiti; & tu Deus meus, tractaris ut latro. Ego, Domine, debui sic tractari: contra me debuerunt insurgere omnes creaturæ, ac ducere me cum ignominia per plateas, tanquam proditorem & ingratum tibi, Deus meus! & tanquam eum, qui deflexit à via, ut improbi solent. Et tu, Deus meus, & vita animæ meæ! parcis mihi, & offers te, ad patiendum, quod ego promerui. Adoro, Deus animæ meæ! infinitam hanc bonitatem: adoro amorem, quem erga me geris. Per eundem, Domine, te rogo, ignosce mihi, muta me, & in bonam viam dirige. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, & in illâ deduc me. Apprehende me manu, Domine, & curram post te in odorem cælestium unguentorum tuorum. Si me dimiseris, cadam sicut infans, & tanquam novus in his veritatibus tuis, & velut infirmus à malignitatibus meis. Sed si tu, Domine, velis, & me ducas in tua societate, omnia potero, & incedam alacriter. Obliviscere Domine, præteritorum malorum meorum, & ex nunc mei curam suscipe, ut me ducas in viis tuis, & à meis abducas.

Via peccatoris via Christi patientis.

Propter vanitates nostras subsannati.

Vincit nostros, & ostendit nobis Patrem.

V. O mî bone JESU, lumen oculorum meorum, lux ignorantiarum mearum, splendor illuminans tenebras meas! doce me interiùs secretum viarum tuarum. Nónne tu, Domine, venisti, ut mundo aperias cælum, vincas dæmonem & mundum, inimicos nostros, & facias cognosci tecum Patrem æternum? ut plantes in animabus amorem tui, & rerum cælestium? ut eleves à terra cor nostrum, & capiatur bonitate tuâ? ut saties nostra desideria, medearis nostris necessitatibus, & omnibus bonis nos impleas, tam gloriæ, quàm gratiæ? Estne igitur, Domine, hæc via ad res tantas, propter quas venisti? ô Secreta sapientiæ Dei! ô qui semper propè te fuisset, Deus meus, contemplans & laudans opera & mira consilia tua! His viis tuis confundis superbos, & exaltas humiles, his dissolvis glaciem cordium & inflammas: his obruis vanitatem mundi; erigis animas de stercore peccatorum: his triumphas inimicos tuos, & places Patri æterno: his doces, illuminas, inflammas, locupletas. O quàm speciosi sunt gressus tui, Fili Dei vivi! quàm sapientia consilia tua, O Sapientia æterna, quàm securæ sunt viæ tuæ! ubi igitur maneo ego, Deus meus, nisi me ducas per semitas tuas? quando me videbo, Deus meus, amore tui in eo statu, in quo te amore mei jam video? quando sic amabo contemptum mei, ut hactenus amavi vanitatem vitæ? quando pro te patior, túque me illuminas, continuò nauseo vitam, & mundum averSor; video meliùs, quantùm indigeam te; suspiro ad te, desidero te, & vellem semper esse tecum, nec latum unguem recedendo à te: quando verò carni bene est, nihil horum video, sed omnium obliviscor. Quia igitur, Domine, viæ tuæ, quibus tu graderis, mihi conveniunt, illas volo, per illas cupio incedere. Sit jam finis, Domine, vitæ meæ præteritæ: sit finis cæcitatis: inflammetur cor meum amore viarum tuarum: duc me misericorditer per itinera, quæ tu facis, ô mi amor, ô vitæ animæ meæ, ô lumen oculorum meorum, ô Medice malorum meorum!

Patiens mundana nauseat.

B. Virgo perfectè Filii vestigia sequuta est

O sanctissima Dei Mater, immaculata ovicula! quæ licet non iveris per istas injurias, tamen perfectè secuta es itinera Domini, & his ipsis horis, quibus obvit ærumnosas istas vias, egressa è tuis ædibus eum quæsivisti, plena lacrimis ac dolore, plena fide, & amore,

amore, conformis per omnia divinæ voluntati. Ille patiendo tu compatiendo, & lacrimando, conjunctissimis ambo cordibus, mirificè placebatis Patri æterno. Ergo, Domina mea, Mater misericordiæ! quomodo possum ego ingredi aliam viam, quæ bona sit? Domina mea, & Angelorum Regina! juva me posthac, ut oderim meam malam vitam, & semper incedam per securam viam contemptûs & humilitatis. Fac tu mihi hanc securitatem, Domina animæ meæ! & impetra mihi ad hoc lucem & robur, quod non mereor.

O Spiritus Angelici, qui videtis & laudatis hæc admiranda consilia Dei! O cives curiæ cælestis, qui etiam aliquando incedebatis non rectè, sed postea imitatione Domini mutâstis viam, & nunc experimini fructus harum ignominiarum illius, & glorioſi estis per humilitatem ejus, claréque intuemini veritates istas cælestes; compatimini mihi pauperculo, & impetrare mihi unam scintillam luminis, quod vos habetis; & amoris, quo vos ardetis; ut per eam convertar, & ad societatem vestram perducar. Amen.

ÆRVMNA XXXV.
Christus habetur pro stulto.

I.

Hypocrysis Iudæorum.

PErduxerunt Sacerdotes ac Principes Judæorum Dominum ad Pilatum tali figurâ, ut Præses cogitare posset, aliquid extraordinarium accidisse cum illo: & ut major opinioni fieret fides à dignitate personæ illorum, tanquam religionis & sanctitatis custōdum, ipsimet partes actoris contra eum sibi assumpserunt. Ne tamen contaminarentur, si festo Paschatis die, qui tunc erat, subirent domum hominis à sua religione alieni, foris manserunt. Ita cæcum est cor hominis, vitiis & corruptæ voluntatis gustui serviens, ut sæpe, existimationis suæ tuendæ causâ, sive alio humano respectu, magnam rationem habeat levium rerum, nullam autem earum, quæ maximi sunt momenti, utpote perditionem salutis æternæ, & alia gravissima damna inferentes incautis. Mortale odium Filii Dei, & Salvatoris dudum ipsis promissi, datíque à Deo, falsa testimonia,

perversio omnis justitiæ & veritatis, blasphemiæ, ingratitudo pro tot ac tantis beneficiis, & similia erant digna consideratione: sed ea non curantes Judæi, timuerunt, ne ingressu in Prætorium profanati ad esum agni, & azymi panis inhabiles fierent.

Pax inter Pilatum & Herodem.

II. Egressus ad eos foras Pilatus, tanquam ad viros auctoritatis præcipuæ, simul primùm audivit mentionem Galilææ, quòd Christus inde usque Hierosolymam suâ doctrinâ concitaret populum, cognitóque quòd Nazaretanus esset, nullis ultrà accusationibus admissis, jussit eum duci ad Herodem, ad cujus ditionem spectaret. Erat enim Rex Herodes illis diebus Jerosolymis. Voluit Christus illos hâc inter se urbanitate uti cum sua persona, ut ejus occasione exhibere posset aliquid operis divini. Nam facti sunt amici Rex & Præses, cùm antea inimici fuissent. Ita cùm majoris boni capaces non essent, Dominus eos liberavit saltem ab inimicitiis, & pace impertiit, maximi momenti inter eos, qui gubernant rempublicam. Quæ pacificatio inimicorum, licet magno ipsi constiterit, eam tamen omittere non voluit: ut videamus omnes, quid faceret in cordibus eorum, quæ inveniret amore ac sui desiderio plena, & apta recipiendis bonis, quæ largiri desiderat. Amor Domini Jesu otiari non potest; sed ubi duritia cordis, & voluntaria impedimenta obsistunt, patientiâ pascitur, & expectatione dispositionis melioris.

Desiderium Herodis videndi Christum.

III. Judæi apud Herodem omni conatu & magnâ perturbatione suas accusationes contra Dominum exorsi, at parùm curati fuerunt; Rege gaviso Christi diu desiderato conspectu, de cujus doctrinâ, sanctitate, miraculis audierat, & intempestivas illorum accusationes, ex odio & invidia proficisci, clarè animadvertente. Sperabat itaque potiùs aliquid miraculi facturum in præsentia sua. Sed Christus Dominus noster, qui per totam vitam summæ perfectionis omnibus passim exempla præbuerat, voluit in fine per suum ingressum in regiam, instruere servos suos (quos interdùm contingit agere cum principibus ac regibus terræ) quo fine, & quâ spe versari debeant in aulis. Et exemplum erat maximè necessarium: quia plerumque oculi & majestas regum ingentem vim habent, ad immutandam puritatem & integritatem

gritatem animorum, qui aliàs videbantur invincibiles: & valde rara est virtus, quæ apud principes maneat illibata, nec mutet sinceritatem veritatis & rationis, studio illis satisfaciendi; quæque apud illos potiùs gloriam & gratiam Dei quærat, quàm propriam, malens DEO placere, quàm principibus terræ. Quia ergo conversatio cum illis est maxima probatio integritatis virtutis, Christus Dominus hoc suo ad regem accessu docuit multa summi momenti.

IV. Primùm, sua divina Majestas non obtulit se sponte conspectui regis, sed per vim eò ducta est; ut intelligant servi sui ex vera necessitate, non propriâ voluntate agere debere cum principibus. Christus valde parvi duxit oblectationem Herodis, quam capturus erat ex conspectu alicujus miraculi: quia enim in illis circumstantiis non erat spes gloriæ Dei tunc obtinendæ miraculo, sed solius oblectamenti regis illud expectantis, Dominus id parùm curavit. Qui enim in aulis principum non magnâ diligentiâ studuerit placere Deo, plerumque decipietur: & qui cogitaverit, virtutis esse dare gustum principibus, is & spe sua frustrabitur evanescens in desiderio suo, & amittet quietem virtutis convenientis statui suo. Non voluit quoque Dominus potentiâ Herodis liberari ab hostibus, & existimationem suam tueri; quod facillimè poterat: plùs enim ad hoc voluisset unicum miraculum, quàm omnis Judæorum accusatio. Sed voluit, ut omnes discant famam & bonam opinionem tueri sincerâ virtute; & quòd unusquisque plurimùm possit libertate bonæ conscientiæ, & interiore conversatione cum Deo, tanquam fortissimis armis ad propulsanda mala quæcunque, & obtinenda bona cælestia sine familiaritate & gratia principum, quæ parùm valet ad succurrendum necessitatibus humanis, multùm autem ad cor vanitate replendum. Denique Christus docuit, non aliud ab aulis expectare, quàm quòd sua divina majestas reportavit ab hoc rege; scilicet magnum despectum, quòd non voluerit satisfacere desiderio & gustui ejus. Quia res tam pretiosa, ut est spes cordis humani, quâ cælum ac cælestia bona possunt acquiri, malè transfertur à Deo in hominem, invertendo cogitationes humanas, & eas

Bona fama conversatione cum Deo tuenda.

fundando in aëre, hoc est, in humano ac terreno bono, ut careat meliore.

Silentium Christi coram Herode

V. Herodes avidus videndi miraculi multa Dominum interrogavit, puta de ejus doctrinâ, de rebus futuris; quòd audivisset eum esse Prophetam, & intueri corda hominum: petebat quoque, ut coram se aliquod miraculum faceret. Sed Redemptor noster, qui hactenus caverat, ne quid faceret vel diceret, quo impediretur sua passio; & intelligebat, quidquid faceret vel diceret ad nihil aliud profuturum, quàm ad pascendam curiositatem Regis, non habentis animum sequendi veritatem; insuper quoque videbat nihil hîc sperandum pro honore Patris æterni, vel salute hominum; ad omnia tacuit, neque rerum suarum rationem reddendo Herodi, neque refutando calumnias inimicorum: qui hâc ipsâ taciturnitate strenuè sunt abusi ad suum propositum, ex illa ipsa eum conati convincere, quòd non haberet, quod contra objecta responderet in præsentia Judicis. Fuerit apud regem & aulam ejus magna admiratio mirabilium operum Domini, quæ accusatores ejus dicebant esse meras impostoras & præstigias: aliis non credentibus arte magicâ mortuis vitam, cæcis visum posse restitui; aliis eum habentibus pro maximo mago totius mundi; unoquoque judicante pro sua cæcitate vel malitia. Ad quæ cùm taceret æterna sapientia, cùm vel sola patientia & modestia sua eum absolvere, & omnes ad venerationem commovere deberet, ad extremum pro stulto & fatuo est habitus, qui tam bonâ occasione in commodum suum uti nesciret.

Qua causa illius?

VI. Et verò non est genus hominum in mundo, quod magis decipiatur circa seipsum, quàm Principes: qui cùm circumfluant adulationibus & ambitu omnium, ut plurimùm de se nescio quid divinius & augustius sentientes, cogitant omnes confugere debere ad ipsorum protectionem & gratiam, & ipsorum placitis obsequi semper in omnibus rebus. Unde non potuit sibi persuadere Herodes, Christum non esse simplicem, & exigui cerebri, qui tam bona & præsente occasione pro sui liberatione uti non posset. Censuit ergo, quæcunque de illo dicta fuerant, esse meras ignorantias vulgi, quidlibet stupere consueti: ac denique pro

meris

meris nugis habuit omnia: quæ proinde satis lui possent, si palàm tractaretur ut stultus, ne plebs ampliùs ab eo sibi sineret illudi. Indutum itaque veste albâ, quæ forma & colore morionem argueret, remisit Pilato; ut ex eo vestimento colligeret, quid sit sentiendum de illo. Sic Dominum Rex & aula tractavit; sic æstimatur sapientia Dei in ædibus eorum, quos mundus pro discretis & sapientibus habet. Rogandus est Christus, ne etiamnum in aulis principum, ubi colitur tanquam verus Deus, doctrina humilitatis, mansuetudinis & patientiæ habeatur pro stultâ, sicut in palatio Herodis est habita.

Indutus veste alba ad Pilatum remittitur.

VII. Dici non potest, quales, occasione novi ludubrii, clamores, cachinni, & contumeliæ in Dominum fuerint effusæ à militibus, usque ad domum Pilati, crescente semper affluxu populi simul, & insolentiâ militum, illum tractantium ut impostorem & fatuum, neque omittentium quidquam eorum, quæ stultis irrogari solent à petulantibus; ut jam omnis existimatio Christi & operum ejus apud omnes concideret, ipso patienter omnia sufferente. Nos autem in hac gravissima contumelia aspicimus æternam sapientiam Dei Patris, Filium unigenitum Dei vivi, summam & infinitam bonitatem, & perfectissimum splendorem Majestatis divinæ. O secreta sapientitæ Dei! ô Veritas æterni consilii, malè intellecta ab hominibus! quæ cùm divina sit, voluit instar stulti comparere in terra, & publicè haberi pro tali. Timuit mundus ejus doctrinam, tam adversam suis intentionibus: ideo eum hodie nactus in manus, ejus doctrinam obliterare contendit opprobriis, omnem suam furiam per Principes, Reges, Aulicos, Doctores cum toto populo in eum effundens, ut videret, an eum posset vincere. Sed vivat æterna & omnipotens veritas, quæ per eadem media, quibus oppressum ibatur, emersit gloriosè, toti mundo facta acceptior.

Ludibrio, & cachinnis excipitur.

VIII. Dicturus erat Christus Dominus noster per Apostolum: *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens.* Hanc veritatem voluit priùs consecrare in seipso, & complementum dare consiliis æternæ sapientiæ, vincere mundum, fundare Ecclesiam, implere hominibus regnum cælorum, dum patitur

Per hostes gloriosior evasit. 1. ad Cor. c. 3. v. 18.

tur se haberi pro stulto, parùm curando, quid de se sentiatur in terra: ut clarè videre possimus in ipso, omnem gloriam mundi non tantùm posse, ut animus capax æternæ gloriæ putet se despici humiliatione, vel magnum fieri quocunque mundi honore. Et hoc voluit sanctus Paulus, cùm dixit: *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud DEVM, & prudentia carnis mors est.* Quia omnis sapientia mundi cum suis punctulis & momentis honoris non valet hominem perducere ad gloriam, propter quam creatus est; ac proinde est mera stultitia, cùm tota ejus cura sit crescere in opinione & ore hominum, in divitiis, favore, fama, nomine, negotiis & voluptatibus vitæ: quæ omnia morti corporis obnoxia, mortem animæ pariunt: summâ utique insipientiâ eorum, qui in illis felicitatem suam constituunt, obliti æternæ. E contrario sapientia hominis Christiani contemnit mundum, timet ejus vanitates, fugit honores, & favores, amplectitur humiliationes, omnes suas cogitationes vertit in Deum ac cælum: tam parvi facit mundi splendores, ut pudeat eos aspicere: & quò minoris fit à mundo, eò excelsior est, acquiescens bonis internis; quæ quia mundus haud novit, verè sapientes in Christo pro fatuis habet. Sed Apostolus dicit, mundum illis dignum non esse; & sibi mundum esse crucifixum, & se mundo. Quasi dicat; mundus me habet pro maledicto & cruciario, deridens doctrinam Christi crucifixi, quam prædico: at ego solvo illi pari monetâ, quia non pluris eum facio, quàm aliquem maledictum & cruciarium. Quantumvis ergo se jactet, ac de se præsumat vel promittat, me quidem non decipiet; quia omnia illius reputo ut stercora, ut sapientiam Christi obtineam, quam mundus ignorat. Jactet ergo se, ut volet; præsumant ejus discreti ac sapientes quidquid libuerit: ad extremum tamen si æternam salutem consequi velint, non restabit illis aliud remedium, quàm in humilitate & stultitiâ Christi, nihilque aliud reperiunt in sua sapientiâ & astutia, quàm deceptionem & interitum.

1. Cor. c. 3. v. 19. ad Rom. c. 8. v. 6.

Effectus sapientiæ Christianæ, & mundanæ.

EXER-

EXERCITIUM
Circa ſtultitiam Chriſto imputatam.

I.

O Sapientia æterna, bone JESU, lux & amor animæ meæ, unicum Bonum meum, amice & Magiſter meus! quis jam dicet, te non pati liberè, quia vis? quis non intelliget, ſolum amorem eſſe, qui vim tibi facit, non malitiam, & vincula inimicorum? hic invenis Regem, qui longo tempore te deſideravit videre, audire doctrinam tuam, cognoſcere miracula; quique valde lætatus eſt ingreſſu tuo in ſuum palatium; quia ſperabat videre aliquid mirabilium tuorum, de quibus audiverat. Num te deſeruit ſapientia, vel potentia tuæ divinitatis? nónne poteras, Domine & gloria mea, confundere Judæos miraculis, regem in admirationem adducere, manifeſtare cogitationes præſentium, corda omnium aulicorum percellere divinâ tuâ doctrinâ; clarè oſtendere tuam ſapientiam & majeſtatem? Nihilominus tu taces, videns quanta rabie te accuſent: implent omnia clamoribus, mendaciis, falſis teſtimoniis, & tu interrogatus nihil reſpondes: petunt à te miracula, tu nihil agis: putant te aliquid facturum in gratiam Regis, ut aliquid per ejus auctoritatem efficias; & tu occaſione tam bellâ te liberandi ab inimicis non uteris: ſinis te haberi pro convicto, confuſo, & ignavo, corroborando ſic adverſarios: vides hoc modo eos juſtificare ſuam malitiam, te verò magis deſpicabilem reddi; & tamen taces, & abſcondis divinam ſapientiam, potentiam, & majeſtatem, ac pateris te adeò contemni à Rege, cum tota ſua aula, ut etiam ſtultus judiceris, & in habitu ſtulti ducaris per plateas, tanquam demens illuſor vulgi.

Amor Chriſtum ad patiendum impulit.

II. O amor meus, ô lux mea, ô æterna Veritas mea! quàm longè abeſt mundus à tui cognitione? quàm occultæ ſunt hæ veritates oculis diligentium vanitatem, & ſuperbiam? humilia me, Domine: fac ut intelligam te, nec permitte me eſſe extra hanc cæleſtem prudentiam. Ago tibi tamen infinitas gratias: adoro te, ſumma Veritas; adoro te, Sapientia patris; adoro te, mi JESU, lux animarum; propter quas ita clarè monſtras in divina perſona

Amantes vanitatem veritatem ignorant

tua incarnata veritatem tuæ doctrinæ, quam per te & per Apostolos tuos docuisti, necessarium esse, ut stulti fiamus, & ignorantes, si velimus esse verè sapientes; posteaquam pro tali te finis haberi cum tanto contemptu. Infinitas tibi gratias ago, quia abscondisti hæc à sapientibus ac superbis, & revelâsti ea humilibus ac parvulis. O qui te semper in hoc imitaretur! O qui haberet spiritum tuum, ut gauderet se haberi pro stulto, & similem tui fieri, Deus meus! ô qui nihil magni de seipso cogitaret, neque curaret existimationem hominum! quando imprimes animæ meæ has æternas veritates, ô Domine? Jam illas agnosco, jam veneror. Sed video me procùl ab iis abesse. Volo videri, audiri, laudari, & horreo vilipendi. Quid est hoc, Deus meus? ubi hæret ista superbia, cùm ob oculos habeam speculum hoc veritatis æternæ? ô amor meus, & gloria mea! tu scis, quòd, nisi purifices oculum meum, des mihi animum, & intimam recollectionem continuam, & facias, ut nunquam te dimittam ex oculis animæ, non possim amare hanc veritatem, nec desiderare & sequi cum gustu & affectu, quo tu amore mei incedis per eam. Condona mihi, Domine, meas vanitates; trahe me semper post hoc lumen: non sinas me cogitare, nec velle, nec amare aliam viam vel doctrinam.

Stulti coram mundo sunt verè sapientes

III. O mi Rex habite contemptui! hâc viâ venis, hâc inflammas, & illuminas tuos. Quando tui perfecti imitatores obliviscuntur sui, ut meminerint tui; quando gloriantur contemptu; quando per occupationem internam se non applicant ad humana negotia, & ob hoc habentur inutiles, inertes, ignari; per hoc non amittunt infirmam naturam aliorum hominum: quis est ergo Domine, qui facit eos stulteścere? quis hebetes, quis mundo inutiles efficit? quis adimit eis curiositatem vitæ? quis tenet intus suspensos? ô mi ardentissime amor divine, penetrans, fortis, operose, convertens animas! tu, mi Domine, es ille, qui facis has mutationes: tu arripis interiùs, tu intus doces aliam sapientiam, quam mundus non videt: tu intus aliâ pulchritudine capis animos, quam non attingunt oculi: tu alio lúmine doces interiùs, quod caro non intelligit; ostendis intus aliam discretionem, quæ facit eam, quæ foris est, vilem, abjectam, rudem, ac tam deliram, ut

Quos interiùs movet & docet sapientia divina.

ut non possint averti ab eo, quod experiuntur interius; imò pudeat eos fieri similes hominibus, qui tractant res externas, & sequi judicia vulgi, mirentúrque stultitiam hominum.

Animas eorum in se transformat.

IV. O quando, dulcis JESU! quando, mi dives JESU, & amorose transformator animarum! convertes me totum in te? & cùm videam hæc in te, & tui experiantur in se, ubi remaneo ego, quando æstimo, quando respicio favores humanos & affligo me vilipensione sociorum, & eorum, qui ista non vident? serò amavi te, pulchritudo tam antiqua & tam nova: serò te amavi. O placeat tibi, vel jam, licet serò te amem, & amplectar corde vero ac puro! tu es in internis, & ego vagor foris; tu intus doces, & ostendis te his, qui ad te convertuntur toto corde; & ego distrahor sparsus per oculos hominum, téque amitto ex oculis meis. Converte me DEUS meus, & ero conversus: muta me, & ero mutatus: doce me intus hanc veritatem, licet mundo fatuus, tibi tamen valde sapiens ero. O qui stulteseeret propter te ô qui evileseeret propter te! ô qui solùm à te, summa felicitas mea, vellet videri & æstimari!

Versantes in tenebris illuminat Proverb. 22. v. 1.

V. Doce me, sapientia divina, lux illuminans eos, qui versantur in tenebris internis, & in umbra lethiferæ ignorantiæ! doceme, divine Magister, quomodo cum his conveniat id, quod dixisti: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Estne hoc bonum nomen, Domine, nomen fatui, ignorantis, impostoris, falsarii, proditoris, quod imposuerunt tibi? malum nomen est superbi, avari, irreligiosi, vindicativi, invidi, & similia: sed bonum nomen est sancti, justi, spiritualis, contemplativi, sensati, prudentis, periti rerum. Sed numquid malum est nomen, quo te affici sinis, stulti & improbi? ô Domine animæ meæ! illumina errores & ignorantias meas. Ego velut improbus, bonum nomen voco, placere hominibus, si habear virtute præditus, si lauder ego & actiones meæ, probentur mea consilia, commendentur meæ opiniones & dicta. Pro his obtinendis jaceo insomnis; si accidat secus, contristor, perturbor, in his obliviscor tui, evanescit cor meum; in his consumo verba, & cogitationes plurimas. Non loquor de infelicibus horis, quibus delectabar tuis injuriis, laudabag-

Cor mundo affixum evanescit.

bar & gloriabar de rebus, quas tu odisti, & curabam vitia haberi pro virtutibus : sed etiam in sanctis rebus decepi me ipsum, & stultus fui, dum cogitavi, me obligari lege tuâ, ad existimationem tuendam, ut habear bonus; idque non sine internâ inquietudine, & vanitate verborum. O vanitas, ô stultitia, ô cæcitas mea! ô gloria & honor justorum! doce me, quàm bonum nomen sit cùm habeor pro stulto & imperito; & quando contemnor ac deprimor; tacere tui amore, perdere pro te omnia, omnium obliviscì propter te, neque curare judicia hominum, te solum habere pro Judice, pro meâ sapientiâ, pro divitiis meis, pro ornamento, pro amico hujus animæ. O mi humilis Jesu! quàm sum sapiens, cùm te amo! quàm stultus, cùm te perdo! quàm prudens, cùm videor perire per te! & quàm insipiens, cùm habeo omnia sine te! quàm justus, cùm obliviscor omnium præ suavitate pulchritudinis tuæ? & quomodo decipior, quando cogitationes consumo in alia te, quàm in te! ô si tunc viderer totus rudis & iners in oculis mundi; sed amore tui totus captus, immersus, absorptus, incorporatus, mutatus in te!

Scientia sine humilitate nulla est.

VI. Quare velim vivere, mi bone Jesu! quare velim abire à vestigiis tuis; ô Decus gloriæ, accipe me ad te! ô excelse humilis, ô vera gloria humiliata! cur velim ego plus sapere & intelligere? tolle me ex hac vita, Domine, si nôsti me amaturum, & æstimaturum aliud, quàm hanc veritatem. Ah! quid prodest intelligere, & sapere sine te, lux mea, & bonitas æterna? cessent modò, mi bone Jesu! tenebræ meæ. O despecte Jesu amplectere, & accipe me in socium tuum. Ex hâc horâ, Domine, in perpetuum renuntio omni existimationi, omni honori, omni reputationi meæ. Sint tanè omnes in æstimatione; sed ego sim contemptus, neglectus: sim in oblivione, in despectu omnium; alii sint in honore: non occupetur mecum ulla creatura; tu solus, mi bone Jesu & abundantia perfecta! mei curam habeas: tu solus me audias, me ames, me tu solus aspicias, tu solus occuperis mecum.

Amore transmutamur in DEVM

VII. Hîc amor tuus habet, quem transformet: hîc habet ignis tuus, quem accendat: hîc, ô lux divina! tenebras habes, quas illumines: hic ô sapientia æterna! habes ignorantem, quem erudias.

erudias. Inflamma me, Domine; consume me, Domine; doce me, Domine; humilia me in oculis mundi, & exalta me in oculis tuis. O quando videbo hanc mutationem! ô si nunquam recedam à tua præsentia, & à tua societate! ô si omnia extra te mihi pariant nauseam & horrorem! ô si me omnes creaturæ contemnerent, obliviscerentur mei; tu verò, Jesu animæ, solus, solus me possideres, & amplectereris! ô vita mœsta & ærumnosa, quæ tam longa & periculosa es! mi Domine, aut finiatur hæc vita, si unquam obliviscar istius rei; aut finiatur in me vanus amor illius, ut tui solius recorder semper, in omni tempore, loco, negotio. O mi Jesu, & omne bonum meum! tu scis, quòd non possim intelligere, quanti momenti sit hæc res, absque tuo lumine; nec possim eam exercere sine tuo amore. Da mihi, Domine, quod jubes, & jube quod vis: quia sine te non scio, nisi perdere me: tecum autem scio, & possum omnia, Deus meus, pulchritudo mea, gloria mea, amor meus, & omne bonum meum!

B. Virgo per humilitatem facta est Mater DEI.

O Mater Dei, Domina mea, vera imitatrix hujus veritatis! quæ humilitate cepisti filium Patris æterni, & in viscera tua traxisti. Ille te magni æstimabat, tu verò nihili. Angelus te vocavit Matrem, & plenam gratiâ, tu verò ancillam: nesciebas in te videre excellentiam, quam ille videbat. Portabas Deum in utero Virginali, & abscondebas; tacebas tuas divitias, & mundus te non æstimabat, cùm esses Deo plena. O Domina animæ meæ, quomodo aberro ego ab hac via? Filius Dei spretus est quasi stultus; tu Mater ejus, & Regina gloriæ mundo es incognita: at ego servus nequam, quomodo excusabo viam, quam hactenus tenui? adjuva me, ô humilis & suprema Domina! da mihi affectum ad hanc veritatem; insere cordi meo frigido ejus amorem. Impetra mihi à Domino, ne ullam aliam rem noverim, neque desiderem; & quidquid extra hanc est, procùl remove à corde meo, ne unquam possit illud subire: quia tu per experientiam novisti veritatem hujus occultæ sapientiæ.

Humilitas Angelorum

O sancti Angeli, pleni Deo, divites gloriâ! qui perfectissimè vos humiliatis coram Domino, & abundatis divitiis, quas obtinuistis sequendo hanc sapientiam, quam didicistis ab eo, tan-

gat vos miseratio hujus cæci miselli, qui sic aberravit à viâ. Offerte suæ divinæ Majestati omnia vestra merita, cum omni laude, quam canitis illi; & impetrate mihi ab illa, ut me illuminet, me humiliet, me inflammet in amore suo, & in intentione suâ; ut merear etiam ego societatem tam humilem, ac tam affluentem cælestibus bonis. Amen.

ÆRVMNA XXXVI.

Iactura existimationis apud amicos & triumphus inimicorum Domini.

I.

Multitudo ærumnarii Christi.

ÆRumnæ magnæ rarò veniunt solæ, sed ferè comitatæ aliis, non minùs acerbis, quàm ipsæ sint. Quod Christus ut in totâ vitâ, sic maximè in passione suâ fuit expertus, cujus circumstantiæ singulæ ad cruciandum sufficerent. Sic in ejus comprehensione fuit proditio Judæ, derelictio discipulorum, insultationes ac petulantia militum: in crucifixione luxatio membrorum, & alia id genus gravissima: quorum, qui ritè considerare vult ærumnas ejus, nihil debet præterire, ut pro singulis compatiatur, & gratias agat: cùm singula Domino plurimum doloris, nobis autem plurimum boni attulerint. Sic ergo in illis publicis despectibus per plateas urbis, cùm tractaretur ut stultus, conjuncta fuit, quam fortè pauci satis perpenderint, gravissima verò & meritò acerbissima Christo, jactura fidei & existimationis apud amicos, collectæ per opera divina, doctrinam cælestem, & vitam sanctissimam; triumphantibus interim ejus inimicis, quod rem ad optatum finem perduxerint. Nam ut ejus amor nullâ in re ipsi pepercit, ut in omni genere acerbitatum & seipsum nobis probaret, & Christus omnium afflictorum socius & consolator fieret: ita fecit eum subire & hoc genus ærumnæ, non ideo levioris, quòd ipse sic ordinaverit. Voluit enim neque in voluntate patiendi, neque in his, quæ patiebatur, ullum se antecellere, imò nec parem sibi esse. Nam infirmitas carnis non tantùm po-

Iactura existimationis apud Amicos.

test

test acuere sensum doloris, quantùm vis amoris immensi, paria sibi cruciamenta deposcens. Plus enim sponte suâ quis pati potest, quàm per violentiam; cùm vis amoris & voluntatis nullâ violentiâ possit excedi.

II. Itaque dubium non est, quin ii, qui Dominum secuti fuerant, confusi fuerint ac suspensi; & qui miracula ejus viderant, prædicârant; & universim omnes ambigui tam subitò versâ totâ facie rerum. Etenim plebs nunquam ita penetrat secreta divini consilii, & regitur magis visu & auditu, quàm intellectu veritatis profundæ. Ergo ut Christum extulerant, cùm viderent miracula, quòd venti & mare, mors & diaboli essent ei subjecti, frementibus & confusis ejus inimicis; ita inexpectatâ istâ conversione rerum, videntes eum in habitu fatui, religatis post tergum manibus, cum fune in collo, inter manus luporum, carnificum & militum, & hostium, ut eo facere possent, quod vellent, maximam senserunt in animo perturbationem; & illi ipsi, quos sanaverat, de suâ sanitate dubitare cœperunt, quâ nam virtute sibi reddita esset, & an vera, ac permansura. Jam in officinis opificum, & in tabernis mercatorum, cùm semper antea diversi de rebus Christi sensus, atque etiam contentiones fuissent, multis eas probantibus, ut quæ fieri non possent, nisi foret missus à Deo; aliis contrà spernentibus & elevantibus omnia, quæ fuerit horum insultatio, confusio illorum, quis explicet? nam ignominiâ, cui subjectum videbant eum, quem tot ac tantis argumentis inducti suspexerant, & ignorantiâ mysterii divini, homines naturâ suâ semper ad diffidendum proclives, non poterant non maximè perturbari; quod quia Dominum non latebat, solicitum de salute & constantia suorum in fide, gravissimè afflixit: & ausim dicere, nulli martyrum simile quid accidisse. Sed peculiares illi amici, ac discipuli ejus, Apostoli, Magdalena, Lazarus, Martha, & alii, quibus familiarior fuerat, & multa privatim tradiderat, licet ob nimis perspectam ejus sanctitatem, & odia Judæorum, nihil mali cogitarent de illo; multùm tamen debilitati sunt in fide ejus personæ, gravitérque senserunt illam confusionem; præsertim quòd se ipse non defenderet. Hinc amore erga ipsum; inde modicâ fide,

doctrinam Christi spectam reddit.

fuitque causa maximi doloris.

non

non parùm turbati sunt, ut hærerent suspensi neque se possent resolvere & expedire. Quod quidem Domino acerbissimum fuit, quòd magis dolorem illorum sentiret, quàm suum.

Plausus Iudæorum ob fraudis successum.

III. Accessit ad hæc triumphus & victoria inimicorum Domini, qui læti successu conatuum suorum, applaudebant suæ malitiæ, & artibus contra eum inventis fidem faciebant blasphemiis in eum jactatis: ipsa ejus miracula vertebant in probra, omnem gloriam operum, excellentiam doctrinæ, & majestatem potentiæ trahentes in occasionem sui triumphi, & ignominiam Domini, plenis buccis Impostorem ac Maleficum esse confirmantes; nec amicis ejus ac discipulis, si quis occurreret obviam, parcendo, & de silentio ejus quasi scelerum convicti, gloriando. Quæ cùm Christus videret, æternas veritates pro mendaciis, divina miracula pro maleficiis haberi, sanctitatem pro stultitiâ, & sine omni culpâ, solùm propter id, quod in se divinum erat, se tractari ut pestem reipublicæ; & malitiam, invidiam, odium, blasphemias ac diabolicas inventiones inimicorum omnium opinione probari, & haberi pro zelo pietatis, amore patriæ, & prudentiâ gubernandi; quantùm Christo doluerint, nemo capere potest, sed aliquo modo conjicere is, qui simile quid expertus, vidit, quantò ad hæc talia sufferenda majore virtute sit opus, quàm ad omnia alia, quæ accidere possunt in hac vita. Quia verò Dominus noster non potuit omnia pati in sua humanitate, quæ passi sunt Martyres, & alii Sancti; assumpsit ea, quibus non tantùm exerceret summam perfectionem & sanctitatem virtutum, sed etiam exempla daret omnibus afflictis, è quibus manifestè viderent, quàm longè absint ab ejus doloribus, quæcunque ipsi tolerarent. Sanè David, cùm sibi diriſſima quæque imprecari vellet, si suis hostibus malè feciſſet. ita dixit: *Si reddidi retribuentibus mihi*

Psal 7. 5. *mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis; persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat*: quasi nihil sibi gravius posset accidere: atqui hoc accidit Christo tantò cumulatiùs, quantò viliores ac proinde etiam nequiores ejus inimici fuerunt.

IV. Tanta

IV. Tanta est sublimitas & perfectio, quam suos in hac ærumna docet Christus, ut meritò cum Davide petere possimus hanc magnam misericordiam, quâ pro cumulo bonorum in hac vita *Benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam suam, in omnibus gentibus salutare suum.* Tam enim alta ac divina sunt hæc exempla, ut obstupescat natura humana, ac deficiat, nec possit assequi sine lumine & gratiâ peculiari. Nam primò hîc evidenter patet, quantò securior ad cælum via sit, sine existimatione cum bona conscientia, quàm cum opinione & gloria mundi, utcunque sancta appareat: quia Christus, cùm sciret quantùm interfit salutis mundi, se cognosci & coli pro eo, qui erat, intellexit viam ad hoc obtinendum magis convenientem ac propriam esse, si se ad istos contemptus demitteret, quàm si iret per laudes humanas; licet nunquam satis, nedum falsò posset laudari. Quod cùm ita sit, quantò securior pro his, qui eum sequi volunt, erit eadem via; quandoquidem justâ ratione cogitare possunt, se in conspectu Dei nihil laudis mereri? certè opinio hominum, laudes & honores, quos tribuunt homini vel virtuti, ferè semper sunt falsi, aut insinceri: ideóque excæcant cor, ne videat suos defectus: faciunt, ut æstimet se plus, quàm sit: aperiunt ostium superbiæ: destruunt in anima virtutes: generant exiguam curam placendi soli Deo, qui scit & æquâ lance expendit, qui simus, & quid verè mereamur. Sed qui non curat esse in bona opinione hominum, cavétque ac timet laudes eorum, solicitus ut soli Deo placeat, hujus pacem & consolationem, quâ gaudet in mediis despectibus, mundus difficulter potest intelligere, quàm quietus & securus degat in oculis veri Judicis Dei; quàm confidens inter pericula & miserias vitæ, si pro Christo amet humiliari præ illis, qui exaltantur & sanctificantur in ore hominum. O si hoc intelligere vellent, qui profitentur perfectionem Evangelicam! ô si vellent semper ob oculos habere hoc exemplar Domini humiliati! quàm viverent felices, ac pleni solatio, quiete & lumine! hoc est negotium, quod laudant multi, sed imitantur perpauci. Sed experientia docet, eos qui ducuntur hâc viâ, esse perfectiores in Ecclesia: quia sic nô-

Ps. 66 v. 2. & 3.

Laudes mundanæ plerumque falsæ.

runt modos se humiliandi, sicut mundani procurandi gloriam & honores.

Verum amorem sine quæstu operatur

V. Docet præterea Christus, quàm perfectam fidem, & purum esse velit amorem nostrum, sine omni quæstu existimationis & amoris in mundo. Nôrat, hac sui depressione periclitari fidem & amorem suorum: nam fides nitebatur solis miraculis, amor autem beneficiis; judicavit ergo, melius esse hâc ratione probare fidem & amorem eorum, etiam cum periculo eos perdendi, quàm ita imperfectè ab eis cognosci ac diligi: ut sic humiliatis postea largiens Spiritum sanctum, purificaret fidem & charitatem eorum: quo factum est, ut qui turbati fuerant isto contemptu ipsius, postea gloriarentur, si possent ei fieri similes, & pro eo contumeliam pati. Multi amant Christum, donec eis nihil accidit adversum; sed pauci sunt, qui, cùm deseruntur à Deo & hominibus, perseverent in puritate amoris: quia licet Deus non omittat animas consolari dulcedine internâ, quâ sibi illas devincit; non tamen vult amari propter ista, sed propter seipsum, & ob istam causam Deus abscondit sæpe talia, ut probet, an sincere ac purè ametur sine usurâ. Nam si anima tantùm sequatur Christum, quando sentit suavem odorem unguentorum ejus, at eo deficiente, arbitretur se desertam, ac solatia quærat in rebus creatis; est manifestum, plùs amari donum, quàm donantem; & huic amori usurario sæpe probari, ut agnoscatur & meliore mutetur. Amare Jesum in cruce, contemptu ac desolatione, nec minùs pulchrum invenire in his, est signum puri amoris. Non bene hanc linguam intelliget, qui non studet sic agere cum Deo, ut occupet animam in eo, ad quod est conditus, nimirum, ut illum cognoscat & amet; qui licet eum Deus patienter sustineat, in magna tamen egestate bonorum internorum degat, necesse est, neque damna sua agnoscat. At qui omni cura studet imitari Christum, tam zelosum inveniet, ut non modò non patiatur quidquam admisceri suo amori, quamlibet sanctus appareat; sed etiam gratum non habeat, si magis amentur, quæ dare potest, quàm ipsemet: dona Dei certa sunt, quantùm verò talibus communicet se sua divina majestas, nulla lingua expresserit. Ergo fidei est, nos reddere certos de libera-

In rebus creatis nulla quærit solatia,

beralitate Dei amoris, ita purum se conservare, ut illâ solâ accendatur, & animetur, non donis illius. Ac talis amor semper est constans, quia in qualibet adversitate externâ, internâ, non minùs adhæret Deo duro & aspero, quàm suavi ac dulci.

VI. Denique Christus hunc despectum subire voluit, ut consolaretur suos, quibus non rarò fit, ut prævaleant improbis; quæ est magna virtutis probatio. Sunt, qui Deum purè diligant, zelosi pro ejus honore & salute aliorum, quam omni modo procurant; quod cùm non possint sine contradictione dissolutorum, & libertatis amantium, Deus permittit hos armari & insurgere contra illos, pro defensione suæ licentiæ; adeò ut cum omni suo sanctissimo zelo, nihil nisi contemptum reportent, omni virtute suâ in vitia, & majorem suam humiliationem conversâ. Quàm id grave sit, novit solus, qui experitur. At ipsi cùm vident mare sic moveri contra se, necessariò colligunt, Deum non velle tunc id obsequium, quod ipsi præstare volebant, sed aliud majoris suæ gloriæ, nimirum silentium, patientiam, & humilitatem; etsi videant suas bonas intentiones, & virtutem trahi in mera opprobria. Unde pati ut sanctum, habet aliquid solatii; sed ut malum, & ipsam quoque virtutem, quâ se probare studebant, in tormentum & pœnam cedere, hoc enimverò tolerare difficillimum est. Sed oportet hic esse fidelem Deo, ut se colligens intra seipsum, mutet sua sancta desideria, & sinat se ab unoquoque tractari pro libitu, neque cogitet se pati ut bonum, aut alios agere malè; sed oculos in solo Christo defigat, illos ipsi commendans; & cogitet, se non esse dignum, qui patiatur ut Zelator honoris divini, & salutis proximi: sed Deum uti suis adversariis ad vindicanda & expianda, quæ in se displicent illi. Atque hoc tempore suum proprium honorem non curet, sed commendet Deo; qui vult, ut eo tunc excidat, sibi illum relinquens, à quo puriorem recipiet, solicitus de hoc solo, quomodo possit Christum sequi in omni humiliatione. Nam si sua divina majestas ipso uti voluerit in alia re, bene aperiet ei viam ad hoc, & spiritum dabit ad eum effectum. Et quia hoc genus persecutionis est toleratu valde difficile, nec statim agnoscitur, voluit Christus suos inimicos de se triumphare

In omnibus mentem Dei sequitur,

Docet ejus voluntatem omnibus præferendam,

Quem unicè quærit.

tantisper, & amicorum plurimos à se averti, omnia sufferendo cum silentio; quamvis facilè potuisset ea declinare: ut in simili discerent servi sui, causam suam Deo committere, ac tacendo id unicè curare, quomodo ipsum imitentur, eique similes effecti, de mundo per victoriam sui ipsorum triumphent. Atque hoc est, quod Sanctus Bernardus docet, nullum contemnere; sed contemnere, quòd contemnatur. Fit enim, ut qui contempserit alia omnia, delabatur in occultam æstimationem sui ipsius, cogitando se æstimari ob hoc ipsum; & sic omnia perdat.

EXERCITIUM
De Jactura existimationis ac triumpho inimicorum Christi.

I.

Miracula Christo in despectum cedunt.

QUid est hoc, bone JESU, unice amice animæ meæ? quænam est hæc extrema abjectio, in quam devenis, ut velis amittere fidem apud amicos, ac tua miracula & virtutes in despectum tuum cedere, & inimicos in triumphum? Tu, ô gloria vera justorum! non poteris, nisi propter animas; totum, quod per omnem vitam tuam fecisti ac docuisti, fuit ardentis amoris, ad convertendas, & arctissimis nodis puri amoris adstringendas tibi animas: quomodo ergo periculo exponis fidem tuorum amicorum? quomodo permittis te ita contemni, ut erubescant, qui te audierunt, secuti sunt, & amaverunt? Erubescunt sanè, qui te defenderant, cùm vident inimicos tuos prævalere, fugere discipulos, te publicè ita contemni, ita infirmum, ita subjectum potestati inimicorum; ut proinde dubitare incipiant de veritate eorum, quæ docuisti: & tu hæc omnia toleras, excidis existimatione, & periclitari finis illorum fidem & amorem: & hæc omnia propter me. O Deus, ac Dominus meus! quàm purè & sine proprio quæstu vis amari! non placet tibi fides, quæ pendet ab his, quæ videt: nec satisfacit anima, quæ te plus amat propter ea, quæ das, quàm propter id, quod es: & quia tui nondum noverant amare te abjectum, & cum signis infirmitatis, sicut amabant, quando laudabaris à mundo, & ipsis beneficia conferebas; vis potiùs in periculum veni-

venire illorum fidem & amicitiam, ut sic humiliati & purificati, non sint ampliùs inter eos, qui tam vili amore te prosequebantur, & integritatem fidei conservent inter omnia, quæ circa te vident. Ad hoc eis præparâsti Spiritum sanctum, cum amore puro & fide perfectâ: & nobis tradidisti simul hanc altissimam doctrinam de amore, quem exigis, & quo solo contentus es: quia sicut ipse es purissimus, simplicissimus, & perfectissimus, ita non es contentus animæ puritate quacunque, sed vis liberam ab omnibus aliis rebus. Solus, ô Deus amoris! amari vis, solus possideri, solus absque admixtione alterius amoris animabus conjungi; non propter id, quod apparet in te, sed purè propter id quod es, mi supreme Domine, & origo bonorum omnium!

II. Quidquid non es tu, quantumlibet magnum, sanctum sit & excellens, vis esse foris, ut tu solus habeas locum in anima, quam tantopere diligis: ô quàm dives, quæ te sic amat! quando, Deus ac Dominus meus! ego te sic amabo? ô quàm longè absum, plenus quæstu & amore proprio! quia recedens à te, dispergo eum per creaturas, placétque mihi amari & cognosci ab illis. Puto me non vivere, si amicis meis vel minimùm displiceam, & aliam opinionem de me habeant, quàm sperem: turbor, si non respondeant illi, quod me puto ab eis mereri: volo ut laudent actiones meas, & intentiones divinent, extollant. Atque per hoc, Deus ac Dominus meus! non exprimo minimam partem ejus, quod gero in animo, & quale mancipium sim meæ existimationis, reputationis & honoris. O utinam, Deus meus, non ultrà vivam secundùm desideria & corruptos appetitus meos! quos infinitâ tuâ misericordiâ sustines, & sola bonitas tua ex animo meo potest evellere: si quando quæram misericordiam tuam, ad hoc ipsum inducit me quæstus & amor proprius: si quem amicum habeam pium & virtute præstantem, magis humano affectu eum diligo, quàm spirituali, puro, & non usurario. O quando, Deus meus, medeberis huic animæ pauperi? & quàm rarus hic amor purus, qui te solo sit contentus, Domine! hic est super omnia sancta opera, super omnes amicos, & super omnes res terrenas ac cælestes, qui tam libenter dimittit omnia pro te,

Solus Deus vult animas nostras possidere,

Solus illas purificat,

quàm tu dimittis omnia propter me. O Domine, quàm difficile est invenire spiritum tam purum & nitidum!

Omni nostro obsequio dignissimus,

III. Quid magni est, si totum hoc faciam pro tui amore, si tu amore mei tantum fecisti pro me? si, ô bone Jesu! ego fuissem Deus tuus, quid amplius facere potuisses amore mei, quàm ut posthaberes honorem, amicos, existimationem, reputationem, & bonum nomen, & amitteres omnia: sicut fecisti pro me misero peccatore, ad demonstrandum erga me purum amorem, & quàm purè à me amari desideres? Et ego, vilissimus terræ vermiculus, pro magno reputo, si recedam à rebus tam vilibus, qualia sunt omnia, quæ me separant à te, & impediunt hoc terreum cor meum, ut non se erigat ad puritatem tui amoris. O qui nunquam in anima sua locum dedisset alteri rei, quàm tui amori! quid habes in me, quòd sic me solum velis, ô amor divine? solum, & sine usura vis amorem cordis mei: & ego si te sic amem, Deus meus, quid inveniam in te? ô amor! divine amor! ô qui solùm occuparetur in te, neque à te unquam recederet, nec aliud haberet, quod agat! ô quàm beatus esset, quàm contentus, quàm totus mutatus in te! quando cessabit, ô Deus meus! pondus carnis istius, quæ gravat me semper, ac retrahit à te? tu, Domine, me sublevas; illa deprimit: tu inflammas; illa refrigerat: tu emundas; illa contaminat: tu ditissimus, pulcherrimus, purissimus, amor æterne convertens animas, imples me teipso; illa replet vilissimis quisquiliis, quibus sejungor à te. O si tandem consumerentur fæces hujus hominis veteris ac terreni, ut habeam te pro unico purissimo & perfectissimo bono meo!

Ob quem omnia in mundo contemnenda,

IV. Jesu mi, amor animæ meæ! nunc & in perpetuum renuntio tui amore omnibus creaturis, renuntio cognatis, amicis, oblectationibus, libertati, famæ, opinioni, & quidquid potest occupare cor meum: & quod huic meæ voluntati deest, ut perfecta sit, supple tu, misericors Domine! Munda, purifica divina, meam animam, quam pro habitatione tua fecisti: purifica ejus amorem, ut solum te amet ac desideret. Si vis, Deus meus, ut, quia tu es unicus & purus amor meus, ego sim sine amore, favore, auxilio, existimatione apud amicos, etiam bonos & san-

sanctos, & apud omnes creaturas, acquiesco, unicum verum bonum meum, & sponse animæ meæ! Desint mihi omnia, tu non desis; omnes me deserant, non deseras tu: velit mihi bene, qui volet, ego propter te solum vivam, & moriar. O si veniret benedicta hæc hora! ô si cerneretur in me ista puritas! Veni, bone Jesu! veni, in hanc animam, & effice in ea, quod me tanto labore docuisti: quia scis, me non vivere in te, nisi tu vivas in me: & cùm fuero tam purus, ut possis vivere in me tu, qui es amor meus & gloria mea, deserant me omnes: quia tu sufficis mihi. O si non differretur hæc hora beata

V. Confitebor contra me, Deus meus, tuæ divinæ misericordiæ magnam infirmitatem & miseriam meam; ut me sanes, ac des mihi, quod exigis à me. Tu, Domine, mandâsti mihi, ut quando perfectissimè fecero, quod mihi mandatum est, dicam me nihilominus servum inutilem; quia quod benefeci, tuum non meum est. Nunc autem, sponse veritatis æternæ, me doces in teipso, quàm purum & intactum esse me oporteat à meis bonis operibus; ut, si alii judicent illa esse mala, & mea veritate ac virtute me impugnent, ac persequantur, non ut sanctum (quod esset suave) sed ut improbum, nequam, hypocritam, & impostorem, ego non turber, sed æquo animo tolerem, ac studio tui imitandi, amandi, ac fruendi te solo, sinam tractari me ab omnibus, sicut ipsi voluerint. Cùm hoc video, desidero: cùm inspiras mihi, propono: cùm in teipso id ostendis, vellem tibi conformari; sed cùm venitur ad rem, ô quàm diversum me invenio! confiteor tibi meam miseriam, quòd infirmitas mea isti cruci ferendæ non sit. Hîc cado, hîc hæreo, hîc cernitur fides & patientia, magis hîc egeo assistentiâ tuâ, quàm in ulla re alia. Tu, Domine, non potes dici servus inutilis: quia tu solus es, qui dedisti omnibus, quod est utile ad vitam æternam. Tua doctrina ardens penetrat animas; & hæc omnia facis tuâ virtute, non alienâ: & nihilominus voluisti verba & opera tua, quasi mala & fallacia, tibi verti in probra, & inimicis in triumphum, ut justificentur ipsi, tu condemneris: ipsi laudem reportent, tu vituperium: ipsi habeantur pro sapientibus, tu pro stulto & nequam. O summa veritas,

Novit & permittit infirmitatibus nostris.

Sine cujus assistentiæ nihil possumus.

ritas, ô vera vita mea! quàm hæc sunt gravia meæ carni! & nihilominus vis, ut sic te cognoscant, sic desiderent, sic imitentur, qui te amant; & vis ut te sic humiliatum habeant pro tam pulchro & glorioso, quàm es in gloria. Vis ut te amem, te desiderem, tibi me subjiciam, sive glorioso, sive humiliato, sive cum cruce, sive cum favore & gratiis.

Horremus, qua Christus amavit.

VI. Fateor, Deus meus, convenire, ut hoc faciam; sed fateor quoque meam miseriam non eousque pervenire: terretur enim, quando videt se constitutam in tali occasione. Conforta me, Domine; subleva cor meum à terra, ut sine obstaculo possis in eo facere, quod volueris. Recordare, quòd memoria rerum istarum in horto expresserit tibi sudorem sanguineum, quando permittebas humanitatem tuam sanctissimam sentire, quæ erant futura: & ego, nauci, vilis, ac terrenus peccator quid agam? clamo, & clamabo coram te: agnoscam te Deum meum, qui solus in me facere potes, quod ego non possum. Tu mandas, ut cùm omnia fecero, me dicam servum inutilem, quia tu es, qui omnia bona facis in nobis, ut ea sic conservemus; ego diu antè me agnosco servum, valde inutilem, & miserabilem, ac debiliorem omnibus; ideo me conjicio in divina brachia, & pedibus tuis advolutus, per bonitatem tuam te oro, ut facere digneris in me mirabilia tua. Non peto, ut ab his afflictionibus me liberes; sed hoc peto, ut mihi des tantum amorem patiendi pro te, ut in hac vita majorem consolationem non habeam, quàm videre me semper in doloribus eo modo, quo tu voles; nec desinas me castigare, & ego in hoc vivam & moriar, contentus tui amore & imitatione.

Amanti maximum solatium affert dolor.

Omnes sine discrimine amandi.

VII. Licet habear ac despiciar ut malus, te recognosco, te veneror Deum ac Dominum meum, & pro tali cupio in hac vita tractari à te. Triumphent sanè de me inimici mei, dum faciam ego quod debeo, neque cogitem aliis me esse meliorem; neque putem, Deus meus, me persecutionem pati, ut justum, sed pati multò minùs, quàm promerear. Et concede mihi, Domine, ut amem inimicos meos, ac si essent veri amici, & ministri tuæ divinæ providentiæ ac voluntatis. Monstra mihi Domine, mirabi-

rabilia tua, faciendo me dignum & ita subjectum amori tuo, sicut tu vis, Deus animæ meæ. Fac, ut in isto corde non sit discrimen, quis me vexet, bonus an malus; nec ego putem fieri mihi vim ac injuriam: sed unica ratio excusatio, consolatio mea sit, imitari te, & similem tui fieri. Aperi, Domine mi, thesauros tuos, & facin hac paupere creatura divina opera tua. Aufer à me, quidquid possum sentire, & tibi me uni: & te solum, Deus meus, & JESUS animæ meæ, amor meus! possideam semper.

O sanctissima DEI Mater, Refugium Infirmorum, Dux errantium! adjuva me, Domina, & impetra mihi à Domino istum thesaurum. Tu Regina Angelorum, scis meam animam non alia de causa creatam, quàm ut semper amore perfecto sit unita Domino, & extra eum illi bene non esse. Impetra ab illo mihi lumen & gratiam solum ipsum quærendi, desiderandi, sequendi toto corde; nec aliud quidquam curandi, quàm quod ad eum ducat, vel abducat. O sancti glorioſi ac beati spiritus, juvate hunc miserum exulem, infirmiorem ex propria culpa, quàm ex natura; elevate cor meum ad illum, quo vos estis tam pleni & beati, ut ipso contentus nihil aliud amem; nulla re turber, nisi quæ ab ipso me separet. Amen.

ÆRVMNA XXXVII.

Permutatio Christi cum Barabba.

I.

NOn potuit contemptus Domini intra longum tempus fieri major, quàm sit factus intra sex horas, ut pluris fieret homicida seditiosus, quàm sua divina Majestas, & judicaretur promeritus pœnam eandem, quam Reipublicæ pernicioſissimus quisque. Atque ut in medio talium puniretur, allaboravit malitia inimicorum ejus omnibus modis: cúmque id non procederet viâ juris; pervicaciâ, clamore, tumultu ac seditione conati sunt obtinere. Cùm enim in Paschatis festo solenniſsimo Christum summo manè adduxissent ad Pilatum, isque interrogâsset, quam accusationem afferrent adversùs eum, illi, quasi vitio verterent sibi, præcipuis Gentis Judaicæ non haberi tantum fidei, ut sine ulteriore examine reum à se *Accusatur Christus coram Pilato.*

Ioann. 18. 30 adductum damnaret, responderunt superbè: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Indignatus Præses tam iniquæ petitioni, dixit: accipiant ergo eum, & secundùm legem suam judicent, quando Romanis & justitiæ naturalis legibus ipse id facere non possit. Sed quia illis adempta fuerat potestas ullum damnandi ad crucem, quod unicè cupiebant evenire Christo, cœperunt illi varia crimina eo supplicio digna imponere: ut quòd omnem populum à Galilæa Jerusalem usque commoverit; Regem se fecerit; ac prohibuerit Cæsari dari tributa. Quæ tametsi parùm credibilia, & ipso proponendi modo suspecta essent Pilato, non tamen dissimulanda censuit: sed judicium totum remisit Herodi. At cùm nec ab isto videret magnopere curatam accusationem, & eam importunissimè urgerent illi, sine omni probatione; ut meliùs ex ipso Domino de rebus ejus cognosceret, secretò illum de regno & origine suâ interrogat, si fortè sit è stirpe regia, ut cogitationes de regno habeat. Non abnuit Christus, se regnum habere, at non ex hoc mundo: alioquin ministros suos utique prohibituros, ne traderetur Judæis.

Aperit regnum suum

II. Objici potuit, si regnum ejus in cælo est, quare non defendunt eum servi, quos habet in cælo: minórne est fides & affectus in illis erga suum Regem, quàm esset in hominibus? atqui longè diversa est hominum agendi ratio: nam hi sui Regis causam propugnant, seu justa, sive injusta sit, modò gravem & armis dignam existiment: illi autem divinitus edocti omnia terrena parvi pendunt, & noverunt eorum jacturâ magnum fieri lucrum: ideóque non defendunt regis sui honorem & vitam, quòd eorum amissione sciant emi cælo plurimos incolas; sic etiam non liberant amicos suos in terrâ ab eorum ærumnis; quia nôrunt eorum felicitatem sic assecurandam in cælo: atque ut altiore sapientia rès discernuntur in cælo, quàm in terra, sic etiam certiore ac tutiore lege gubernantur. Sed Pilatus alterius mysterii aperiendi occa-

Io. 18. v. 37. sionem Domino dedit, cùm dixit: *Ergo Rex es tu?* cui ille: *Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.* Hæc verba bene consideranda sunt

omnibus

omnibus, qui per doctrinam Domini expectant æternam salutem. Nam si illam, ejúsque confirmationem, tam illustribus exemplis totius vitæ ac passionis factam ab illo, conferant cum suis moribus ac studiis, facilè videbunt, an secundùm veritatem incedant, vel potiùs decipi se sinant rebus, quas ille rejecit. Atque ut agitur hîc de damnatione ac salute animæ, par est, ut omnes magnâ cum curâ vitam instituant, ne forsan à veritate aberrent, falsâ specie inanium rerum delusi. Vereor autem, ut nimis multos habeat socios Pilatus incuriæ suæ, quâ tantùm obiter quæsivit, quid sit veritas, neque expectavit responsum: quia scilicet parùm curabat id nôsse, neque desiderabat illuminari à luce divina sibi præsente, & sine dubio multam ei gratiam daturâ, nisi cursim & quasi per transennam egisset.

III. Cùm ergo Pilatus, quæ de regno cælesti ac de veritate dicebantur, non intelligeret, ac censeret ea nihil ad Imperium Romanum spectare, sed potiùs ad Hebraicos ritus ac dogmata, neque ipse omni diligentiâ ullam in Domino causam mortis deprehenderet, uti nec Rex Herodes; statuit, aliquâ propter aliquos motus in populo excitatos castigatione correptum, dimittere. Id quod Judæorum Principibus non levem timorem injecit, cogitantibus Christum, licet in publico taceret, privatim tamen Præsidi sic satisfeciſſe, uti ei mendacia & odia sua facta sint manifesta: videntes adeò se hactenus nihil admodum effeciſſe, & in periculo versari excidendi penitùs proposito suo, denuo clamoribus ac tumultu cœperunt urgere, ut improbi solent, quod jure non possunt assequi. Pilatus, ut Christum, vel se potiùs liberaret ab illis, hâc eos arte fuit aggressus. Consueverat in memoriam liberationis à servitute Ægyptiaca, pro solemnitate Paschali aliquis capitis reus, quem populus vellet, vitâ donari. Proposuit igitur illis Christum, & Barabbam seditionis & homicidii reum, non dubitans, à populo, qui Barabbæ infensus, & Christo multùm esset obstrictus, Christum petendum: cujus res etsi non satis cognoverat, ipsa tamen patientia & mansuetudo cum imperturbatâ modestia, gravitate vultûs & oculorum, nihil dejectum triste

Studium Pilati dimittendi Christum.

aut iracundum spirantium, ac denique decor, & placida majestas conservata inter summas iniurias, animus constans & erectus, cum insigni prudentia, non immeritò videbantur omnibus id persuasura: sed aliter evenit. Nam populus instigantibus principibus, sicut efferata bellua, sine discrimine ruit in obvia quæque, unâ voce donari petiit sibi Barabbam, JESUM agi in crucem; quod etiam obtinuit. Videre licet hîc indolem populi, cui multi magnates tantopere student placere: quóque termino clauduntur vulgi plausus & laudes. Hoc præmio donatur ab eis Christus pro tot beneficiis. Quantum autem hæc omnia doloris attulerint ei, non verbis exprimi potest, sed considerationi piorum relinqui debet, ut eorum sensu tacti liquentur in lacrimas.

Christus Barabbæ postponitur.

IV. Bene monstravit in seipso Dominus veritatem ejus quod Apostolis dixerat: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Amat enim, quod suum est, defendit latrones, absolvit homicidas, liberat seditiosos, favet conscelleratis, damnat auctorem vitæ & pacificatorem inimicitiarum, permutat innocentem cum improbo. Hic est mundus, cui servitur, adolentur thura, velificant omnia, & victimæ fiunt homines: qui quantò plùs inveterascit, tantò densiorem callum inducit in odio & persecutione bonorum ac virtutum, & in extollenda vanitate, ac vitiis allinendo nomina verarum oblectationum; ac tantùm valet apud plurimos, ut, licet pessimè solvat suis mancipiis, semper nihilominus obtineat fidem, quâ, licet infortunia servorum ejus abscondi non possint, credantur tamen vera bona sectari. Ita cum periculo animæ quisque fertur in ea, ad quæ propendet; vel mundi, ut pereat, vel Christi, ut salvetur; licet odio habeatur à mundo. Perutile sanè his, qui Christum vero corde sequuntur & amant, mundum exosi, videre, quomodo Christum tractet mundus, divinam ejus Majestatem posthabendo latroni; & videre, quòd, si mundus amat improbos, id in ludibrium eorum desinat, & interitum: cùm contrà, quos amat Christus, coronet, & ex improbis efficiat bonos, coronandos cum bonis.

Ioan. c. 15. v. 18. & 19. Mundus bonos opprimit, malos defendit.

V. Porrò

V. Porrò qui bene novit animum Christi, & quantus ignis ardeat jugiter in ejus pectore, quémque multis modis exhibuit peccatoribus, omni studio illos quærendo, séque illis conformando, judicabit injuriam ei fieri, cùm hoc numeratur inter ejus ærumnas, quòd permutetur cum homicidis, & computetur cum sceleratis. Imò propter puritarem & magnitudinem amoris hæ potiùs reputandæ forent inter majores delicias, quas unquam habuit in totius vitæ suæ decursu, quam totam impendit, ac denique profudit pro peccatoribus; ut proinde libenter eos habuerit socios, quos comparavit sibi tantis impensis. Et verò, licet gravissima fuerit ipsi hæc optio ingratissimi populi, tantum benefactorem suum judicantis indignum vitâ, præ famoso latrone, & perturbatore Reipublicæ; nihilominus meritò cogitari potest, ei longè acerbius futurum fuisse, si etiam homicida fuisset occisus, ut ipse retineretur in vivis, qui paratus erat mori pro quolibet. Quamvis autem illi perversissimo judicio suo turpissimè erraverint, & gravissimè peccaverint; nihilominus æterno consilio DEI factum est, ut in hâc permutatione omnes peccatores certum pignus habeant, quòd quotiescunque opus erit, pro se dare possint vitam & sanguinem domini. Atque hoc oportet credere, Christum, quando audivit peti præ se Barabbam, ardentissimo amore in id animo consensisse, ac Patri æterno se pro Barabba & omnibus hominibus obtulisse, & impetrâsse, ut ista commutatio rata & confirmata sit pro omnibus, qui volunt salvari: ut proinde nemo, quantumvis malus, diffidere possit, se locum habiturum in comitatu istius veri amici peccatorum. Quia & in vita semper quæsivit peccatores, omnibus gratissimum ad se præbens accessum; & in morte socium habuit latronem à cruce ad paradisum. Quomodo ergo negabit in gloria sua locum ulli peccatori quærenti se?

Gaudium Christi ob condonatã vitam Barabbæ.

VI. Atque hoc ex parte DEI dubium non est, at ex parte nostra valde periculosum; quia permutamus eum rebus, quæ ab eo loco nos arcent: & amore proprio excæcati Judæos imitamur quolibet gravi peccato, quo Deum à nobis rejicimus, præoptantes inania. Quin imò stolidior est nostra commutatio,

Homo peccato mortali Christum Barabbæ postponit.

quàm Judæorum : quia Barabbas homo fuit , pro quo Dominus moriebatur, & cum eo commutabatur, ut salvus fieret : sed commutare Christum cum rebus tam vilibus, & cum peccatis tam fœdis, quorum odio Christus est mortuus , ut ea tolleret ; & cum vanitatibus mundi , quas ille tanto studio reprobavit , est adeò grave , ut hominem meritò pudeat , ne audeat oculos levare ad Christum aspiciendum. Quia peccare mortaliter non est aliud, quàm Deum ejicere domo , quam comparavit sanguine suo , & in ejus locum introducere peccatum , quod defœdat ipsum infernum. Neque hoc malum fert homo solùm in anima ; sed etiam interim dormit, comedit, lætatur in ipsis peccatis. Neque verò minor est culpa nostra, quàm Judæorum : nam hi fecerunt ex passione, invidiâ & odio erga Dominum , quem non agnoscebant pro Filio DEI ; sed nos, qui adoramus eum pro illo, qui est, & exspectamus ab illo salutem æternam, & omnia bona, sine interveniente odio , peccamus tanto cum gustu & amore injuriarum ipsius, ut pro nihilo reputemus, eum perdere, & permutare pro quacunque delectatione terrenâ. In summa, tales nos sumus; & ipse non minùs est patiens, & amans nostri, quàm eo die, quo pro nobis est mortuus.

Malitiâ suâ Judæos superat.

EXERCITIUM

Circa permutationem Christi cum Barabba.

I.

Dominus peccatoris induit personam.

ADoro te, mi bone JESU, Fili DEI vivi ! & infinitas gratias ago, pro hoc extremo amore, quem mihi nunc exhibes: dum non contentus assumpsisse carnem peccatorum, versari cum illis, dum viveres, benignè eos recipere, & expiare nostra delicta; tam ardentem amorem ostendis, ut, cùm ipse peccare non possis, & fieri verus peccator, volueris haberi pro sceleratissimo, & quidem pro tali, à quo proveniat ruina & interitus Reipublicæ, quales sunt latrones & homicidæ ; imò tanquam illis pejor, judicari indignior vitâ, quàm illi, ac tanquam antesignanus in medio

eorum

eorum crucifigi. Quid tibi dabo, amor infinite, pro tanto amoris excessu? quanam re, Salvator mi, potero satisfacere tam inflammato amori, tanto igni charitatis, quâ me prosequeris? O Deus meus, ac Dominus meus! cùm tantopere cupias mihi fieri similis, & haberi pro tali, qualis sum ego; ecce do tibi cor istud plenum peccatis, & animam hanc, cujus miseriam & malitiam nôsti: accipe illam in societatem tuam, & tracta conformiter tuæ divinæ voluntati: quidquid enim volueris me pati pro te, nec ad minimam partem accedet earum contumeliarum, quas tu pro me passus es.

II. Condona mihi, optime JESU! totum tempus vitæ, quod in servitio mundi tam mali consumpsi, qui tam parùm agnovit te, ac beneficia à te cumulatè accepta. Barabbas, O Deus meus, & vita animæ meæ! latro seditiosus & homicida dignior sit vitâ, quàm tu, salus animarum, requies laborantium, ac thesaurus omnium bonorum? mi dulcissime JESU! ô qui nunquam vidisset mundum, qui mavult vivere famosum latronem, quàm te! ô qui semper eum odisset! ô qui propter illum te nunquam perdidisset! Sed quid potest facere mundus tam perversus, quàm ut suos defendat, te perimat? non invenit alios socios, Deus meus! quos adjungat magis tibi convenientes, quàm duos latrones tecum crucifigendos? tam citò sunt obliti miraculorum, divini exempli, sanctissimorum operum, & heroicarum virtutum? tam citò humanitatis, quâ agebas cum illis? sapientiæ, quâ illos docebas? potentiæ, quâ sanabas? patientiæ, quâ sustinebas illos? amoris, quem exhibebas? Nullum sine auxilio dimisisti à te: nullum offendisti: nihil è mundi rebus appetivisti, degens instar pauperis: non quæsivisti honores: nulli gravis, omnibus benignus & beneficus, omnes juvisti, defendisti, protexisti. Et tamen cùm te possent liberare à morte, quam tibi intentabant inimici, liberant latronem, ac te crucifigunt: petunt vitam homicidæ, te veram vitam animarum expetunt ad mortem, pejorem existimantes latronibus; quos ut servare possint, recipiunt supra se, & filios suos sanguinem tuum, ut eum effundant, ac te tollant è medio. Et cum hoc mundo ego stultus fœdus inivi; illi servivi, adhæsi,

Perditum tempus.

quod mundo impenditur.

adhæsi, dedicavi studia mea: illum timeo perdere, cupio lucrari: & me perdo cum illo! da mihi, Domine, perfectum horrorem illius: da, ut amem te solum, quæram te solum, solum desiderem, æstimem solum.

III. Quando, Deus animæ meæ! videbo me tecum in persecutione, abjectione, contemptu ab hoc mundo, sicut video, dulcissime amor animæ meæ? quid boni mihi dare potest mundus, aut quid ab eo possum expectare, cùm te summum bonum sic tractet? ô perditam vitam, quam illi impendi, perditas cogitationes & curas occupatas in illo! Sana, Domine, per bonitatem tuam, hanc meam miseriam: da mihi perfectum horrorem omnium, quæ in mundo sunt, ut te solum perfectè possim amare. Habeat me sanè mundus in exigua æstimatione, ut assimiler tibi, Deus ac Dominus meus: aversetur me ille, ut tu me ames: abjiciat me, ut tu me recipias: tractet me sic, ut si me non trahat amor tui, saltem persecutio mundi cogat te quærere.

Derelicto Christo cor nostrum offerendum.

IV. Bone Jesu, vita & spes animæ meæ! quia te mundus à se tam ignominiosè repellit, veni ad me: ego te recipiam, te amplectar: moriar pro te: recognoscam te pro Deo meo, ac Domino meo. Dicat sanè mundus de te, quidquid vult, ô Deus animæ meæ! tractet te secus, quàm mereris: ego te adoro, vera vita animæ meæ: adoro te, summa veritas: adoro te thesaurum æternorum bonorum: adoro te, verum socium & amatorem animarum: te positum inter latrones agnosco, & vereor pro Deo meo: & quando te cum homicida permutant, ego te confiteor datorem vitæ æternæ. Adoro amorem, qui te ad hæc extrema pertraxit; ac desidero me eodem videre accensum, consumptum ac transformatum.

V. O Deus meus, ô misericordia infinita! quantum habes curandum in mea improbitate! quando me considero, Deus meus! & video, quid sis passus pro me, sic erubesco, ut optem abscondi intra viscera terræ; quia hoc, & majora sum promeritus; cùm Judæorum culpam longè anteeam. Illi te permutârunt cum homine, quem tu salvare cupiebas, & pro quo patiebaris; & hoc fecerunt ex odio & invidiâ contra te: sed ego, Deus meus! te sæpius, non ex passione, sed voluptatis causâ; non ex odio, sed ex bruta

Quam peccator turpiùs commutat, quàm Judæi.

ex bruta affectione cordis, & ex infelici cupiditate permutavi te cum rebus indignis. Deserui te, Deus animæ meæ, pro vanitate, pro rebus lege tua sanctissima mihi prohibitis, pro pudendis & abominandis peccatis. Tu, ô thesaurus animæ meæ! offerebas mihi per sanctas inspirationes pulchritudinem tuam, & infinitam bonitatem tuam huic miserabili cordi; & ego infelix malui vilem delectationem oblatam à creaturis, quàm te ô pulchritudo divina!

VI. O Deus ac Dominus meus, pro quàm vilibus rebus ego te sprevi? quoties in meipso peremi tuum divinum Spiritum, faciendo quæ diabolus voluit? cúmque tu velles vivere, & regnare in corde meo; ego malui vivere in eo peccata, quæ commisi contra te, summum bonum meum? quomodo, Deus animæ meæ! oculi mei non solvuntur in ardentes lacrimas? quomodo audeo stare coram te, mi bone Jesu? quomodo possum levare oculos ad te, qui tam perversè & impiè te permutavi? Ignosce mihi, Domine totius miserationis; ignosce mea magna delicta. O qui te nunquam perdidisset, ac pepulisset ex anima sua! Te veram vitam meam commutavi cum morte: te veram sapientiam cum ignorantia hujus mundi; te veram lucem dimisi pro densissimis tenebris; restiti tibi, ut benefacerem carni; sprevi te, & pro te locum dedi omnibus malis. Te, Deus meus, abegi, & substitui diabolum & opera ejus. O piissime Domine! misericordia, quæ te compulit tanta pati pro me, te moveat ut compatiaris meæ miseriæ. Hîc, Domine, me ad pedes tuos abjicio; hîc abrenuntio omnibus, quæ contra te dilexi; fac tu, Deus meus, ut ista voluntas perfecta sit. Intra, bone Jesu! in hanc animam quæ tua est; occupa, gloria mea, locum tuum; vive & regna in eo, quia tu es supremus Rex ejus. Abhorream, Deus meus, ab hac hora, quidquid hucusque dilexi, & tu solus ameris à me. Cessent jam, Domine, mea peccata per infinitam misericordiam tuam. Fecisti me, Deus meus, ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Nescio quid mihi prosit vivere, si te iterum sim fugaturus à me. Recipe me, Domine: cura me, Domine; sana me, Domine; depelle ab hac anima inimicos tuos, quia creâsti

Amorosum animæ desiderium.

eam pro tuo habitaculo; possidetotam: fac in ea & ex ea, quidquid vis, nunc & semper: satis fac de me voluntati tuæ. Castiga, exerce, onera me; dummodo possideas me, & tu solus locum habeas in isto corde: quia me non tantùm creâsti, sed etiam pretioso sanguine tuo redemisti.

Affectus Domini peccatori postpositi,

VII. Quando conjicio, Deus meus, oculos in te, & in magnum amorem, quem erga me geris, desidero accendi ac solvi in ignem puri amoris tui. Sed tu, Deus animæ meæ! quid sensisti in corde tuo inflammato, cùm audires homicidam vitâ donari, te verò deposci ad mortem? quid sensit amor tuus divinus, cùm te videres comparari latronibus? utique jucunda tibi fuit hæc hora, & planè ad votum. Nam dum prædicares Judæis, manducabas & agebas cum peccatoribus, & Pharisæi te cum veritate nominabant amicum publicanorum & peccatorum: & quia semper eos defendebas, dicendo, te propter illos venisse; jam te inter illos poscunt ad necem, ipsis vitam exorantes: cúmque habeas eos penes te in cruce, potes eis dare paradisum: quàm tibi gratum id acciderit, videre tibi associatos, ac tecum permutatos, quos quærebas? Talis es tu, Deus meus: talis est amor tuus, ac voluptas, ut vivant omnes, & tu neci tradaris; ut omnes liberentur, tu condemneris. Ergo Deus animæ meæ, si hæc est hora tua, sit & mea: per hunc amorem, quo das vitam pro hac anima, rogo, mihi des amorem tuum, societatem tecum, & conversationem internam. Totum cupio: tu solus es totum quod cupio: te ero contentus. Da mihi, Domine, hoc, quod amor tuus pro me petit à te.

Cui nondum nato benefecit.

VIII. Priùs quàm ego nascerer, quàm te novissem, quàm possem aliquid à te petere, tuus amor coëgit te dare mihi vitam tuam, sanguinem tuum, honorem tuum, divinitatem tuam, & omnia, quæ habebas, ad offerendum pro me, & ad utilitatem meam. Jam ego, Domine, te per misericordiam tuam agnosco pro summo bono, & vero Deo meo: jam per bonitatem tuam te desidero, & invoco altâ voce: quomodo poteris mihi negare, quod peto? non peto à te, Deus meus, aliquid spectans ad corpus & vitam humanam: teipsum, bone Jesu, à te peto, ut des totum huic animæ,

quo

quo tu nihil magis desideras. Jam, Domine, impenderis pro peccatoribus, jam ad mortem peteris pro illis, jam es in mea societate; ac scio, quanto id animi tui gaudio fiat. Veni ergo in hanc domum peccatricem, quia quà talis est tua, & tu velut Salvator peccatorum es meus. O pulchritudo mea, recordare quòd ingressus domum Zachæi peccatoris dixeris: *Hodie salus huic domui facta est.* Intra igitur, salus plagarum mearum, in hanc domum: intra, vita occidionis meæ, in cor hoc scatens peccatis: ne moreris, quia sub ingressum tuum restituar totus. O mea vera lætitia! sic intra, ut non ampliùs recedas ab hac anima, nec tædio afficiaris ab ea. Vide, Domine mi, quàm destructa & vastata sit: vide, quàm remota à fructu ferendo, quem in ea plantâsti. Fac, ô Salvator meus! officium tuum. Purga eam, illumina, restaura, inflamma, consume, renova totam. Concede mihi, Domine, ut ab hac hora nolim alium possessorem hujus animæ, quàm te: nec tu locum des ulli alteri rei, quæ oculis tuis non placeat. Tracta me, sicut vis, & fac ut nihil aliud velim, ô dulcis, ô pie, ô suavis, ô mi Jesu!

Luc. c 19. v. 9.

Mater Dei, Domina mea, & gloria generis humani! quæ plus habes de hoc Domino, quàm omnes aliæ creaturæ; & quæ sola meliùs intelligis, quanta sint damna ejus, qui ipsum non habet, quique eum amittit; cùm sis advocata peccatorum, ac dideris à benedictissimo filio tuo misereri illorum; juva me, ut sim in societate illius. Consigna & offer me illi: impetra mihi amorem ejus, qui me semper teneat unitum ei perfecta imitatione, & subjectione totius cordis sub voluntate ipsius, & ne unquam ab eo sejungar. O beati Angeli, & glorioſi cives cæli, qui per experientiam novistis mutationes, quas amor hujus Domini facere potest in peccatoribus, & quomodo illos purget ac glorioſos efficiat, miseremini hujus omnium maximi: impetrate mihi ab eo, ut nunc incipiant in me istæ mutationes, & ut me totum transformet in se, totum comburat, totum me mutet, ac totum sine resistentia omni possideat. Amen.

B. Virgo pluribus bonis à Filio cumulata est quàm cetera creatura.

ÆRVMNA XXXVIII.

Flagellatio Domini.

I.

Infelix status peccatoris,

PIlatus cognitâ Innocentiâ Christi, & quòd per meram invidiam accusaretur, urgebat eum, ut se defenderet, non capiens inauditam ejus patientiam, simúlque desiderans, ut ipse suam intentionem ejus liberandi saltem aliquo verbo juvaret. Christus autem tantò minùs locutus est, quantò ampliùs ipsa pro se manifesta innocentia loquebatur. De qua quidquid Judæis diceret Præses, nihil aliud ab eis audivit, præter insanas voces illum ad crucem deposcentium. Periculosissimus est hic status, cùm eò prolapsus est homo, ut in malo proposito, sive ex passione, sive ex odio, sive ex gustu peccati perseveret, nulla ratione, justitiâ, lege aut veritate eum retinente, suam perversam voluntatem habens pro lege: quo nihil in hac vita deterius inveneris, verissimam similitudinem cum statu inferni. Usque adeò verò fuerant obfirmati Judæi in suo nefario proposito, ut ipse quoque diabolus, à quo id hauserant, non posset eos ampliùs ab illo dimovere. Hic enim visâ Domini innocentiâ, & patientiâ plusquam humanâ, cœpit metuere, ne forsan hâc ejus nece suis rebus officiat, fortiùs, quàm unquam antea; suspicando, ne verè sit filius Dei, dudum promissus ad destruendam suam potentiam. Ideo in somnis conterruit uxorem Pilati, ut eum à morte Christo inferendâ averteret, quòd multa propter eum nocte perpessa sit. Verùm obstinatio Judæorum conatui dæmonis & Pilati prævaluit: ut semper verum sit, hominem non habere majorem hostem, propria voluntate.

Ut Pilatus Christum à morte liberet,

II. Videns Pilatus nihil aliud se efficere, quàm ut magis insaniant, statuit Christum flagellare propter ea, de quibus accusabatur, ut sic mitigata rabie inimicorum, illum à morte eriperet. Mira justitia, innocentem ut liberes à morte, carnificinæ flagrorum objicere: nulla lege alia, quàm satisfaciendi odio inimicorum. Qui quidem non ægrè tulerunt hanc moram;

quòd

quòd interim tempus haberent consultandi, quomodo etiam crucem extorquerent à Judice. Introductum ergo Dominum in atrium Pilati solutis manibus, à tam diuturna & stricta colligatione lividis, intra octavam & nonam matutinam spoliant omni veste, summo ejus pudore: ille nihil repugnans, ac tacitus, carnem suam, & sanguinem sacratissimum, bullientem in diu desideratam effusionem pro nobis, offerebat humillimè Patri æterno pro lytro generis humani. Illi religatum ad columnam, nulla sibi lege, modo vel mensura, ut aliàs fiebat, præscripta, sed prout instigabantur & fortè promissis incitabantur à Judæis, crudelissimè flagellant ac proscindunt, ut à capite ad calcem nihil nisi unam plagam cernerent in toto corpore: & sic à tergo laniatum obvertunt ad nova verba, ut etiam pectore, ventre, lumbis & omnibus membris concisis, magis excoriatus videri posset, quàm flagellatus. Verberum numerus certò non scitur: nonnulli perhibent fuisse ultra quinque millia. *Flagellare jubet.*

III. Dolor istius crudelitatis explicari verbis non potest. Aliquæ sanctæ animæ, quibus dignatus est Dominus ostendere suum corpus, quale fuit post hanc flagellationem, sic affectæ fuerunt illo tristi spectaculo, ut per totam vitam continuo sensu doloris plenæ, amore Domini velut igne quodam perenni deflagrarent. Mihi videtur, sicut apis condit favum plenum cavernis, in quibus non tantùm stipat mel, sed etiam educat pullitiem suam sive melissas: ita Christum Dominum nostrum per flagellationem aperire voluisse suum corpus quasi suavissimum favum mellis, in quo educentur sanguine suo & morentur ejus Filii: atque ita, qui bene nôrunt sentire hoc ejus tormentum, non sunt contenti aspicere totum simul, sed ab una plaga eunt ad alteram, bene considerando singulas; & è singulis hauriunt suavitatem & amorem, quo sustentantur.

IV. Inter hæc Dominus quietus ac placidus, nihil immutavit amabilitatem vultûs, nullam ostendit tristitiam; nec displicentiam eorum, quæ fiebant; non corrugavit frontem, non declinavit ictus, non aperuit os suum; sed quasi nihil sentiret, excepit omnia; sicut Agnus coram tondente se: humillimè paratus *Quanta patientia Dominus.*

ad omnia quasi vile mancipium, sine lamentatione, & querela, quasi convictus de crimine; singulos ictus expectavit, & quod sustinebat in corpore, id animo obtulit Patri pro redemptione generis humani: quod etiam Pater benignè acceptavit velut sacrificium suave pro peccatis. Atque ut hoc supplicium fuit primum, quod eum perfudit pretioso sanguine suo, ita credi non potest, quanto arderet amore in corde suo, dum id fieret. Etenim si non absque continuo & ingenti cruciatu sustinuit ejus baptismi dilationem, facilè intelligitur, quanto gaudio animi exceperit balneum tam ardenter desideratum, toto tempore vitæ. Fuerunt sanè hi meri excessus amoris triumphantis generosissimum animum Christi, & eò deducentis, ut pateretur quidquid illi ipse dictabat.

Caro maximus hostis noster.

V. In hoc speculo Sancti omnes didicerunt, quomodo tractare deberent sua corpora, & subigere spiritui. Quia dum sumus in hac vita, non habet majorem hostem anima, quàm carnem suam. Hæc enim ægerrimè patitur frenum & jugum, sequitur suas inclinationes terrenas, & sensibus eas concitantibus, tanta cum furia fertur in id, quod appetit, ut sæpius decipiat, ac dejiciat spiritum; ac ei sola plus faceſſit negotii, quàm simul omnes alii inimici. Sensit hoc Apostolus, qui post tantas gratias & favores Dei, gravissimè queritur de rebellione sui corporis, cùm ait: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Atque ut Sancti nihil magis curant, quàm subjici legi Dei, & sanctissimæ suæ voluntati; ita nihil est eis gravius, quàm sentire in se contradictionem carnis. Ideo semper sunt malè contenti, cum odio inclinationum corporis, ac perpetuo bello cum corpore suo. Unde Paulus, licet in gratia Dei confirmatus esset, ut reliqui Apostoli, castigabat tamen corpus suum, & in servitutem redigebat, ne fortè, cùm aliis prædicaverit, ipse reprobus fieret. Quòd si Sancti tanto odio persequebantur suam carnem, ne per illam damnarentur, quid fiet his, qui omni studio illi obsequuntur per omnia? Sanctus Rex David per modicam incuriam oculorum, in aspiciendа muliere aliena, cùm nihil timeret periculi, ruit in adulterium & homi-

ad Rom. cap 7. v. 23. & 24.

Prostravit Davidem & Salomonem,

& homicidium. Salomon sapientiâ donatus à Deo præ omnibus, qui eum antecesserunt, dum nihil negat suis sensibus, ad eam servitutem carnis devenit, ut sacrificaret idolis, quæ colebant uxores ejus Gentiles. Si hos neque sanctitas, neque sapientia præservavit à ruina, dum indulserunt sensibus; quid his fiet, quorum tota cura & cogitatio est in procuratione voluptatum corporis? Ideo Christus Dominus noster, in se recipiens pœnas nobis debitas, à capite usque ad calcem voluit flagris omnia sua membra concidi; quia per omnia peccamus, & omnibus blandimur, velut amicis, cùm sint pessimi hostes animæ nostræ: eas verò partes, quæ flagellari non possunt, aliis doloribus affici voluit; ne ulla maneret impunita pro nostris infelicibus oblectationibus.

VI. Hinc germinârunt illæ magnæ pœnitentiæ Sanctorum: disciplinæ genus à solis Christianis usurpatum post adventum Christi: cilicia, catenæ ferreæ, refrenatio sensuum, ne videant, audiant, loquantur, gustent etiam licita; ut subactum corpus inserviat spiritui, nec ejus vera bona impediat. Plurima, maxima sunt horum exempla. Sufficiat hîc illud ex Palladio. Legebant duo aliquid è sacra Scriptura: rogatus alter eorum à socio, quid sentiret de loco, qui lectus erat, petivit eum repeti; quia aspiciens quendam, qui ante eos terram aratro proscindebat, non satis ad lectionem attenderat. Cujus tantillæ oculorum licentiæ hanc à se pœnam exigit, ut ferreo cingulo & collari omnem sibi cælum aspiciendi facultatem adimeret, neque pedem efferret è cella, nisi ad templum: quo in supplicio quadraginta annos exegit. Rogatus quondam à discipulis, cur non aliquando saltem vultum erigeret in cælum, ad laudes & gratias Deo solvendas, respondit, se non ignorare, quàm bonum sit, aspicere cælum, ac Deum laudare in creaturis: sed quia caro & diabolus provocent semper ad malum, se id genus pugnæ inire cum hostibus, ut eos detineat in hac tentatione, cui licet succumberet, nihil obtinerent, se sine culpa remanente, & ipsis absque insigni victoria: si verò ipsis non cedat, majorem ignominiam relaturos, se majore in securitate constituto. Responsum verè dignum animâ tantæ sanctitatis & puritatis. *Quomodo expugnanda.*

VII. Hic est ergo spiritus veræ imitationis Christi, ut non expectetur, donec tentatio pertrahat in peccata, vel peccandi pericula *Peccata, & tentationes*

bus mortificatione præveniendum.

pericula, quorum nos postea pœniteat; sed mortificatione corporis præveniatur malitiæ, quæ viget in eo per peccatum Adami, in quo conceptum est; ne se erigat contrà legem Dei, & animam; ac si hoc tentârit, mox opprimatur, privando illud rebus concessis, ut gemat & acquiescat solis necessariis, non cogitans de prohibitis. Vide sis è contra servos corporis, tanquam tyranni, quàm parcè & malignè præbeant animæ suæ necessaria, ut nullam ejus habeant curam, ut patiantur eam egere in domo sua, cujus per naturam domina est; carnem verò ad serviendum natam, affluere omnibus, quæ desiderat.

Usu Sacramentorum, & oratione.

VIII. Cui verò non tantum est animi, ut ad pœnitentias Sanctorum assurgat, huic suavissimum pariter, & efficacissimum medium suppetit edomandi corporis, occupatio in rebus ad puritatem & nitorem animæ, & unionem cum Deo spectantibus: qualia sunt usurpatio Sacramentorum, & oratio interna: hæc enim corpus ita continent, ut non possit exserere suam nequitiam: nam oratio & sensuum, & cogitationum libertatem restringit, & omnes pravas inclinationes compescit; facítque ut anima ab oratione majore sui cura incedat, & accuratiore vigilantiâ omnibus rebus attendat. Claudat hanc materiam divina quædam observatio sancti Cypriani: Quemadmodum non æstimatur servus, qui est gratiosus, facetus, jucundus, at inutilis; sed qui strenuè & impigrè facit opus, & indefessus est in obsequiis domini: sic etiam corpus nostrum pluris fit, si dimisso otio & voluptatibus multum laboret in obsequio Christi: & quo plus laborat, eò meliùs implet officium suum in hac domo nostræ humanitatis.

EXERCITIVM
De Flagellatione Domini.

I.

ADest hora, mi bone Jesu, quâ laceretur innocens & purissima caro tua, aperiantur venæ, fundatur sanguis tuus pretiosus in meum remedium. Quale cor poterit intueri tam crudelem sententiam contra te, meum unicum & verissimum Bonum? fiat,

si potest,

si potest, commutatio cum mea persona; quia ego sum, qui peccavi. Non servatur justitia tecum, Deus animæ meæ! Pilatus te invenit alienum à culpa, & dicit Judæis, quòd castigare te velit, & emendatum dimittere. Quid emendare in te, puritas infinita? quid castigare, innocentissime agnelle? Te nihil pro te respondente, Pilatus clarissimè agnoscit innocentiam tuam, & tantùm ad satisfaciendum odio inimicorum tuorum, vult te castigare. In te solo violantur omnia jura, qui observantissimus fuisti semper omnis legis & justitiæ. Maleficus puniri solet, ut alii caveant, nec sit opus plures punire; & tu, felicitas mea, tantùm puniris, ut satietur ira tuorum inimicorum. Lex, quâ tecum agitur, est sola malitia, invidia & odium Pharisæorum; & pro medio te liberandi à morte, adhibetur dira flagellatio, ut satisfiat malæ voluntati eorum, qui te accusant, cùm falsa sint omnia, quæ contra te dicunt. Benedictus & laudabilis es in æternum. Deus meus! Laudent te Angeli, cælum & terra, & universæ tuæ creaturæ!

In Christo violantur jura.

II. Sed non fiunt ista fortuitò, Deus meus. Tu sic ordinas, & vis. Ad hanc horam anhelâsti toto tempore vitæ tuæ, desiderans videre te totum conscissum, ut satieris tuo sanguine, ac totus eo perfundaris. Errat Pilatus, hoc faciendo; sed totum quod video, à lege tui amoris procedit. Ardet semper hic amor: desiderat semper, quod urat: & cùm incidit in hanc sacratissimam humanitatem, facit omnia extrema. Lex hujus amoris est, non habere modum, nec certam mensuram, nec formam, nec ordinem justitiæ humanæ: quia vult omnia mero igne consumere, ac te totum insumere in mea obsequia. Parùm curat, an serventur leges, & jure tecum agatur: vult totum accendere sine lege, sine termino, sine ordine debito; ideo facit, ut te totum impendas, quantus quantus es. O amor, si tantum potes in supremo Domino, cur non consumis me? tantùm in me vires non habes? ego te amo, bone Jesu ac desidero totus amore tui consumi. Noli Deus meus, ardere solus hoc igne: accende me quoque; hoc est enim id quod petis: potésque bene consumere totam rubiginem hujus animæ, ac totam in ignem convertere.

Non tenet mensuram in amando nos.

Amore cruciatur,

III. Non voluit amor tuus humaniter ãgi tecum : sine reverentia te spoliant, alligant columnæ, flagellant, fessis succedunt recentes : & licet ubique cum omnibus ipse observaveris leges pietatis, tecum tamen nulla servatur ; & pro quadraginta verberibus lege taxatis, infliguntur tibi supra quinque millia : nec satis est humeros ac tergum obsitum plagis, etiam corporis partem anteriorem, teneriorémque flagris obvertunt, exemplo nondum audito : & ventrem, pectus, totúmque corpus convulnerant ; quasi malè feriatum esset membrum, quod non pro me spargeret sanguinem : ut adeò à capite ad calcem, quasi leprosus, nihil in te sanum haberes. O Vita animæ meæ ! ô thesaurus & abundantia cordis mei ! Terreor, obstupesco, præ admiratione ignoro quid dicam ; sed abjicio me ad tuos sacratissimos pedes, & osculor terram rubentem sanctissimo sanguine. Deflebo hîc mea peccata, propter quæ tractaris his modis : hîc confitebor ; hîc expectabo misericordiam tuam, neque ampliùs ab iis recedam ; sed ab una plaga ibo ad aliam, ut apis in favo solet, dulcedinis tuæ suavitatem gustando in singulis.

suos sanguine nutrit,

IV. Et quandoquidem, ô creator meus, voluisti te exhibere favum ita mihi apertum, & sicut apis inter ejus cavernas educat suos pullos in melle, ut semper afficiatur ad eum : ita etiam tu, cælestis mea dulcedo, vis nos colligere intra has sacratissimas plagas, quibus nutris & educas corda nostra suavitate pretiosi sanguinis tui : ibi nos foves amore materno : ibi tanquam verus pater nos ditas omnibus bonis : ibi nos ad incrementa perducis justæ magnitudinis internæ, ut per te, & in te semper vivamus, & similes tibi fiamus, ad te, unicum nostrum bonum, currentes. Jam non ampliùs possum dicere cum Davide, passeres invenisse sibi domum, & turtures nidum, ubi ponant pullos suos ; me autem non habere. Neque tecum, vulpes habere foveas, & volucres cæli nidos, me autem non ; quia tu, petra suavissima, gratissimum refugium quærentium te in tribulatione, aperuisti te totum, ut me intra te colligas ac protegas. O qui nunquam recessisset à te ! ô qui nullum alium locum habuisset pro suâ quiete ! ô qui semper anhelâsset ad has plagas, ac toto corde se immersisset in illas !

V. Vita

V. Vita animæ meæ, spes cordis mei, salus æterna infeli- *sibi crudelis, nobis indulgens.*
cium & continuarum plagarum mearum! quare, mi Jesu ac dulcis amor animæ meæ! tam crudelis es erga teipsum, ac tam lenis erga me? nónne decebat me potiùs flagellari, quàm te? nam ego sum, qui peccavi, non tu, innocentissime Agne. Ego, Domine, te omnibus membris offendi; illis, & sensibus, quos mihi dedisti, servivi malitiæ voluntatis meæ, mundi ac diaboli. O quàm negligens fui hactenus in confitendo, quàm malè hucusque sum usus omnibus rebus! sed tu, Lux & Sapientia infinita, scis, quàm parum esset, si totus aperirer in plagas pœnitentiæ, pro satisfactione & cura plagarum, quibus convulneravi hanc miseram animam; scis etiam, quàm fœdæ sint & abominabiles; & tamen ignoscis, blandiris, & alis me miserationibus tuis; ac te, Jesu animæ meæ, exhibes mihi totum dilaniatum flagellis! ô amor, qui semper ardes, & nunquam consumeris, muta totam vitam meam, corpus & animam, in hoc igne ac servitio tuo!

VI. Tu scis, Deus animæ meæ, servis convenire labores; *Corpus anima ser-*
& eos laudari plurimùm, qui sunt patientissimi laborum, & omnis *viat, non*
servitii. Justissimum ergò erit, ut corpus animæ serviat, pluri- *dominetur.*
múmque laboret in auxilium animæ, cujus est servus; donec dignum evadat illi sociari in gloria. Sed ego semper amavi corpus meum, semper ei servivi, semper animam ei subjeci, & propter ipsum te perdidi, ô unicum Bonum meum! & propter gustum ipsius dilapidavi omnia bona, quæ mihi dedisti, tanquam servus improbus, rebellis & proditor. Et tu, innocentissime Agnelle, qui non habes corpus rebelle, sed fidelissimum socium, & obsequentissimum animæ tuæ sacrosanctæ, tractas illud velut inimicum; & quod ego pati debueram, tu sustines, ut mihi parcas. O liberalitas infinita, hîc me totum offero: fac me, Jesu mi, Agne mitissime, participem flagellorum tuorum. Tu es meus Dominus, meus verus amicus, & verus Pater, mihi indulgens & mitis, tibi soli asper & rigidus. Tradis corpus tuum in manus crudelium, & insolentissimæ malitiæ inimicorum tuorum, qui sine clementia sine mensura totum dilacerant sævis ictibus: cùm verò me castigas, tu, benignissime pater, tuis ipse manibus adnumeras,

metiris & appendis pœnas ad mensuram virium mearum; & insuper addis auxilium, ut possim sufferre, compatiendo meis doloribus, ac tenero tuo corde amorisque plenâ voluntate moderando flagella. Quid ergò, Deus ac Dominus meus, possum conqueri? verè malè mihi est, quando queror: pejus etiam, quando castigationem non accipio de manu tuâ: pessimè verò, quando ut serviam propriæ voluntati, gustui & vanitati, leviſſima quæque, amore & gratiâ tui perferenda, reputo magna & intolerabilia. Muta, Domine animæ meæ, hoc totum statim, & in perpetuum, quia me totum in manus tuas consigno. Flagella, castiga, exerce hunc improbum peccatorem: fac in me totum, quod vis: trahe me semper subditum tuæ manui, & alligatum tuæ providentiæ. Non permittas, ut desiderem aliud, quàm pati pro te: & quàm diu hoc mihi non sapit ac dulce est, non cesses, Domine, me castigare; etiamsi caro mea recalcitret: quia tu potes eam ad te convertere.

Sanguine Christi à lepra peccati mundamur,

VII. Adoro te, purissime & sanctissime sanguis. Non surgam à pedibus tuis, Domine, donec me laves hoc sacratissimo liquore. Currat, ô dulcissime JESU, super me: lavet me, ac mundet me totum: quia in eo solo situm est meum remedium. Dicunt calidum sanguinem parvulorum sanare lepram; & de hoc tuo sacratissimo sanguine dicit Apostolus, quòd possit emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. O Agne Dei, qui tollis peccata mundi, purissime & innocentissime, vide hunc leprosum, ulceribus obsitum à capite usque ad calcem, plenum peccatis & scabie imperfectionum: lava me hoc sanguine, qui tam calidus emanat è dulcibus tuis vulneribus. Tu, Domine, dixisti Petro, *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* En igitur, meum caput, meas manus, meam animam, desideria mea, meam voluntatem, meum intellectum, opera mea, affectus & sensus internos, externos: omnia sunt destructa, vastata, & abominabilia; omnia indigent lavacro tuo. Lava me, Domine, virtute hujus sacratissimi sanguinis. Emunda me, ut maneam semper tibi unitus, ô purissime Deus meus; & semper sequar te, ô innocentissime agne. Quia tu es Pastor, Dux & cibus meus.

Ioan. c. 13. v. 8.

O pu-

O purissima & sacratissima Dei Mater, quæ concepisti hoc sacratissimum corpus, ut laniaretur pro me; & nutrivisti purissimo sanguine pectoris tui, ut spargeretur pro me; & plus aliis omnibus de ejus virtute participâsti; miserere pauperis hujus, & ulcerosi peccatoris. Impetra mihi, Domina, intimum sensum dolorum Unigeniti tui, imitationem exemplorum ejus, odium peccatorum meorum, quæ fuerunt ei causa tanti supplicii; & ut me perfectè ipsi dedam, ne in me frustra sint ea, quæ pro me pertulit sua divina majestas.

O Curia cælestis, quæ semper es irrigata his fontibus, & ab his plagis habes omnem pulchritudinem tuam, & ab his a quis vivis omnibus bonis abundas; adjuva hunc pauperculum; ama, lauda, magnifica pro me hunc Dominum; & quia per meam ruditatem id ipse nescio facere, supple tu luce & amore tuo, quo flagras; & impetra mihi ab eo vel unam scintillam, quæ ardeat in isto corde, donec me totum consumat, ac mutet in ipsum. Amen.

Ex illo Beatis vitam hauriunt.

ÆRVMNA XXXIX.

Corona Spinea.

I.

Carnifices, tum ex fatigatione, cùm quòd nihil in toto corpore Domini viderent integrum, cessantes à flagellatione, solverunt eum à columna, undique manantem sanguine, ac dum circuit quærens vestimenta sua, novis doloribus affectum à frigida aura (neque enim statim vestes invenit, petulantia militum eas huc illuc jactante, non sine spurcissimis jocis) obivit locum innocens agnus magna cum mansuetudine, modestia, & patientia, donec repertis vestibus se rursus indueret. Et quamvis ita miserabilem in modum affectus esset, ut crudelissimum quemque ad miserationem posset movere; tamen sic carnifices ursorum instar, & efferatorum luporum velut inescati sanguine, novum, & usque in eam diem inauditum tormenti genus excogitaverunt; ut etiam in illis appareat indoles peccati, semel impudenter, & cum voluptate commissi,

Crudelitas tortorum post flagellationem.

quâ semper solet excitare famem, ac desiderium committendi plura; nec satiatur, licet natura peccando sit fessa; sed appetit semper plura, quàm perficere possit humana conditio. Ut proinde sit unum è majoribus deceptionibus peccantium, quâ satisfaciunt tentationi, ut ab ea se liberent; cùm potiùs eam accendant. Quia, ut Sanctus Gregorius dicit, peccatum, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit; & anima peccando privata gratiâ Dei, perdidit vires ad resistendum, corpus autem minùs aptum est ad reprimendos appetitus, cùm sine freno ruit in voluptatem peccando semel gustatam. Sic infelices hi carnifices plena libertate potiti ad vexandum Christum, perdiderunt omnem sensum compassionis humanæ, ut etiam fessi non satiarentur, infernalium spirituum malitiam imitando, & feritatem brutorum induendo.

Corona spinea.

II. Judæi Christum accusaverant, quòd se regem fecerit, contra decreta Imperatorum. Pilatus id pro nihilo duxit, quod facilè refutandum putaret, si eum ut vile mancipium flagellari curaret, per hoc infamem, & inhabilem factum ad officia etiam infima in republica; ut nulla proinde regni affectati ab illo posset esse suspicio. Nihilominus milites occasione hujus falsi criminis, ut ludicrum populo spectaculum facerent, eum tanquam personatum regem voluerunt exponere ad ludibrium. Denuo igitur exuentes eum, chlamyde coccinea circumdederunt, utique non recente & munda, ne contaminaretur sanguine; sed obsoleta, & fortè calceis purgandis jam deformata, sic tamen, ut ex colore agnosceretur fuisse purpura; & plectentes coronam, aut potiùs pileum, è spinis præduris & magnis, quales oriuntur è cedro, & hodiéque religiosè servantur inter sacras reliquias, posuerunt super caput ejus; imò baculis vel cannis incusserunt & adegerunt, ut spinæ penetrarent usque ad ossa, & ex alia rursum parte exirent, supra oculos & per tempora; quæ autem in nervos impactæ sunt, intraverunt profundè, ut per novos ac multiplices rivos undique defluere sanguis, dolore terribili. Nam vel hoc solo tormento potuisset occidi, nisi divina virtute fuisset servatus ad crucem. Duraverunt autem isti dolores, usque dum exspiraret, spinis continuò facientibus crudele officium suum in pungendo

Inter summos cruciatus Christus

gendo capite, quod in humano corpore tam delicatum est, ut nisi dematur causa, dolere non cesset. Consideret hoc parùm, qui aliquando sensit capitis dolores in morbo, quis fuerit sensus Christi inter alia tormenta, quæ passus est, usque dum emitteret spiritum, sine omni remissione gravissimorum dolorum capitis, & confortatione. Sine dubio, qui bene perpenderit, è sola imaginatione deficiet animo: sed quid est imaginatio ad rem ipsam? *Cruci servatur.*

III. Inter ista Dominus multas lacrimas fundebat pro nostris peccatis, dolendo non tam de spinis, quàm de damnis, quæ proveniunt nobis à rebus terrenis, quibus nos coronamus & superbimus. Currebant hæ lacrimæ pretiosissimæ & miscebantur cum sanguine; unde fiebat unguentum nobilissimum pro nostris plagis internis. Res, quæ attonitum faciat considerantem, quomodo immensa teneritudo Patris æterni sustinuerit videre Unigenitum suum pati tam horribilia, quem infinito amore complectebatur. Sed quemadmodum idem ignis amoris ardebat in Christo patiente, qui in Patre, illum pati jubente; ita tunc magis respiciebat nostra peccata, propter quæ indigebamus hac passione, quàm dolores ac tormenta, quæ patiebatur innocens Agnus. Et quamvis multò minùs fuisset satis pro nostro remedio; non tamen id satis fuisset demonstrando amori, quem erga nos habet. O igitur intolerabilem nostram duritiam, cui necdum sufficiunt hæc omnia, ut eum amemus ex toto, ac deseramus peccata, quæ tantos dolores intulerunt divino Agnello, quæque divino sanguine & lacrimis desiderabat sanare! Neque his contenti crudeles carnifices, pro sceptro seu virga aurea, qualem Reges gestabant, in majus ludibrium Domini, posuerunt arundinem in dextra ejus, ad ostendendam vanitatem regni ipsius: & sic ornato multis modis illuserunt; de quo postea. *Plus dolent illi peccata nostra, quàm spina.* *Arundine illuditur.*

IV. Multæ gravissimæ causæ notantur à sanctis, cur Christus voluerit subire hoc inusitatum genus crudelissimi tormenti. Prima est, quia totam suam naturam corpoream obtulerat ad patiendum pro nobis, & satisfaciendum qualibet ejus parte pro peccatis, quæ patramus membris nostri corporis: caro lacerata est flagris, nervi distendendi in cruce, non debuit caput esse immune, *Lacerantur membra propter peccata membrorum nostrorum.*

mune, quod ut ſedes eſt omnium ſenſuum, & inſtrumentum intellectûs in uſu rationis, conſilii, judicii, approbandi res & improbandi; ſic etiam Dominus voluit pati unum è præcipuis tormentis, quo cruciarentur omnes ſenſus, & elueretur, quidquid illis peccamus. Neſcio, an Chriſtus voluerit ſimul oſtendere nobis, quàm veræ ſpinæ animæ ſint conſilia, judicia, ac decreta contra legem ac doctrinam ſuam. Caput eſt regimen totius hominis, qui cùm transgreditur leges divinas, quò ſecuriùs incedere ſe putat, eò longiùs errat: & quantò meliùs ſibi eſſe exiſtimat, tantò miſeriorem habet animam, & vias ad cælum impeditiores. Quod minatur DEUS per Oſeam: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non invenies.* Non ſunt aliud hæ ſpinæ, quàm difficultates & moleſtiæ, quas viis noſtris perverſis immittunt mala noſtra conſilia: nam hæc reddunt nobis iter ad ſalutem ita difficile & periculoſum, ut ægrè confici poſſit. Declinantes enim ſuave regimen legis atque doctrinæ Domini, in qua omnia conducunt ad quietem animæ, refrigerium Spiritûs, & amorem proximi; neceſſariò incidimus in perturbationem & inquietitudinem animi, res adverſas & pericula conſcientiæ, aliáque incommoda gravia: quæ niſi corrigantur ad normam legis divinæ, demum deducunt ab una ærumna in aliam, à peccatis in peccata, quæ ſuffocant animam. Hæ ſpinæ, quæ oriuntur ex noſtro capite, & ingenio humano ſeparato à DEO, diris modis pungunt Chriſtum. Attendat igitur quiſque ſibi, & videat quantum mali inferat animæ ſuæ.

Oſe. cap. 2. v. 6.

Spinæ peccatorum

V. Sanctus Cyprianus in declaratione ſymboli notat aliam cauſſam hujus tormenti: & eſt iſta, quòd DEUS pro ſua immenſa bonitate voluerit ſpinas, quas Adamo dedit in pœnam ſui peccati, vertere in coronam. Peccatum in Paradiſo fuit in obedientia, cujus quia non ſtatim illum pœnituit, ut imploraret miſericordiam DEI, quem offenderat, in pœnam non tantùm è Paradiſo fuit ejectus, cujus deliciis neſcierat uti, ſine labore obediendo creatori; ſed etiam ipſe cum tota poſteritate coactus tolerare vitam in ſudore vultûs ſui, terram colendo, pro frugibus colligurus ſpinas ac tribulos. Quod experimur omnes in miſerabili

corpore

corpore noſtro, & animâ incarceratâ in illo: neque ſolùm in terra hanc difficultatem, & in bonis temporalibus, ut malignè reſpondeant noſtro labori; ſed multo majorem in perturbatione & rebellione carnis contra ſpiritum; & in tentationibus, per quas inimici animæ noſtræ non ſinunt nos cum perfecto guſtu gaudere fructibus Spiritûs ſancti. Ut ergo Dominus hanc pœnam ſpinarum converteret in majus bonum noſtrum, voluit ipſe coronari ſpinis, ut à ſanctiſſimo capite ſuo traherent valorem ac pretium; neque jam ſolùm eſſent pœna peccati, ſed etiam occaſio & materia meritorum & gloriæ. Verè enim ſuis doloribus ſanctificavit noſtros, ut certi ſimus, ea, quæ pœna & probrum noſtrum fuerant, jam eſſe decora noſtra, & ſecuriorem viam in cœlum. Rebelliones carnis contra ſpiritum, quæ ſervis Dei tantum creant faſtidii, virtute paſſionis Domini ſunt illis occaſio pugnæ, victoriæ, meritorum, coronæ & gloriæ. Et ſi ſunt occaſio lapſuum, hoc ipſo juſtior eſt cauſa reſiſtendi, & glorioſior victoria; ſi anima, cùm poſſet moleſtiam pugnæ redimere conſenſu, maluerit amore Dei, & mandatorum ejus generosè pugnare, liberè abſtinens oblatâ voluptate: quod cùm Deus magni faciat, remuneratur glorià æternâ; non facturus, ſi tentationes hæ forent mera ſupplicia. Nemo enim remuneratur ſuſtinentem promeritas pœnas. Sed Deus cum hoc exilium (ad quod ſumus in Adamo damnati) vellet facere palæſtram pro obtinenda corona cæleſti, voluit etiam certamen eſſe glorioſum, quo multum promereamur, abolito pudore ſupplicii; & eidem pretium addidit à ſua perſona, ut plus paſſus, plus etiam honoris conſequatur & præmii. Quod ſi non ita eſſet, remiſſio per baptiſmum peccato originali, etiam remiſiſſet pœnam: quam irrogari poſt culpam perfectè condonatam, non ſatis conſonaret juſtitiæ: & Chriſtus, qui ſine omni peccato eſt natus, fuiſſet immunis à miſeriis noſtris; quas ita ſubiit, ut eâdem quaſi monetâ, quâ ſatisfecit ipſe pro noſtro debito, emeremus nobis ipſi regnum cæleſte. Nec major felicitas & gratia nobis in tanta pauperie noſtra poteſt obvenire, quàm ſi plurimum ejus monetæ, hoc eſt, tribulationum de manu Dei conſequamur, ad augendos in cælo theſauros: quod totum eſt beneficium coronæ ſpineæ & paſſionis Domini.

Per merita ſancta fiunt corona gloriæ.

Ne sub spinoso capite sit membrum delicatum!

VI. Pudeat ergo, ut S. Bernardus ait, sub capite spinis coronato, membrum esse delicatum. Priusquam Dominus noster coronaretur spinis, toto corpore fuit flagris concisus: quia conveniebant capiti tam malè tractato, membra non mitiùs habita: cúmque ille sit caput Ecclesiæ, nos membra; indecens esset ullum è membris delicatè tractari, quando caput est tanta perpessum. Quem verò pudet illum imitari, ejus etiam Christum pudebit, ut eum pro suo membro agnoscat. Sunt animalia, quæ ut caput suum servent illæsum, omnes partes reliqui corporis exponant periculo; quod multò magis conveniebat, ut nos exciperemur spinis; & caput nostrum, Christus, esset immune. Posteaquam verò dignata est sua divina majestas pati pro nobis, quanta foret stultitia, cogitare illum, qui nostrum caput est, spinis coronandum esse, membris autem dandam omnem licentiam indulgendi suis corporibus?

Quale pro suo caput nostrum non agnoscit.

Eritne possibile, ut capiat intellectus humanus, Christum è facie deformata, oculis tumentibus à fletu pro nostris peccatis, genis lividis, capite spinis coronato, agnosci velle pro amantissimo Patre, verissimo Amico, piissimo Redemptore, & exinde cognosci verum, purum, & infinitum amorem cordis sui divini; & tamen pro suo habere eum, qui totâ vitâ suâ nihil cogitat, nisi delicias & favores mundanos, recreationes, libertatem sensuum cum perpetua oblivione animæ, & tam grandium beneficiorum Dei? poterítne mens ulla capere, tam diligentem pastorem animarum dare suis ovibus amplam licentiam, transigendi vitam in voluptatibus & recreationibus? atqui sapientia Christi docet, servum non esse majorem Domino suo. Qui ergo non vult errare gravissimè, suas res instituat ad exemplum spineæ coronæ suæ divinæ Majestatis.

EXERCITIUM
Circa coronam spineam.

I.

Christus Vulneribus

ADoro te, meum verum Regem: adoro te, meum supremum Dominum: adoro te cum his omnibus plagis, quas accepisti

cepiſti ad meas curandas : adoro te nudum & pudibundum ; quia ſic voluiſti tractari, ut me veſtibus & honore circumdares. Satis fuiſſet, Domine, ſanguis, qui profluit ex toto corpore, ſine eo, quem emittis è ſanctiſſimo tuo capite. An fortaſſe, Deus animæ meæ, non poterat mihi prodeſſe tuum caput, niſi torqueretur pro me peculiari, novo, & crudeliſſimo modo? totum vis configi ſpinis, & affici doloribus acerbiſſimis, & manare tot rivis ſanguinis, quot vulnera faciunt ſpinæ. Vis, divine Agnelle, pulcherrimam faciem tuam obduci ſanguine, ut à capite ad calcem videaris unica plaga aperta pro anima mea, & remedio miſeriarum mearum. Adoro te, Deus ac Domine animæ meæ: adoro hunc amorem divinum, quem erga me geris. Infinitas tibi gratias ago pro tot ac tantis miſerationibus tuis, & pro tot ſignis evidentibus amicitiæ tuæ mihi toties datis. Penetra, mi bone Jeſu, cor meum cum his ſpinis : prodeant è ſacratiſſimo tuo capite ardentes à ſanguine & amore, ut hic me inflammet, conſumat, ac totum convertat in ſe. *ſuis noſtra ſanat.*

II. O amor animæ meæ! utinam tandem agnoſcerem, quàm malè impendatur, quidquid non impenditur tibi! Quando veniet illa hora, in qua ex toto corde, & intimo hujus animæ te amem, ô mea perfecta felicitas? & fideliſſimè reſpondeam huic amori tuo, me totum ipſi impendam, & in eo conſumar pro te, mi dulcis Jeſu? Ad quid mihi vita, corpus, anima, & omnis res alia, ſi non ardeant omnia ſemper in tuo amore, & in obſequiis tuis; quia tu ſolus, ô Jeſu animæ meæ, cor iſtud mereris? Talis es tu, Domine, in omni re ſemper ſimilis tibi ipſi; totus amabilis, totus liberalis, totus plenus miſericordiâ, totus impenſus meæ ſaluti. Et ego ſum, qualem vides etiam ſemper ſimilis mihiipſi; in omni re miſerabilis, pauper, tepidus, durus, frigidus in amore tuo, amans meipſum & immemor tui. O benignitas! ô miſericordia! ô liberalitas! ô torrens abundans omni bono & gratiâ, recordare mei, neque me projicias! *Extra ejus ſervitium omnia perdita,*

III. Præcipua pars corporis, Domine, quâ cognoſcimur ac dignoſcimur, caput eſt; in quo facies, omnes ſenſus, inſtrumenta vitæ & converſationis, pulchritudo, deformitas, prima *In illa vita, & ſalus noſtra.*

signa & flos lætitiæ vel tristitiæ, afflictionis vel timoris, sanitatis vel ægritudinis, & omnium affectuum animæ. Hanc tu volùisti, Deus meus, transfigi spinis, & faciem cruentari. Per hanc ô pulcherrime Jesu, suavissime sponse animæ meæ! voluisti cognosci, ac dignosci ab omnibus aliis: per hæc signa voluisti intelligi, quid agatur in corde tuo: amorem, quo ardet: ægritudinem ex desiderio meæ salutis, mei profectus, meæ unionis tecum. In ea vis nos agnoscere, te nulla re delectari, quàm ut beneficiis, & operibus amoris rapiamur ad te. O quantò magis rapit corda, tuo amore tacta, hic sanguis fluens per barbam & genas, & caput spinis diro dolore transfixum, quàm si pretiosissimis gemmis coronatum fulgeret. Divitiæ, coronæ terrenæ dant solùm, quod habent, bona terrena: sed hi tui dolores ac spinæ replent animas suavitate, ac opibus spiritualibus, & adstringunt eas tibi nodis infiniti amoris. O speculum gloriæ, qui te nunquam dimitteret è conspectu! qui semper te sequeretur oculis ac desideriis animæ! Ex isto capite spinis confixo ego vivo, ex eo respiro, ex eo me sustento: in eo solo me intueor: ejus cùm obliviscor, pereo. In eo adoro eum, qui est mea vita, mea gloria, satietas & satisfactio hujus animæ.

Spinas Adami pretiosas reddit,

IV. In terra quæri solent metalla, & lapides pretiosiores, pro coronis Regum: & tu, bone Jesu, nihil inveniisti in ea pretiosius pro tua corona, quàm spinas: ô Rex meus, Rex gloriæ, Rex animarum redemptarum tuo sanguine! nempe me ditare voluisti, dum spinis, re maximè communi & obvia voluisti coronari, ut eis pretium & valorem dares, tactu sacratissimi capitis tui, quæ fuerunt Adamo pro supplicio, & eo quidem justissimo, ut sudoris sui fructum pro pane spinas haberet, ærumnas ac dolores pro deliciis & voluptate. Nunc autem spinas imponis capiti, & omnia in meum bonum convertis; facisque ditiores & glorioſiores fructus spinarum, sudoris & ærumnarum, quàm sint omnia, quæ desiderari possunt in hac vita. Tu, Domine, æstimas meas miserias, & iis te coronas, ut à te pretium acquirant. Quid ergò queri possum, Deus meus, quando me video affligi, cùm te videam coronatum meis ærumnis? ô divine amor! ô charitas æterna! quæ sic ordinâsti in meum bonum, ut pauper esse non possit, qui multas

Ærumnas in divitias vertit.

habet

habet ærumnas, quas fert tui amore! & jam in cælo magnificat, quod priùs horrebatur in terra. Benedictus sis semper Deus animæ meæ!

V. O me miserum! cui necdum sufficiunt hæc omnia, ut cum gaudio aliquid pro te patiar, affligar in hac vita, & sustineam injurias, ut tibi assimiler: sed contristor adversis, cùm ingruunt; horreo, dum durant; lætor cùm abeunt, & cogito mihi esse meliùs, quando me prorsus dimittunt. Quando, Deus meus, mutabis igne tui amoris miseriam hujus abominabilis carnis? vanitates, quas jacto; vilitates, quibus glorior. ô quantùm distant ab eo, quod in te video, Deus meus! superbia existimationis propriæ, delectatio laudis humanæ, fumi rerum hujus mundi, qui me ludificant, quàm me diversum à te faciunt, mi bone Jesu! omnis mea cogitatio versatur in corpore, in sustentanda vanitate, & voluptatibus hujus vitæ, ut perdam fructum tuarum spinarum. O Deus meus, & misericordia infinita, condona mihi meam miserabilem superbiam. Pudet me videre id, quo tu coronaris, nec pudet me facere meam voluntatem, & sequi delectationes corporis. Quando sine contradictione possum facere, quod mihi placet; quando mei appetitus liberè sine freno procedunt; quando à multis honoror, & omnia pro voto succedunt, tum acquiesco, mille vanitates cogitando: tunc me reputo hominem, & evanesco in meis cogitationibus: & tamen verè tunc sum cæcus, nec video, quàm sim fœdus, & miserabilis in oculis tuis. O quando, Domine mi, odio habebo meipsum? quando satis pudebit me mei ante te? nam te spinis coronato, ego illas averfor, & amo vanitates mundi, carnis ac terræ.

Quanam os indigna membra reddam ca- pite nostro.

VI. Quomodo possum, Deus meus, membrum esse hujus capitis pleni spinis, ego in amore deliciarum, libertate carnis, & meis vanitatibus? Averte, Domine mi, oculos meos, ne videant vanitatem hujus vitæ, sed defigantur in te: doce me comparare me tibi, & erubescere. Tu, bone Jesu, qui perfectè cognoscis intima uniuscujusque, aspice me piis oculis tuis, & eradica ex hoc miserabili corde amorem & affectum omnium, quæ tibi non placent, per immensam bonitatem, & misericordiam tuam. Non per-

Cujus membrum esse non meretur nisi eidem similis

mittas, ut probem desideria & appetitus meos; doce me, ut me cognoscam & judicem secundùm te, & condemnem oderímque meipsum, ut mereor. Corona me, dulcissime Jesu, spinis tuis: fac ut verè gloria mea sit coronari spinis, & affligi tecum: quia tecum conjunctus esse non possum, nisi tibi sim similis.

Exequitur propositorii

VII. Confiteor meam miseriam, Jesu animæ meæ, quòd, licet quotidie proponam te sequi, cum desiderio videndi in me, quod adoro in te, & me quotidie offeram in tuas manus; tamen quando venit occasio, monstrandi me fidelem & constantem tui imitatorem, non respondeam propositis, sed me subducam, & captus à meipso, involem in tuas manus, ut eam juxta id, quod miserabilis hæc terra me docet. O spes animæ meæ, & mi bone ac dulcissime Jesu! tu qui solus intueris vanitatem, quæ est in hac anima, suscipe desiderium, quod nunc habeo & fac me similem tibi, & perfectum imitatorem tuum, osorem mei ipsius: & id, quod in me vides istis contrarium, ordina tu, Deus meus, juxta voluntatem tuam: ac licet mea caro sentiat ac resistat, utere mecum, Domine, hâc magnâ misericordiâ, ne sinas eam facere suo modo, etiamsi opus sit violentiâ, ut afflictus humi trahar & rapter: etiamsi gemam, trahe me post te, ne unquam exeant ex hac anima spinæ tuæ, donec addiscam iis me coronare & gloriari. Perfice, Deus meus, opus tuum, licet mea infirmitas id sentiat ac resistat: quia tu es divina fortitudo, quæ potes ac scis corroborare infirmitates nostras.

Spinarum, & crucis fructum comparat.

O sanctissima Dei Mater perfecta imitatrix Domini! quid me fiet, Regina misericordiæ, cùm tu plena sis ærumnis, & unigenitus tuus coronetur spinis, ego autem sim plenus vanitatibus & commoditatibus! adjuva me, Domina, spes mea: impetra mihi lumen ad cognoscendum amorem hujus Domini, ut imiter eum; & odium mei ipsius, & omnium, quæ ab illo me separant: & voluntatem patiendi adversa, quando volet ea immittere: quia ipsius esse non possum sine spinis & cruce: neque tu me agnosces pro tuo, si alia signa gestauero, & aliâ viâ incessero. Juva, Domina, istum pauperculum, qui ad pedes tuos prostratus petit misericordiam, lumen & gratiam exeundi è suis malis, & amorem,

qui

qui mutet me totum, faciátque verum imitatorem Filii tui, ac servum tuum.

O Incolæ sanctæ ac cælestis civitatis, qui clarè videtis valorem ac pretium spinarum Domini, & egestatem eorum, qui non vivunt, neque gloriantur de illis! miseremini hujus pauperis, peregrini, proscripti à vestra gloria, & qui procùl abest à similitudine Domini. Impetrate mihi unum radium hujus lucis, qui me illuminet, ut semper videam hanc veritatem & adorem; & unam scintillam vestri amoris, ut eam semper amem ac sequar. Amen.

ÆRVMNA XL.

Christus irridetur, & exhibetur spectandus populo.

I.

IESVS *ut fict tuus Rex irridetur.*

IUdæi, ut Christum afficerent omni contemptu, spinis coronatum in purpura cum arundine in manu dextera collocârunt in medio, ut velut Rex fictitius haberetur ludibrio: quæ omnia gravissimum illi dolorem creârunt. Spinæ pũngebant: vestis tametsi purpurea, sua tamen vetustate ac fœditate pudefaciebat: manus ligatæ monstrabant impotentiam; arundo vanitatem & inconstantiam. Virga aurea, quam Reges gestare solebant, levata iram, demissa clementiam indicabat: per arundineum sceptrum Christi voluerunt ostendere, non esse, quod speraretur, vel timeretur ab hoc Rege. Sed alia longè Spiritus sanctus, cujus nutu dirigebantur, per ea docere nos voluit. Nam obsoleta chlamys coccinea significat, nihil tam vile esse in Christo, quo non tegi possimus atque defendi. Si enim quædam solo tactu fimbriæ vestimenti ejus liberata est subitò ab infirmitate diuturna; quantò magis tota chlamys Domini juvabit miseros, confugientes sub umbram illius? Corona licet rigidi & inclementis metalli, multos tamen & magnos ei subjecit, qui inter acerbissima quæque perstiterunt in fide & obsequio sustentati ac sublevati ligatis manibus ejus. Cúmque ipse ut Rex peccatorum & male-

maleficorum sit nobis propositus, certam spem facit, nos futuros cives ipsius in cælo. Denique sceptrum non aliud magis conveniebat ei, de quo scriptum est, arundinem quassatam non confracturum, sed consolidaturum. Nam cùm nos, qui arundine quassatâ sumus infirmiores, ipse teneat sua dexterâ, securi sumus de ejus clementia, quâ supplebit omnem nostrum defectum & inanitatem, nisi nos ejus regimini & obedientiæ subducamus. Hæc omnia docet nos fides, quam Dominus in Ecclesia sua plantavit, & confirmavit his irrisionibus Regiæ suæ potestatis; etsi non sine summis doloribus & injuriis suæ divinæ personæ.

Arundine percutitur

II. Domino in tam contemptibili figura collocato, visum est carnificibus, pro delectamento, convocare totam cohortem, quam conduxerant Judæi pro custodia, ne quis vi tentaret eum eripere: cùm ergo circumsteterissent in orbem, accedentes singuli, flexo genu cum sarcasmo salutârunt eum, dicentes: Ave Rex Judæorum; & arundine de manu ejus acceptâ, percusserunt caput ejus, renovando spinarum dolorem, exspuentes in eum, & alapas adjungentes. Nemo autem assequetur cogitando, quàm contumelioſa dicta jecerit in eum lasciva & impudens gens ista, quos cachinnos, quos gestus indecentes ac inconditos ediderit, habendo Regem gloriæ pro stulto. Multi fuerunt, & unusquisque studuit audacior & ingeniosior esse in excitando risu: contumeliæ, punctura spinarum, percussiones capitis, alapæ, sputa sic densata fuerunt, ut difficile sit statuere, an hæc non gravissima fuerit ærumnarum passionis totius. Etenim singulæ tam fuerunt acerbæ, ut in qualibet earum renovatæ fuerint omnes præcedentes, & sic earum quælibet videri possit maxima & præcipua. Atque hoc summam parit admirationem, usque adeò exsiccatos fuisse omnes fontes humanæ & naturalis compassionis & pietatis, ut nullum omninò commoveret spectes Domini tam miserabilis, nisi ad majorem crudelitatem. Sed ita voluit ipse Dominus noster, ut Sathanas per suos ministros effunderet in ipsum omnem iram, & furorem, quem nos merebamur nostris peccatis: sibique reservavit omnem misericordiam, quam negaturus nobis non est, quando eam nuspiam alibi reperimus.

III. Ita

III. Ita spretum est Regnum Domini nostri; ita conculcata ejus regia ac divina persona, tanquam falsi Regis; ita abjectus est ille, cujus gubernatio sustentat cælum ac terram; qui sic ubique majestatem suam abscondit, ut meliùs posset pati pro nobis, & ejus inimici latiorem campum haberent exercendi suas in eum injurias. Quia in Christo, & ejus inimicis pari passu ambulabant amor & odium. Hoc incitavit eos ad excogitandos modos illum vexandi. Amor evisceravit Christum desiderio satis patiendi, & promerendi nobis æterna bona suis tormentis. Sed malitia demum exhausta, perrupit suum furorem, & amor prævaluit, vicitque propriis mediis, quæ ad ejus extinctionem erant inventa: & cum hac victoria semper vivit ac triumphat regnum, quod illi pro falso habuerunt, ipse verò in æternum obtinet pro vero. Dicant, licet impii, quod volunt, & irrideant; verum tamen est, quod dicunt, vocantes eum regem Judæorum. Et sicut fides pro vero accipit sententiam Caiphæ, licet mala mente prolatam, quòd expediat Christum mori pro populo, ne omnes intereant: quod Spiritus sanctus ei suggessit, ille verò protulit ex odio & studio interficiendi Christum: ita eadem fides accipit pro vero, quod hi illudendo dixerunt Christum Regem Judæorum, & pro tali adoraverunt. Nam cum David nos etiam seriâ, & submississimâ cum veneratione dicimus: *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob*, hoc est, omnibus servis tuis. Neque enim divina veritas ideo minor est, quòd ore conscelerato prolata sit.

Majestatem abscondit, ut plura pateretur.

Amore vicit hostilem furorem.

Psal. 43. 5.

IV. Multum est, habere Deum pro Judice, justificante conscientiam: quem enim is approbat, reprobari non potest: contrà, parum juvat approbatio humana, secreto judicio Dei adverso. Servis Dei, qui spernuntur & laborant in mundo, si cùm silentio & patientia studeant assimilari huic divino Regi humiliato, suámque causam Deo committentes ei soli velint placere, æquum est, ut eadem, per quæ deprimuntur, vertantur in media exaltationis eorum: sciant modò se conjicere in brachia Dei & Regis sui, nec tempus nec modum ei præscribentes, quo juventur, contenti sive in hac vita fiat, sive potiùs in altera; in omni re sinendo se gubernari à Deo, securi de ejus bonitate, quâ succurret, quando eis utilius,

Salvat, quos mundus condemnat.

lius, & ipsi glorioſius erit: neque interim deerit eis auxilio ſuo, ut amore ſui poſſint omnia ſuſtinere. Non ergo fidant ſibi ipſis, neque Deo diffidant.

ECCE HOMO.

I.

Pilatus eum populo proponit, ut ad miſericordiam moveat.

NEque hîc finis injuriarum. Pilatus abruptâ militum inſolentiâ, Chriſtum ad ſe vocatum, ac tam crudeliter habitum conſpicatus, cohorruit primùm; deinde ratus idipſum ſuo propoſito, eum liberandi, fore idoneum, ſtatuit eum populo ſpectandum exhibere, nihil dubitans tam miſerabili ſpecie vel ſaxa commovenda ad miſericordiam: ideo dixit: *Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoſcatis, quia nullam invenio in eo cauſam*: & eo jam producto cum ſpinea corona & purpureo veſtimento, ait: *Ecce homo.* Videte, an hic talis regnum poſſit affectare, an ſeditionem concitare: quis enim ab eo poterit deludi? quis aliquid ab eo timere, vel ſperare? ſed & pro his, de quibus accuſatur, quæ major exigi pœna? Quæ tametſi bono, ut apparet, animo dicta eſſent, nihilominus Chriſto magnæ confuſionis cauſa fuerunt, ſic proponi populo, in quo & inimici ejus fuerunt, & amici forſan etiam, præſertim ſanctiſſima Mater, à qua credibile eſt, eum nunc primò conſpectum; quanto ejus & Filii propter ipſam dolore, quis dicat? diſſimulabat eam tamen, oculis conſuetâ modeſtiâ demiſſis, imperturbata ſerenitate vultûs, admirabili cum patientia & manſuetudine. Quæ omnia confirmabant Pilatum in perſuaſione ejus innocentiæ, ut etiam infenſiſſimum quemque ad pietatem flecti poſſe cenſeret.

Ioan. 19. 4.

II. Habent hîc animæ, in quo ſe occupent, & unde hauriant magna bona. Quidam huc referunt illa Cantici: *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Quia Synagoga, è qua natus eſt, has ei ſpinas impoſuit; ipſe verò immemor crudelitatis, quâ erga ſe uſa eſt, contentus qualicunque coronâ cum lætitia ſui cordis celebravit hunc diem, quo patiendo & moriendo ſibi emit ſanguine ſuo animas, ac deſponſavit unione chari-

Cant. 3. 11.

charitatis perpetuæ; dotans eas regno æterno, & apertis thesauris divitiarum suarum, celebravit hoc nuptiale Festum, omnibus sine discrimine & mensura offerens è suis bonis, quantum quisque vellet. Intuentes hunc sponsum animæ, captæ ejus amore, inveniunt quidquid desiderare possunt in hac vita, quæ nec lingua dicere, neque oculus videre, neque mens concipere, sed solus amor potest sentire ex parte.

III. Alii præclaros sensus inveniunt in his verbis: Ecce homo: quæ licet Pilatus protulerit animo Dominum liberandi à morte; pii tamen accipiunt ea, velut ex ore Patris æterni, qui exhibens humano generi Unigenitum suum ita exceptum pro nobis, dicat: Ecce homo, de quo dixeram: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Ecce, in hoc tibi do Patrem, Amicum, Socium, Pastorem, Pascua, Viam, Veritatem & Vitam: quidquid habeo, hoc tu potes sperare. Ideo tibi remittam, te recipiam, te donabo gloriâ meâ. Dilata homo, cor tuum: noli esse parcus, qui tibi dat hunc hominem, filium suum, quid poterit tibi negare? *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Aspice, ô peccator! hunc hominem, & da mihi rationem, cur me non ames, non mihi servias, & quo te excuses, ne damneris? Par esset, ut tu creatura mea incipias amare me, & obliges me ad amandum te: sed quia incuriam tuam vides, aspice hunc hominem, & diligenter considera, quid amore tui fecerim, ut lucrarer te. Non pereas, peccator, cum tali Redemptore, quem tibi do: amplectere illum, juxta illum tua institue, & quoties libet, mihi eum offer pro te, cum amore & fide: propter illum nihil tibi negabo, quod necessarium erit.

In quem ego semper bis aeternus Pater Filium dilexit Matth. 17. 5.

Rom. 8. 32.

IV. Accipiunt eadem verba, velut ab ipso Christo dicente: *Ecce homo.* Aspice me, & vide, quid velis: dilata desideria tua, quia pro te sum apertus, & affluo lachrimis. Tua sunt ista tormenta: tuus hic sanguis; tua hæc persona, & hæc vita. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.* Intra per has plagas, & collige tibi bona, quæ reperies in isto corde. Conspice te in hoc speculo: agnosce malitiam tuam, & videbis,

Ioann. 19. 5. Matth. 11. 28.

bis, quos mihi dolores attulerit, & allatura sit tibi. Jam non potes dicere in ulla necessitate tua: *Hominem non habeo.* Ecce me! non me fugias. Quid potui facere pro te, quod non fecerim? Si vis ampliùs, pete, faciam, etiamsi non me velis in cruce: considera me à capite usque ad calcem, & videbis, quòd totus sim tuus, occupatus tuo servitio. Quid habes magis tuum quàm me? Quis meliùs veritatem te docet? quis magis amat? quis plus tibi servivit? in quo certiorem habes amicitiam? cur igitur me aspernaris, & dimittis meam suavem conversationem propter tuas voluptates & peccata? ô homo, jam hîc me habes: cave ne perdas me ac te; quia nusquam alibi reperies, quidquid necessarium tibi erit, nisi in me.

Ioan. 5. 7.

IESVS cupit esse noster.

V. Potest etiam quis hæc verba dicere Christo de seipso; Ecce homo, ecce peccator, pro quo hæc pateris. Ecce homo, qui nihil servat eorum, quæ tibi promittit. *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua:* ideo sum tam miserabilis in tuo conspectu, sicut vides. Et sic licebit his verbis uti coram Domino, se accusando, offerendo, devovendo in ejus amorem & obsequia. Multum enim valet apud Deum bonum desiderium continuatum, & sæpius repetitum: & expedit consuescere, ut, quoties Deo te sistis, valde humilieris, & confundaris in ejus præsentia, & quidquid consideraveris, convertas in humiliationem propriam: quæ est via securior ad meliorem cognitionem Dei, & accipiendam gratiam, quæ fuerit necessaria.

Psal. 51. 9.

EXERCITIUM
De Regno Christi.
I.

Silentium Domini inter opprobria.

OMnis igitur humana pietas erga te, mi bone Jesu, exaruit? quæ res, etiam rationis expers non tangitur compassione; si videat aliquem laceratum sicut te? tibi soli induruerunt humana viscera: non verentur conspuere sanctissimam faciem tuam, percutere genas, ludificari te pro stulto, & ut fictitium Regem armare te cannâ & purpurâ; per sarcasmum adorare te, clamore, saltu, gestibus deridentes, & eâdem arundine percutientes caput spinis

spinis confixum. Convocant omnes ad vexandum te, DEUS meus; & tu siles, quasi esses lumbricus: absque resistentiâ nihil respondes, sed ardes amore ac desiderio patiendi pro me; nec ullus est, qui condoleat tibi, ô amor animæ meæ, ô vita vitæ meæ! O Jesu! quando cessabunt injuriæ? quando saturabuntur hi contumeliis; & tu, bonum animæ meæ, doloribus quando saturabere?

II. Ego, mi bone JESU! te adoro, te laudo, te glorifico, & infinitas tibi gratias ago, pro omni amore, quem mihi ostendis; pro omni dolore, quem pateris. Dicant & faciant, quod volunt hi, qui facere non possunt, ne sis verus Rex cæli & terræ. Iisdem verbis, quibus te irrident, ego te adoro; quia firmiter credo, quod ipsi derident: Ave Rex Judæorum! Ave Rex cæli & terræ! Ave Rex animarum! Tu es Deus meus, Dominus meus, Rex meus, qui das veram salutem. Tibi soli, Domine, verè convenit hoc nomen Regis: quia tu solus regis legibus perfectæ justitiæ, quæ convertunt animas; & gubernas cum pace, cum amore, cum divina sapientia. O si adveniret mihi regnum tuum! si regnares in anima mea, Deus meus! dicerem cum Propheta: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ me collocavit,* Ps. 22. v. 2 alens cibo cælesti. Aquâ vitali ac dulcissimâ reficit me, quæ *animam meam convertit, ac ducit me super semitas justitiæ, propter bonitatem & sanctum nomen suum.* Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, sceptrum tuum, quo regor, & baculus tuus, quo nitor, & cum amore castigor, consolantur me. Parata est mihi mensa in domo tua, è qua vivo, & robur accipio contra omnes ærumnas. Impinguas me oleo copiosæ gratiæ tuæ, & inebrias me vino suavitatis & Charitatis, quod spiritus mihi facit, & erigit animum meum: & misericordia tua per omnem vitam comitatur ac sequitur me: quò fit, ut habitare velim semper in domo tua, & vivere in obsequiis tuis: non cupio alium Regem, aut alium Dominum: sed unum te volo, quantumvis despectum, præ omnibus Regibus terræ cum gloria sua.

III. Sed, ô mi Rex ac Domine! tuum est, non minùs recipere cum misericordia eos, qui cum pœnitentia revertuntur ad te, quàm ex justitia punire illos, qui sua peccata non agnoscunt. *Detestatio mali, impensa vitæ*

Ego, Deus meus, agnosco mea; & ad tuos pedes prostratus, committo me tuæ clementiæ, confitendo me nequiorem servum, digniorem plagis, & indigniorem gratiâ tuâ, quàm sit vel fuerit ullus è filiis Adæ: quia infinities te deserui, & me subduxi tuo servitio, ac tanquam perfidus alios dominos animæ meæ admisi, superbiam, vanitatem, amorem proprium, delectationes terrenas: & quotquot peccata feci, tot regibus, imò tyrannis me subjeci, leges eorum sequendo, tuâ contemptâ. Amisi te supremum Dominum: deserui te, amor animæ meæ: tergum tibi obverti, dulcissime Jesu, & cucurri post illos. Hucusque possederunt cor meum, & per consuetudinem, quâ sunt usi, conantur semper regnare in illo. Illi me detinent procul à te, Vita mea, & faciunt, ut gravis videatur mihi lex tua, cui hactenus cum desiderio, voluptate, cogitatione servivi pro viribus, tempus & vitam illi impendens, prout mihi dabat gratia tua. Sed illi me induxerunt in hanc pauperiem, in qua me vides, Domine! illi me turbârunt, everterunt, spoliaverunt, excæcârunt, exuerunt omnibus bonis. Et quod magis doleo, Dominus meus ac Deus meus! est consuetudo parendi nutibus illorum, & importunissimæ solicitationi. Licet enim videam illos tendere ad meum interitum; sic tamen ad illos me propensum inveni, ut eos aversari non possim; quin ita mihi occupant animum & memoriam, ut non semper possim eos vincere, sed non rarò succumbam. Ipsi consuetudine sua me obscurant, ut puritatem legis tuæ satis videre non possim: ipsi me refrigerant, ut non impleam illam cum fervore: me premunt, ut grave putem onus tuum, neque tuâ conversatione delecter. O potentissime & piissime Rex animæ meæ! miserere mei, & abige istos tyrannos. Recipe possessionem hujus animæ tuæ, quam ego corrupi. Recupera eam, Deus meus! da legem errantibus, qui desiderant redire in viam. Da mihi legem, Deus meus, & gratiam, ut eam observem.

Regi nostro anima solium est.

IV. O quando videbo me possideri à te solo, qui es verus Rex ac Dominus meus! quando venies ad regnandum in hac anima, ut obediam tibi sine repugnantia? quando odio habebo omnes, qui hactenus regnârunt in ea? Per istas ignominias, per hos

dolores

dolores peto misericordiam, ut solus regnes in me, solus me possideas, solus colaris ut verus Rex ac Dominus animæ meæ. Quis est enim Rex similis tibi? tu es Rex; cujus majestas non absterret, sed attrahit animas. Sceptrum tuum non incutit metum, sed omnes invitat ad te quærendum & amandum. Non sine ratione pro sceptro tibi dant arundinem, licet eam ipsi non intelligant; quia de te scriptum est, quòd arundinem quassatam non confringas, sed potiùs restaures. Nam in tua manu, DEUS meus, ii sanantur, qui extra eam perirent; ac defenduntur, qui extra eam destruerentur: quia tu es Rex simul omnipotens, & amantissimus Pater; & gaudes benefacere his, qui tuæ se dexteræ commiserunt. Neque tu es Rex, quales ceteri, quorum favor apud alios creat invidiam; quia non possunt se multis impertiri, cùm, quod uni tribuunt, aliis decedat. Tu Domine talis non es; quia totum te largiris non omnibus tantùm, sed etiam singulis: *Sic curas unumquemque nostrûm*, ait S. Augustinus, *tanquam solum cures; & sic omnes, tanquam singulos.* Tu non divideris, non minueris: omnibus potes plurimùm favere, & singulos infinitùm diligere: cui tu faves, est humilis & pauper spiritu, mitis, plangit sua delicta, dat eleemosynas, desiderio tui tenetur, ardet amore tui, atque hinc tantò magis cuique faves, quantò magis te amaverit. Nulla est in domo tua nobilitas aut ignobilitas, nulla inæqualitas, nulla personarum acceptio: tam nobilis erit quisque, tam grandis, tam honoratus, tam charus & acceptus tibi, quantùm te amaverit. Ut primùm tibi se conjungit amore, subitò acceptus, magnus & potens est; habet quidquid vult ac desiderat: quia bona tua non minuuntur inter multos dispersa. O si te amarem toto corde, Deus meus! ô si te quærerem totis viribus! complectere me tu, Amor divine; transforma me in te, & trahe me in te, & trahe me ad te. Quia verò jam plus non possum, cum David Propheta tuas laudes cantabo: *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam DEO meo, quamdiu fuero.* Psal 145:2.

Perfectiori modo fuit favet, quàm alii Reges. Conf l.3. c. 11.

Laudo & adoro, DEUS meus, regnum tuum. Illi me subjicio. Te desidero, tibi offero omnia: fac me, quidquid voles. Malo castigari & tribulari in manu tua, quàm foveri à mundo. Recipe me,

Melius est absq; tribulari,

quàm à mundo foveri.

me, Deus meus, per amorem tuum: rege me, protege me, castiga me, solare me, dita me teipso, & amore tuo semper inflamma me.

O Regina Angelorum! quæ plena es gratiâ hujus Domini: reple me gratia ejus. Ad te venio supplex, ut me illi tradas in servum perpetuum, & sua divina Majestas me recipiat pro suo in æternum, nec me ampliùs è manu sua dimittat. O Cives Regni & Palatini hujus veri Regis, qui semper ejus amore capti tenemini; accipite me in societatem captivitatis istius: quid me fiet extra societatem vestram? Ergo juvate me, ut sim servus fidelis ac perpetuus hujus Domini, quem vos videtis, quem vos amatis, quem semper, semper adoratis.

EXERCITIUM
Circa verba, ECCE HOMO.

EXpecta, anima mea, Dominum tuum, quem producunt foras in conspectum omnium, ut eum videas & adores. O Deus meus, Rex ac Dominus animæ meæ, quis te ita tractavit? ô pulchritudo cæli, manibus ligatis, veste ludicrâ, coronâ spineâ in capite undique stillante sanguinem, totus una viva plaga, evulsis capillis, vultu fœdato, cruento, cum canna in manu per ludibrium, ignominiosè produceris in conspectum tuorum & hostium, & amicorum, ipso Pilato eos irridente, quòd talem regni affectati incusent, cùm dicit: Ecce homo. Ecce potentiam ejus, quem vocatis Regem! potéstne talis homo Rex esse? ô mi Salvator! quæ fuit hîc tua confusio, qui cùm ante paucos dies in omnium oculis admirabilis eras propter opera & doctrinam tuam, nunc ab iisdem conspiceris ita crudelem in modum tractatus? quis sensus ac dolor tuus hîc fuit, ô bonum & gloria animæ meæ? gloria mea, felicitas mea, Jesu mi! adoro te, laudo, & glorifico, quantùm possum. Imprime hanc miserabilem & ignominiosam figuram huic duro cordi: emolli illud præsentiâ tuâ, & fac ut sentiat, quod videt in te. Rape me totum in amorem tui; quia mei amore video te tractatum his modis. Captiva, Domine, bonum animæ meæ! hanc animam pulchritudine flammæ, quæ ardet in te sic lacerato & despecto. Procedis tam taciturnus,

Pilatus studet populo falsam de Christo opinionem tollere.

nus, tam humilis, tam modestus, ut ex omni parte prorumpant flammæ divini amoris. Veniant ad me quoque hæ flammæ, Deus meus: urant me, consumant me totum in te, & propter te.

II. O pulcherrime, ô dulcissime, ô ditissime, ô amabilissime, ô suavissime Agnelle! cur ita vis conspici, nisi ut rapias animas ad unionem tui? Ergo, spes mea & vita mea, rape & meam animam, quia tuus amor habet bene, quo monstretur in ea. Hic, ô afflicte, contempte, & convulnerate JESU! me conjicio ad pedes tuos, ac totum offero tibi. Licet non merear, aspice me oculis misericordiæ tuæ: confido, quòd me sis acceptaturus. Propter me sic adstas: propter me spargis hunc sanguinem: propter me totum est, quod in te video. Unico saltem oculi conjectu aspice teipsum, bone JESU, & fac id, quod hic sanguis, hi dolores, hic habitus à te flagitat.

III. Adverte & considera bene, anima mea, quòd Pilatus non intelligat verba, quæ dicit. Verba sunt Patris æterni, per os ejus dicta ad te: Ecce homo, qui non est minùs amicus tuus quàm Filius meus: ut amicus, est tibi similis; ut Filius, à me accepit infinitam substantiam, ac proinde amat te infinito ac divino amore. Hic est Filius meus dilectus, quem tibi do, & quidem in formâ, quâ vides. Quid ampliùs petis à me? quid ampliùs possum pro te facere? accipe eum, audi eum, ama eum, & stude illum imitari. In eo do tibi omnia bona mea: do remedium omnium necessitatum, levamen omnium ærumnarum, solatium omnium miseriarum, solutionem omnium debitorum, mediatorem omnium petitionum, thesaurum omnium, quæ potes desiderare: & quia in ipso reperire potes omnia, quæ habeo, quibus indiges, totum tibi do, & volo esse tuum. Vide, miser homo, quomodo te diligam, quia propter te non parco proprio Filio meo. Vide bene, quantum debeas mihi: neque aliud volo, quàm ut in omnibus ei servias, eum ames & imiteris.

Pater æternus in Filio nobis omnia dat.

IV. Infinitas tibi gratias ago Pater æterne, pro hac infinita charitate, quam mihi ostendis. Scio, Domine, quòd pro his omnibus sis contentus me solo. Sed quis ego sum, ut velis me respicere & implere tantis bonis, cùm semper improbus fuerim,

perfidus & peccator? quia verò infinitus amor tuus donat mihi hunc thesaurum, accipio eum à tua manu paterna: sum eo contentus, & eundem offero tibi pro omnibus malis, quæ reperiuntur in me. Recordare, Pater æterne, quòd olim per Ezechielem sis conquestus: *Te quæsivisse virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra te pro terra, ne dissipares eam; nec inveniisse.* Ecce homo, Domine! ecce virum juxta cor tuum, qui pro nobis accepit hæc vulnera: & quia in eo tibi bene complacuit, aspice eum, & suscipe me per eum & cum eo. Offero illum tibi cum toto suo sanguine, cum tormentis & meritis; cum illo, & in illo tibi me mancipo in perpetuum. Per illum dimittes mihi peccata mea, & corroborabis infirmitatem meam: per illum illuminabis tenebras & ignorantiam meam, sanabis ulcera, accendes tepiditatem meam, & pro tuo me semper habebis. Non frustra sit, Deus meus, pretiosus hic sanguis: quia extra hunc Dominum perii, & in eo solo vivo securus.

Ezech. 22. 30.

V. Etiam Filius Dei, licet ore taceat, sanguine tamen suo, totáque specie suâ miserabili tibi dicit: Ecce homo. Jam non potes, ô anima, dicere cum Paralytico: *Hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam, ut saner;* Ecce me! ego sum homo, ipse factus totus piscina sanguinis, pro tuo remedio sine tuo merito, sine petitione, totum hoc feci pro te: & ulteriùs, etiam in cruce moriar tui amore. Quo vadis, quando non venis ad me? Quid quæris, quando non quæris me? Quid amas, quando non amas me? Quos amicos invenies mei similes? Quis pater, quis frater pro te faciet, quod ego facio? Vide, ut majorem rationem habuerim tuæ salutis, tuæ vitæ, tui commodi, quàm proprii honoris & vitæ. Veni, veni ad me, & ego tibi propitius ero, te complectar, te implebo bonis amoris ac felicitatis æternæ.

Affectuosa invitatio Christi ad se.

Ioan. 5. 7.

VI. O mi bone Jesu, vere amice animæ meæ! qui te semper amâsset! qui nunquam offendisset, nunquam recessisset à te! Talis es tu, & ego sum ille homo, qui te, cùm meus esses, contempsi, à me repuli, nec amorem, nec spem meam in te collocavi, sed in vanitatibus; & amavi, quæ tu odisti. Sed, ô suavissime Jesu!

quomodo

quomodo possum diffidere his visceribus amoris, & huic tantæ misericordiæ? ô supreme Domine, & omne Bonum animæ meæ! ecce hominem, pro quo factus es homo: ecce hunc miserabilem, pro quo tanta passus es: amor, qui te fecit tanta præstare pro me, Domine, nondum est finitus: adhuc ardet in te, ut semper. Ergo Domine Deus animæ meæ, per eum tibi supplico, ut ignoscas mihi errores præteritos, & me facias alium, ac transformes in te. Offero tibi animam, corpus, vires, honorem, vitam, & quidquid accepi à te: mitto quoque in manus tuas mea peccata, meas miserias, meas necessitates. Fac tu in omnibus, & per omnia, quod postulant hæc vulnera tua. Ego sum tam miser, ac cæcus, ut non intelligam, quid mihi expediat; multò minùs id sciam petere. Dic tu, dulcissime JESU! dic tu pro me bona ingentia, quæ mihi promeruisti, & ea, quæ pro me fecisti: nam ego aliud facere non possum, quàm ut me offeram tibi, ac tradam totum tibi, Deus meus, Salvator meus, amor meus, & verissimus amicus!

Hæc omnia nostra offerenda.

O sanctissima DEI Mater! cùm in hac hora videres unicum Filium tuum, velut mansuetum Agnum inter lupos, ita immanibus & crudelibus modis tractatum; viscera tua transfixa fuerunt immensis & acerbissimis doloribus. Per eosdem dolores tuos, & Unigeniti tui rogo, ut nunquam recedant à corde meo hæc viscera tua & filii; & ut me mutes totum in hominem novum, méque recipias in servum illius ac tuum. O Angeli ac cives curiæ cælestis! quos amor hujus Domini, suo sanguine ac meritis ita divites & glorioso effecit, exemptos ab omni nostra miseria, miseremini hujus pauperis exulis, destituti omnibus bonis; & impetrate mihi vestra intercessione, ut ab hac hora in perpetuum servitiis & amore respondeam omnibus, quæ me docet hic Dominus.

Amen.

ÆRVMNA XLI.

Sententia mortis contra Dominum.

I.

Vnum peccatum est causa alterius.

SPeraverat Pilatus nullum fore tam ferum, qui miserando spectaculo Christi non removeretur à proposito nefario ejus perdendi. Sed fefellit eum sua opinio: quia hoc proprium est eorum, qui agunt ex mera malitia, invidia & odio, ut, cùm vident aliquod initium successûs conatuum suorum, nequaquam desistant, sed majoribus animis insistant, usque dum finem suum obtineant. Sic dum Pilatus exhibendo Christum in tam cruenta specie, frangere voluit rabiem ejus inimicorum, accendit magis; cogitantibus illis, tali flagellatione & ignominiâ concessâ, non difficulter obtineri posse & mortem, à qua tam propè abesset. Unde tertiùm inculcatâ illis ejus innocentiâ, clamaverunt omnes pariter insanis vocibus: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum*, nullam rationem admittentes. Quod eorum responsum licet meritò videatur admirabile; si tamen attendamus ad nos ipsos, videbimus nos etiam ex eadem massa corrupta, & eadem natura constare, quæ ad vivum in illis exprimitur. Etenim sæpenumero, qui per pœnitentiam, & alia remedia putet se jam persanâsse aliquod vitium, levi occasione invenit in se de novo tam vivacem inclinationem ad malum, & carnis propensionem ad terrena tam effrenem, ac si nunquam deplorâsset sua peccata. Et hoc illi, qui longo tempore assueverunt alicui vitio, experiuntur quotidie. Licet enim aliquando p... spirationem internam, vel per verbum DEI lectum, auditum, vel adhortatione amicorum evidenti ratione, vel honore ducti sua mala agnoscant ac damnent; tantùm tamen potest apud eos gustus peccati, & phrenesis malæ consuetudinis, ut sine omni remorsu ruant in illud, neque pro labe id habeant; quasi ratio, conscientia, lex divina & humana starent ab illis. Atque ex malitia Judæorum discimus, qualis sit nostra natura, ut meritò timeamus nos ipsos, & soliciti simus de remedio, quod nobis porrigunt exempla Christi.

Ioan. cap. 19. vers. 15.

Quanta mala secum trahat consuetudo peccandi?

II. Per-

II. Pertæsus Pilatus tantæ barbariæ & injustæ contumaciæ, dixit: *Accipite eum vos, & crucifigite; ego enim non invenio in eo causam.* Respondérunt illi: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori; quia Filium DEI se fecit.* Pilatus jam antea certus, quòd ex mera invidia accusarent Christum & valde propensus ad eum absolvendum; & ex altera parte miratus ejus taciturnitatem, modestiam ac patientiam humanâ majorem in tam crudelibus tormentis, confirmatus est in opinione ejus innocentiæ, non tamen ita animatus, ut eum ex odio & invidia Judæorum eriperet. Sed auditâ mentione Filii DEI, aspiciens eum & considerans mansuetudinem, constantiam & robur animi, dubitare cœpit, an non aliquid majus humano lateret in eo, de quo tam multa miranda audierat; ac timuit, ne fortè peccârit ipse in divinam virtutem, dum permisit eum tam sævis exemplis tractari: ingressus prætorium iterum, voluit ampliùs inquirere de ejus persona. O quantum refert, bene cognoscere affectus animæ, quid sperret vel timeat! neque enim res apparent, quales sunt; sed quales fingit affectus bonus aut malus aspicentium. Atque hinc fit ut eadem res bonâ & rectâ intentione fiat virtus, pravâ peccatum. Sic idem opus bonum ab alio censetur hypocrisis, quam alter accipit pro bono exemplo. Idem honor delectat amicum, qui bene vult honorato; urit verò malevolum, qui invidet illi. Sic miracula Christi fuerunt ejus inimicis occasio, ut haberent eum pro malefico, & falso Filio DEI; Pilato verò, ut metueret, ne quid divinum esset in illo, propter quod cogitabat eum liberare.

Ioan. 19. 6. & 7.

Recta intentio operæ nisi a sanctificat.

III. Seorsim igitur interrogavit Christum, undenam esset, à cælóne cum aliquo numine ac virtute divina, an purus homo, à terra. Cùm ad hoc nihil responderet; Pilatus, qui amanter eum tractabat, ac liberare studebat, doluit sibi non responderi: *mihi*, inquit, *non loqueris?* nescis, quia potestatem habeo te crucifigendi, ac dimittendi? cur te mihi non manifestas, cùm non sim è tuis inimicis? Habuit sanè potestatem administrandæ justitiæ; sed miser non administravit. Respondit ergo Dominus: *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset de-*

Ioan. 19. 10.

super. Propterea, qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Si Pilatus habuisset plus luminis, bene poterat ex hoc responso colligere aliquid humano majus esse in Christo; quia non tantùm declaravit, negotium suum dependere à providentia divina & consilio æterno; sed etiam, se esse Judicem, qui cognoscat & expendat cujusque malitiam & peccatum, quod sit majus, quod minus. Habuit profectò magnam occasionem acquirendi majorem notitiam Domini, si dixisset: absit ut velim peccare, ac doleo quod in te peccaverim, exponendo te flagris. Ceterùm nonvoluit Christus responsione sua indicare, eò quòd divinitus ordinatum & permissum sit, ut à Pilato condemnetur ad mortem, peccatum ejus esse minus, quàm Judæorum. Neque enim ex permissione Dei accedit vel decedit pondus peccato, sed tota ejus malitia est à voluntate peccantis; quâ suppositâ Providentia Dei utitur ad majus bonum. Fuit autem Pilati malitia minor, quia Judæorum importunitate in eam se passus est adigi: cùm illi ex mera invidia & odio id fecerint: utrique verò peccaverunt; Deus autem totum in bonum nostrum sapientiâ suâ convertit. Continetur autem in hoc responso Christi fundamentum pacis internæ, & consolationis justorum in mediis ærumnis, quibus probantur: quia firmiter credentes omnia sibi accidere consilio amorosissimo æternæ sapientiæ, non respiciunt ad malitiam hominum, vel dæmonum, per quos illa sibi inferuntur, sed ad amorem divinum, qui omnia dirigit in bonum ipsorum: & sic magno cum amore, submissione & obedientiâ committunt se potenti manui ejus, à quo proveniunt, magna cum quiete & consolatione acquiescendo.

Minùs in Christum peccavit Pilatus, quàm Judæi.

Æquè tamen cognita innocentiâ ob metum injustus esse debuit.

IV. Contentus responso, tametsi non satis intellecto, Pilatus, cùm videret Christum inter tantas acerbitates oculos habere defixos in gubernatione cælesti, statuit, quidquid sit de Filio Dei, saltem talem esse, cui per vim & injuriam imponantur falsa crimina; ac proinde omnino liberandum à morte. Sed Judæi animadvertentes, Pilatum parùm curare, quòd Christus se fecerit Filium Dei, redeunt ad primam accusationem a fectati regni, non sine minis excidendi gratiâ Cæsaris: *Si hunc dimittis,*

ajebant,

ajebant, *non es amicus Cæsaris.* Hic lapis dejecit animum infelicis Pilati. Quia hic est scopulus, ad quem periclitantur omnes aulici, & qui pendent à gratia principum: unde ne per jocum quidem sustinent sibi objici, quo videantur excidere posse illorum gratiâ. Et permittit plerumque Deus, ut per eosdem evertantur, quorum gratiâ nitebantur; quod & Pilato evenit: nam per eosdem Judæos, quorum minis territus deseruit justitiam, ne perderet gratiam Cæsaris, eam postea perdidit. *Ioan. 19. 12.*

V. Ergo sedens in tribunali, producto foras Christo, dixit Judæis per sarcasmum: *Ecce Rex vester.* At illi vociferati: *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum.* Pilatus persistens in irrisione, *Regem*, ait, *vestrum crucifigam?* ad quod illi: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Id quod justo judicio contra seipsos pronunciato experiuntur hodiéque, ut cùm verum Regem suum repudiaverint, vagi supra terram dominis alienis subjaceant, omnibus contemptibiles & abominabiles. Videns Pilatus nihil se proficere, sed potiùs tumultum fieri, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, protestans nolle se reum fieri sanguinis innocentis, sed omnem in illos culpam rejicere. Illi tanquam cæci & insani conclamârunt unanimiter: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Ubi duo quædam videmus, quotidiana quidem, sed à paucis animadversa. Primùm, non minùs futilibus ac pudendis excusationibus nos uti sæpe, ut videamur immunes à culpa, quàm fecerit Pilatus, lotione manuum eluere volens injustam sententiam, quam tulit in Christum. Quoties enim culpam referimus in diabolum, debilitatem carnis, occasionem urgentem, & similia, quam sponte nostra commisimus? Atqui longè diversum erit Judicium Dei de nobis, quorum erat malo resistere. Alterum est, quàm leve & exigui momenti videatur quodlibet malum, dum ejus delectationi tenemur, tam postea grave fieri, quando luendum est: ut adeò verum sit, non esse iniquiorem æstimatorem mali, quo servimus nostræ cupiditati, quàm nosmetipsos: quia sæpe nos imprudentissimè conjicimus in eas miserias, quibus exhauriendis non sufficiunt vires humanæ. Ita leve videbatur Judæis, recipere in se posterós- *Ioan. 19. 14. & 15.* *Matth. 27. 25.* *Non minuitur peccatum etsi in alios culpam rejiciamus.*

posterósque suos sanguinem Filii Dei, sed infelices altissima cæcitate id luunt, & in æterna damnatione sentient amplius.

Quomodo Salvator mortis sententiam acceptárit,

VI. Dimisso igitur Barabbâ in gratiam populi, Pilatus Dominúm tradidit voluntati eorum: voce præconis (ut mos erat) edicens, ex mandato Imperatoris, & legibus Romanorum Jesum Nazarenum, quia Regem Judæorum se facere voluit, condemnatum, ut moriatur in cruce, cum duobus aliis, propter latrocinia damnatis ad idem supplicium. Aliter acceperunt hanc sententiam inimici Domini, aliter amici; illis magno cum jubilo eam laudantibus; istis autem veluti gladio transverberatis. Ipse verò innocentissimus Agnus oculis & corde in cælum elevatis, gravissimo naturæ sensu, ac dolore ob tantam injustitiam percepto, obtulit patri æterno hanc horam pro salute generis humani, ac denuo acceptavit mortem obedientissimè. Totidem in hoc toto actu fuerunt tormenta, quot circumstantiæ, quia quamlibet earum pro meritis expendebat ac sentiebat Christus. Sentiebat ingratitudinem populi summam, quâ respuerunt eum habere pro Rege, subjiciendo se potiùs jugo & exilio perpetuo; cum venerit ipse ad asserendos in perpetuam libertatem: sentiebat insaniam eorum, quâ se cum tota posteritate onerârunt vindictâ sanguinis sui, quem effundebat pro eorum salute: sentiebat mærorem suorum, videntium se injustissimè condemnatum ad mortem. Et per omnes istos fluctus dolorum transire voluit, ut ostenderet, quantum nos amet, vitam impendendo pro nobis, quâ homines nihil charius habent.

Mors IESV vita nostra.

VII. Non sine consideratione & gratitudine prætereundum est, quòd genus mortis non determinaverit ipse Judex, sed illi, pro quibus patiebatur, & à quibus expetebatur ad mortem, Judæorum scilicet, & omnium nostrûm peccata, apud tribunal Dei justitiam, ac proinde crucem Domini postulantia, qui se obligârat ad satisfaciendum pro illis. Ideo dicit Apostolus de his, qui peccant, quòd iterum poscant Filium Dei ad crucem: *Rursum,* ait, *crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Voluit igitur Dominus mortem suam unanimiter peti à populo, nomine omnium peccatorum; ut omnes nos pudeat, eum tam indignè habitum à nobis,

Ad Hebræos 6. v. 6.

& cum

& cum amore omnes vires corporis & animæ, ipsam adeò vitam impendamus ejus obsequiis: & quia mors ejus debuit esse remedium nostræ vitæ, & remissio peccatorum, quibus eam procuravimus; voluit ut ipsum genus mortis esset ad votum nostrum, atque ita certi fieremus, eum, quem ad moriendum habuimus, ut voluimus, etiam ad vota nostra futurum, ut vivamus semper cum illo. Hæc omnia sunt opera infiniti amoris, quem erga nos gerit, & pignora, quòd semper sit daturus, quidquid eum pro salute nostrâ petemus. Quia Dominum, qui nostris malis voluit mederi morte, quâ nos voluimus, certum est nec mortem, nec alias ærumnas immissurum, nisi ut initia vitæ æternæ.

EXERCITIUM
De Sententia Mortis.

I.

QVis habet cor ad audiendam crudelem sententiam mortis contra te, vera Vita animarum, & unica Spes peccatorum? quomodo capiet cor humanum, te sic dilaceratum & vexatum, pro commiseratione, una voce ab omnibus deposci ad mortem, clamando: *Tolle, tolle, crucifige eum?* Eja Pilate, tolle eum ab oculis harum ferarum, quæ non possunt eum videre: & mihi da illum; ego eum excipiam, curabo, adorabo, & serviam ei. Veni ô dulcissime Amor & Salvator meus! veni ad me, qui te desidero, te quæro, te sic vulnerato gaudeo. Intra in hanc animam, & vive in illa; ego verò pro te moriar. Sed ignosce mihi, Redemptor mi; quia sum pejor hâc gente, quæ te non sustinuit videre; quia te non novit, neque credit in te. Ego, qui in te credo, téque adoro pro eo, qui es, quoties nolui te aspicere, cùm offerres te cordi meo, ad visendas meas miserias, quibus oblectabar, & aversabar te! ô quàm fui miser, quoties te non habui ob oculos meos, ut facerem ea, quæ tibi causa mortis fuerunt! muta hoc, obsecro, Domine, ut non ampliùs tollaris à corde meo, sed semper verseris in oculis meis, in desiderio & amore meo: quia si te semper habeam ante me, & oculos interiores defigam in te, salus erit & remedium omnium malorum meorum. Nam in te vera

Ioan. c. 19. v. 15.

Quo magis cognoscimus Christum, eò gravius eum offendimus, quàm Iudæi.

vita animæ meæ, resurget, quidquid in me est mortuum: in te, misericordia æterna, curabuntur meæ miseriæ: in te, summa beatitudo, spem habent ærumnæ hujus exilii mei.

II. O ignis charitatis æternæ, qui semper ardes, & nunquam consumeris! quæ nova est hæc inventio infiniti amoris, quem geris, ut iidem, pro quibus es moriturus, eligant genus mortis, quo te perimant? Jam peccata mea præsentia erant Patri æterno, & in societate perfidorum istorum clamabant, ac postulabant justitiam contra te, qui te fidejussorem obtulisti & solutorem debitorum, quibus ego solvendis non fui. O ardentissime ignis amoris æterni, qui te per omnia subjicis arbitrio Judicum, & media suscipis conformia meæ voluntati, paratus etiam cruce me juvare, & qualibet alia morte crudeli, quâ te placeat nobis afficere: quomodo ergo, tam pronus ad meam voluntatem me non exaudies, quando petiero te amare, ac tibi servire? ô infinite thesaure, respiratio & quies meorum laborum! qui tam liberaliter impendis teipsum, neque aliud quæris, quàm ut te pro meo habeam ac possideam: veni, Domine, veni ad me: intra in hanc pauperem animam, quæ te accipit in perpetuum pro unico & summo bono suo: pro te abdico, & in tuas manus repono omnia mea: habeam te solum, & dives sum satis: tu solus potes mihi satisfacere, mederi, & afferre solatium.

Nil nobis negabit, qui vitam propriam dedit.

III. O fidejussor meus! qui pro me jam satisfeciisti interiùs, & nihilominus ipsa morte pro me solvere vis Patri æterno, tibi me habes obligatum ex justitia: apprehende me, Domine, neque dimitte liberum ab hac obligatione, quâ teneor esse tuus: & quia justitia tuum facit etiam sponte mea; & per amorem volo tuus esse. Unus angulus in domo tua major est felicitas, quàm omnis abundantia terræ: quid dico abundantia? omnia sunt meræ fames & miseriæ, omnia infelicitas, extrà esse tuum. O si me viderem in hac dulci captivitate! ô si me nunquam viderem separatum à te! miserum me, si me subducam à tua præsentia, & obedientia, vel ad unum momentum! Nónne mihi melius foret, non vivere? Tu es creator meus, ego tua creatura: Tu es Redemptor meus, ego mancipium tuum, redemptus à te: tu fidejussor,

Infelix est, & miser, qui non est Domini.

qui

qui solvisti pro me, & ego debitor tuus, ac principaliter obligatus. Tibi me trado, & mancipo in perpetuum.

IV. Audi, anima peccatrix & infelix, quid vox præconis edicat: Pilatum jubere Dominum mori in cruce, quasi malefactorem & falsum Regem inter duos latrones. Cogita, quàm grave debuerit esse sanctissimæ Humanitati, audire tam crudelem sententiam. Considera clamores & plausus inimicorum ejus, cùm viderent se suis votis potiri. Vide, ut festinent ad executionem sententiæ; JESUS autem, velut agnellus, inter hæc omnia taceat, neque parcat suis auribus, quò minùs & ipsæ habeant suum tormentum, dum audiunt ista, quæ in ipsum dicuntur. Quomodo vivo ego Domine animæ meæ, videns ea, quæ video, & audiens ea, quæ audio? Tu ô Rex cæli, sis falsus Rex? Tu fidelissime Redemptor animarum, sis proditor? Tu liberalissime largitor omnium bonorum, sis caput latronum? Tu, qui das vitam æternam, merearis sententiam mortis? Ego sum talis, Deus meus, & vivo; tu moreris, & ego adhuc sustineo vivere & loqui? ô duritia mea! ubi es, comparata huic teneritudini? ubi est mea miseria comparata huic misericordiæ? ubi est mea tepiditas, comparata huic immenso amori? reus vivit, & moritur innocens: moritur Dominus, ut vitam det servo.

V. O bone JESU! ostende mihi cor tuum: sine me videre, quid senseris in eo, quando audivisti hanc diram sententiam: qua mansuetudine, sine verbo, sine resistentia, sine querela; & qua charitate dedideris te totum potestati illorum, quibus necessarius eras, ô amor divine! ô pure amor! cur me non totum consumis in hac hora? cur me non adstringis, me non subjicis huic Domino? adoro te, amor infinite: adoro te, infinita liberalitas: adoro te, verè cor JESU, perfectissimi Salvatoris, sufficientissimi Redemptoris, fidelissimi Amici animæ meæ. Supplico tibi eidem cordi, ut mihi des lucem ad te cognoscendum, amorem ad te amandum, subjectionem ad tibi obediendum, & odium ad detestandum peccata mea, quæ tibi causa fuerunt tantorum dolorum; horrorem meipsius, & ne sit in hac anima alia cogitatio, quàm quomodo tibi

Necesse erat Dominum mori, ut servus viveret.

satisfaciam, & placeam tibi: quandoquidem tu es unicum bonum & gloria mea.

VI. Sed ô Domine mi! qualia sunt hæc verba, quæ scribit S. Lucas Evangelista tuus de Pilato: *Adjudicavit fieri petitionem eorum: dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: JESVM verò tradidit voluntati eorum.* Erga te, Domine animæ meæ, sic ordo invertitur, ut pro ratione sit mala voluntas hostium, & odium pro justitia! & sine culpa, sine omni causa traderis voluntati tuorum inimicorum! non est in mundo major ulla confusio, quàm ubi gubernatio fundatur in sola voluntate unius, & illa est tota ratio eorum, quæ fiunt. Tibi soli id convenit, ô Deus, ac Dominus meus; quia tua voluntas est optima, sapientissima, & plena rationis ac justitiæ: & quod in mundo habetur pro summa inordinatione, & causa malorum omnium, hoc tecum servatur, ut tollaris è medio, & adimatur tibi vita, quâ nihil præstantius invenitur sub cælo.

Luc. c. 23. v. 24 & 25.

Committamus nos voluntati Christi, qui se voluntati hostium tradidit.

VII. Prô pudor & confusio mea! quid dicam, Domine, cùm video te propter me tradi perversæ voluntati inimicorum tuorum; & ego me tuæ non penitùs trado? ad ferendam contra te sententiam mortis sufficit, quòd ita velint hostes tui; & mihi ut acquiescam his, quæ mihi eveniunt, non sufficit nosse, quòd tu ita velis & ordines! Illi errant in omnibus rebus, & tu finis te tradi voluntati eorum; & ego me non accommodo tuæ divinæ voluntati, quæ sapientissimè & rectissimè ordinat omnia! ô inordinatio mea! ô duritia cordis terreni! quid potes de me statuere, Deus meus nisi quod sit pro gloria tua & bono meo! cruces, quas pro te fero, mihi convertis in gloriam; labores mutas in requiem; injurias in justitiam; dolores in bona cælestia; tentationes ac desolationes in dulcissimam conversationem, ac suavissimos amplexus tuos; mortem in transitum ad vitam æternam: & ego queror, te fugio; neque sufficit mihi, quòd tu sis, qui hæc ordinas & facis, ut eis subjiciar. O cor terrenum! ô vilitatem spiritûs! ô frigus glacie majus! Muta hæc Deus, ac Dominus meus, nunc & in perpetuum. Ego, Domine, consigno me tuæ voluntati, nec volo aliam rationem eorum, quæ mihi evenient, quàm ut sciam, te sic ordinâsse.

odinâsse. Hîc me crucifigo, hîc tibi me offero, ut in omni re fiat voluntas tua, non mea, nunc & semper in vita & in morte. Amen.

ÆRVMNA XLII.

Bajulatio Crucis.

I.

PRomulgatâ sententiâ soliciti fuerunt Judæi, ut quàm primùm in executionem veniret, ne fortè Pilatus eam expendendi spatium nactus, revocaret; ubique patris sui diaboli genium exprimentes. Cùm enim ille nôrit, quòd tanta sit fœditas peccati, ut omnes ab eo abstinerent, si illam agnoscerent, studet omni modo intellectum hominum oblinere aliquâ illecebrâ, ne agnoscant malum, quod patrant. Ita Principes præcipitato per tumultum Præside in vota sua properaverunt, priusquam illum aut populum subiret pœnitentia facti. Sicut ergo crucem jam antè paraverant, & alia ad crucifigendum necessaria conduxerant, ita curaverunt eam afferri ad ædes Pilati, ut majoris ignominiæ causa imponeretur Domino gestanda ad locum supplicii: diligenter ordinantes custodias, & alia satagentes pro sua immanitate erga Dominum, qui sicut ovis ad occisionem ducebatur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescens, non aperuit os suum.

Abstinerent omnes à peccato, si ejus fœditas appareret.

II. Ut verò ad majorem confusionem agnosceretur ab omnibus, voluerunt eum depositâ purpurâ in suis vestimentis incedere. Tunicam ergo inconsutilem, nec apertam anteriùs per caput induere debuit, utique non sine novo dolore, & sanguinis emanatione à spinis. Voluit autem Dominus ipse suis in vestibus conspici cum cruce, ut, quod antea docuerat, si quis velit esse suus discipulus, tollat crucem suam, & sequatur se, nemo se excusare possit per ignorantiam, quasi non videret eum cum cruce præcedere; cùm clarissima luce, prope meridiem, per publicas vias, omni populo spectante in sua veste omnes anteceserit, non erubescens publicè constare, quid habeat ipse in pretio. Solent multi longa serie memorare claros majores, officia publicè gesta, facinora edita; & in primis ostentare faciem deformatam vulneri-

Ut viam Crucis amb ularemus, Christus præcessit nos.

bus acceptis pro patria vel Principe suo: quæ tanquam signa virtutis, pietatis ac fidei pluris æstimari solent, quàm decor naturæ magno studio conservatus. Christus Dominus noster, qui dixit se non agniturum pro suo, qui non magni faciat imitari se crucifixum, tanti æstimat crucem suam, ut nolit eam gestare sub aliena veste, quasi pudeat illius; sed in propria, ut omnibus publicè constet, quanto illam ducat honori, & quâ viâ tendendum sit aspirantibus ad veram gloriam.

Infamem Crucem glorificat,

III. Omnibus apparatis, Christus cum uno fune in collo, & altero cinctus, quo teneretur à lictoribus, solutis manibus, prodivit ex ædibus Pilati, in medium cohortis utrinque constitutæ, ut viam facerent per multitudinem populi, & accessit ad ibi expectantem se crucem, quæ usque ad illum diem adeò fuerat infamis, ut nullus ingenuus, vel qui non infami crimine condemnatus fuisset, suspenderetur in illa, & maledictus haberetur, quisquis in ea penderet: sed in hac die Filius Dei vivi, Dominus ac Redemptor mundi consecraturus eam suis humeris & sanguine, cœpit eam ad æstimationem illam elevare, quam habet nunc in toto mundo, & in æternum est habitura in cælo, quæ deinceps erit solùm patria crucifixorum. Cùm ergo tanto desiderio teneretur Christus, ad signa vocandi electos, quorum nullus ad gloriam cælestem venturus erat, nisi per crucem, aspiciens illam tanta cum teneritudine animi; tanto gaudio cordis & exultatione complexus est, quanto potest, qui aliquid expectatissimum & charissimum adipiscitur: non territus est, quòd esset gravis, & magna, altitudine palmorum viginti, decem latitudine brachiorum, ut par esset ferendo ponderi corporis sine concussione: non causatus debilitatem exhaustarum virium tam copiosè fuso sanguine: sed amplexus ut sponsam dulcissimam, ut refugium suorum amicorum, ut trophæum gloriæ suæ, ut cynosuram suorum electorum, ut præconium infiniti sui amoris. Ibi copulati sunt, & facti res una, non jam ut Adam & Eva in una carne, unde nascuntur filii iræ; sed in uno spiritu, quo renovamur omnes in gratia. Ibi sanctificata, honorata, ac tanti æstimata est, ut licet sola mors eos diviserit, semper tamen maneat suorum tutela & refugium, eundem honorem, & cultum promerita, qui exhibetur ipsi filio Dei.

IV. Hoc

IV. Hoc amore, & hac æstimatione accepit Christus crucem in sanctissimos humeros, tanquam Dux & antesignanus crucifixorum. Et quia nec in terra, nec in cælo invenit personam majoris meriti ac dignitatis, & cui velut homo plus deberet, quàm sacratissimam Virginem Matrem; ideo primum ei locum dedit sub hoc vexillo: quæ sequebatur eum cum cruce dolorum graviore, quàm ullus unquam justorum portaverit ab initio mundi: ut sic intelligant omnes, quanto favore Dominus eos prosequatur, quibus dat locum, se cum cruce sequendi: quem qui non obtinet, videat, quàm procul absit ab his duobus luminibus cæli, & à perfecta sanctitate: & quàm sit cæcus, qui hoc non intelligit, neque desiderat. Hæc omnia merentur longam considerationem; quia sunt velut opulentissimæ venæ, è quibus eruantur multi thesauri veritatum cælestium, solatii, amoris, fortitudinis & constantiæ: & exponuntur palàm omnibus, ne quis destituatur his cælestibus bonis: forétque extra omnem rationem, iis non levare suam egestatem, quæ Christus comparavit tantis expensis.

Sub ejus vexillo nemo militat, nisi crucifixus.

V. Neque verò tantæ excellentiæ crucis imminuerunt Christo ignominiam ac laborem in illa ferenda. Nam ipse amorem suum non minùs ostendit in externa perpessione, quàm in voluntate interna ac studio nos juvandi. Unde sacros humeros non tam peccatorum nostrorum, quàm ligni pondus premebat, & omnes insuper necessitates generis humani, obligationes gravissimæ ac plurimæ, omnia denique bona, quæ per sanguinem suum justis impetranda fuerunt: nam pro his omnibus laborabat & agebat cum Patre. Sic igitur onustus processit, præeunte præcone ac duobus latronibus, cum ipso crucifigendis: hos ponè sequebatur sua divina Majestas, cincta militibus, non omittentibus eum raptare, funè percutere, illisis calcibus urgere, & aliis modis vexare. Claudebant agmen sacerdotes, Doctores, Pharisæi, ac Principes Judæorum, multa cum significatione lætitiæ, quòd rem tandem perduxissent ad finem optatum: & quod nulli alteri fiderent, non recesserunt ab eo, donec mortuum cernerent.

Magis eum pressêrunt peccata nostra, quàm Crux.

VI. Inter hæc Dominus excitabat omnes residuas vires, ut dulcissimum sibi pondus ad locum destinatum perferret: sed

Qui Crucem à

non

Deo immissam patienter ferunt,

non sine maxima difficultate portabat, anhelabat, sudabat, non sine sanguine stillante ex apertis contentione denuo plagis: donec jam egressus urbe, ut aliqui volunt, debilitato stomacho per multas præcedentes ærumnas, vertiginem passus in terram cecidit: illis pro aliqua refocillatione simulatam debilitatem causantibus, & per probra ac verbera compellentibus eum crucem resumere. Quod cùm seriò toto suo spiritu collecto faceret, neque tamen progredi posset, metuentes Judæi, ne extingueretur antè, quàm suffigeretur in crucem, loco refocillationis conduxerunt redeuntem à villa Simonem Cyrenæum, ut crucem usque ad montem Calvariæ ferret, novis verberibus & contumeliis urgentes JESUM, ut pergeret. Tanguntur hîc invidiâ quidam devoti erga Simonem, cui datum est sublevare Dominum in cruce ferenda. Sed longè gratius illi erit, si suam quisque crucem ferat cum amore ac desiderio ipsum imitandi, quos præsignabat hic Simon: cui si crucis non sponte gestatæ laborem magnis favoribus remuneratus est Christus, duos filios ejus, Alexandrum & Rufum assumendo in discipulos; quantâ gratiâ dignabitur eos, qui sponte crucem tulerint, cum patientia ipsum sequentes? Atque hoc auxilio satis citò ad montem pervenit Dominus, in quo non reficiendus, sed crucifigendus erat.

Deo gratiores sunt Simone Cyrenæo.

VII. Non defuerunt piæ feminæ quæ partim commiseratione motæ, partim dolore, quòd privandæ essent Domini cælesti doctrinâ & miraculis, eum sequerentur cum lacrimis; quæ cùm ad eum penetrâssent, ut aliquod acciperent ab eo documentum vel solatium secuturæ melioris fortunæ ac statûs, sua divina majestas ad illas conversa dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros:* indicans quanta mala sibi hac injusta & crudeli nece sua Judæi arcessant. *Quia ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt;* hoc est, in me, in quo nulla culpa est, sed flos omnis innocentiæ, virtutis & gratiæ, succus amoris ac sapientiæ infinitæ; fructus omnis meriti ac boni cælestis; *in arido quid fiet?*

Luca 23. v. 28.

fiet? in quo nihil gratiæ, meritorum & boni est; à quo meis doctrinis, miraculis & exemplis alium fructum non retuli, quàm ut me tam crudeliter occidant, nullam sanguinis mei pro ipsis effusi utilitatem poscentes, sed vindictam supra se, ac filios suos? quæ certò superveniet. Atque hic inter majores dolores Domini fuit, quòd obversaretur ejus animo pœna eorum, qui obstinati in peccatis, remedia sacratissimæ suæ passionis non curant. Ideo matronas istas voluit lacrimas potiùs impendere sibimetipsis, & filiis suis, ut fructu sui sanguinis potirentur. Ipse enim sentiebat magis nostra mala, quàm sua tormenta. Quis autem cogitásset, hominem in talibus ærumnis constitutum potuisse potiùs ullius alterius recordari, quàm suorum dolorum tam acerborum? Talis est Christus Dominus noster, ut non aliud magis habeat ob oculos, quàm procurationem nostræ salutis. Ita cùm populo plaudente, quasi triumphans, pergeret Jerosolymam, videns civitatem flevit super illam, ac deploravit ejus excidium, propter civium cæcitatem, quia non agnoverunt tempus visitationis suæ, & gratiæ ipsis oblatæ. Ita semper eramus in ejus corde, & nostræ necessitates rapiebant ejus cogitationes & amorem: atque ut sua majestas meliùs intelligebat nostra mala, quàm nos; ita etiam suos dolores reputabat exiguos in comparatione miseriarum nostrarum.

pœna peccatorum Christo maxima pœna fuit.

VIII. Postularet hic locus uberiorem tractationem de cruce; sed exemplum Christi tam est illustre, ut per se, absque longo sermone, illuminet oculos animæ ad agnoscendam veritatem crucis. Unum hoc dico, maximum favorem, qui in hac vita præstari possit animabus, hunc esse, si cui Deus largiatur sapientiam & imitationem crucis, & semper teneat eum crucifixum, sine ulla remissione: quanquam id fatendum est, sine lumine speciali hanc veritatem cognosci non posse. Videamus Christum Dominum nostrum pro seipso elegisse hanc mortem; crucem gestásse suis humeris, inaudito exemplo; amplexum esse affectu tenerrimo; cadentem sub ejus pondere omnes vires collegisse ad eam portandam; consensisse ut imponeretur alteri, quo nonnihil respiraret, ac durare posset, quoad extenderetur in illa. Videmus etiam suffixum in illa non descendisse, cùm posset: ac post mor-

Imitatio Crucis summa sapientia.

Speciale donum Dei.

Hereditas nostra

tem eam suis electis reliquisse pro hereditate. In illa Dominus noster habuit omnem victoriam: in illa nos habemus omnia bona. Video solos crucifixos, & qui magis ad vivum imitantur hoc exemplum, esse acceptiores divinæ majestati. Unde repeto, eum, qui non clarè videt hanc puram veritatem, quòd maxima gratiarum, quas homo consequi potest è manu Dei, sit, fieri dignum pati crucem & res adversas, & hoc sit majus bonum, quàm omnia, quæ habent justi & contemplativi; eum, inquam, esse valde cæcum, & instanter à Deo flagitare debere lumen ad agnoscendam hanc veritatem: quam ubi acceperit, studeat esse gratus, & æstimet pro maximo thesauro; amplectens crucem ac tribulationem pro certissimo pignore cælestium & æternorum bonorum.

pignus cœlestis gloriæ.

EXERCITIVM
Ad Christi Crucem.
I.

Crux semper fuit Christo in desiderio,

PRodi, mi bone Jesu, Rex meus, Dux meus, & amor animæ! prodi, quia jam adest lignea crux, quam desiderâsti tam diu. consecra eam, & sanctifica, ut sit socia & gloria omnium electorum. Conjicit in eam Dominus oculos & amorem, ad primum ejus conspectum, & absque sono verborum sic alloquitur: O amica mea dulcis, & à me desiderata, dum vivo! Tu es mea sponsa formosa, pro qua servivi, & quam exspectavi supra triginta tres annos. Tu es Thesauraria mearum divitiarum, triumphus mearum victoriarum, Gloria & corona mei amoris. Hodie copulabimur desponsatione perpetua, in amore perfectissimo. Qui tibi servit, mihi servit: qui te spernit, me spernit. Tu deinceps eris honor meorum: & qui te gloriabitur, erit in honore: quem tui puduerit, erit inglorius. Hodie me recipies in brachia tua: hodie te proluam sanguine meo: hodie fies mater, & refugium omnium gentium. Per me tu semper honorata eris; & ego per te cognoscar ab omnibus: qui tibi servire noluerit, eum ego nec aspiciam, neque fovebo. Hîc te amplector, amica mea, desiderata mea, & perpetua mea socia. Veni supra humeros meos; eamus simul ad locum mortis: faciamus ex eo locum vitæ: regnemus, vincamus, honoremus nos mutuò. Cesset hodie ignominia

nia tua, & incipiamus hodie triumphare in gloria: sola mors à te separabit meum corpus: at nulla res amorem: simul regnabimus, ac semper vivemus. Tu eris tutrix, & protectio filiorum, quos hodie colligemus ex omnibus partibus mundi. Coram te tremet infernus: tecum exhilarabitur paradisus. Accipe hæc brachia, hoc corpus, & hunc amorem. Qui me desiderabit & me quæret, is te pro duce accipiat, & comite; & quidquid volet, à me obtinebit per te. *Protectio filiorum DEI,*

EXERCITIUM
Hominis ad Crucem.
II.

ADoro te signum salutis, pretium Gloriæ, consecratum brachiis & sanguine Domini mei Jesu Christi! Adoro te vexillum prœliorum illius, Dux electorum ejus, triumphus victoriarum, protectio ac defensio servorum ejus, signum, quo agnoscuntur ejus filii! Adoro te recondita sapientia, lux mundi non cognita, honor te sequentium, securitas te gestantium, Corona te complectentium, præmium te amantium, salus tibi se committentium! Qui in te moritur, vivit: qui vivit in te, regnat: qui te amat, est contentus: qui te desiderat, securus: qui te amplectitur, dives. Adoro te, arbor vitæ, in qua fructus invenitur, quo vivimus omnes, filius Dei vivi! Adoro te, libra æquissima, ad nullam partem propendens, in qua sola cognoscitur justus valor, & verum pretium omnium rerum! qui à te pretium habet, æstimatur à Deo; qui non habet, vilipenditur à suâ divinâ majestate. *Vita, & salus,*

III. Adoro te, vera & propria figura divini amoris, qui in te ardet ac splendet. Quia tua altitudo penetrat cælum: statura tua recta, secura, & justa est, ac separata ab omnibus rebus terrenis. Pes tuus penetrat centrum omnium rerum, intima cordis, & pertingit usque ad infernum. Brachia tua nunquam retrahuntur, sed extenduntur ad omnes partes mundi: facies tua non corrugatur unquam, neminem fugit, nulli absconditur, nullum spernit, nec fugat à se, sed omnes colligit, umbrâ suâ omnes protegit: omnibus est semper aperta, prompta, parata. Nullam rem times, nullâ terreris; nec aliud petis, quàm corda. Tuus titulus *Figura Divini Amoris,*

& corona est titulus regni & gloriæ : semper flagras ejus amore, qui sanctificatur in te ; & semper hunc ignem impertis omnibus, qui te amant, quærunt, desiderant. In te sita est salus, & vita: in te confusio inimicorum: in te communicatio suavitatis supernæ: in te fortitudo cordis, lætitia spiritûs, summa virtus & perfectio sanctitatis: in te salus animæ, in te certa & secura spes gloriæ. Tu ducis errantes, illuminas cæcos animo: tu doces ignaros, & efficis sapientes: per te in gratiam recipiuntur peccatores. In te sapientia mundi fit stulta, & confunditur: in te humiliatur superbia, coronatur humilitas. Tu confirmâsti Apostolos, consecrâsti Martyres, dedisti victoriam Virginibus, sanctificâsti omnes justos. Tu exhilaras Angelos, sustentas & auges Ecclesiam, imples cælum. Tu in die Judicii venies ante Jesum Christum, in gloriam ejus amicorum, & perpetuam confusionem inimicorum.

IV. Hîc offero me tibi, ô sancta crux! hîc te complector, hîc te cum Domino meo Jesu Christo accipio pro meo perpetuo refugio, pro luce mea, sapientiâ meâ, duce mea, & securo portu exilii mei. Non me dimittas unquam, nec repellas à te; licet caro sit infirma, tibi se opponat, te metuat, renuat te portare, & fugere velit: sentiat illa sanè, quod fert ejus natura: sed tu me non dimittas unquam. Dolores tui sint mea salus: vita mea sit mori in te: non sit hora, nec momentum, quo tui sim expers. O mi bone Jesu! affige me tecum in hac cruce: confige in ea timore tuo carnem meam, crucis amore transfige cor meum. Illumina oculos meos divinâ luce tuâ, ut videam semper, & intelligam veritates sapientiæ crucis.

In ea mori vivere est,

V. O signum salutis, pretium gloriæ, Dux errantium: quos fructus collegi, quid quæsivi, quando te fugi? Etsi te fugiam, non tamen ærumnas effugio: quia dego in terra plena dolorum & miseriarum. Imò incido in multos alios, qui me opprimunt, dejiciunt, destruunt, contristant, inquietant, occidunt: quia si te fugiam, ut serviam mundo, mundus adimit mihi pacem internam, consolationem securam, sapientiam cælestem; spoliat me omnibus bonis, me discerpit, & raptat post se. Si te fugiam, ut sequar carnem, jactor in perpetuo mari perturbationum. Si

Extra illam nulla felicitas, omnia cruciant.

per

per amorem proprium, & vanitatem te deseram, maneo semper famelicus & malè contentus : interea modò sanitate destituor, modò honore, modò amicis, modò sinceritate & fide: nunquam evenit, quod desidero: si quando veniat, mox evanescit. Spes sunt inanes, vita sine fundamento, mors plena timoris ac tormentorum: quia sunt multa, quæ contaminant animam & conscientiam, multa fastidia, nullum verum solatium; nec aliud resultat ex omnibus, quàm lacrimæ, dolor sine consolatione, ac demum interitus corporis & animæ. O sanctissima Crux! talis hactenus fui, quia te fugi, & quia te non ex toto corde & cum amore complexus sum.

VI. Sed tu, sanctissima Crux, semper paras coronam æternæ gloriæ his, quos tenes in mundo afflictos, mœstos, abjectos, atque desertos. Pacificas cor, mundas conscientiam, justificas animam, ditas spiritum, corroboras infirmitatem, assecuras spem, illuminas fidem, inflammas Charitatem: & qui per te videntur magis dejecti & eversi, per te eriguntur, exaltantur, ditantur, glorificantur. Cùm tollis bona terrena, das cælestia: cùm adimis amicos, imples amore divino; cùm aufers honores, facis Filios Dei: cùm pudefacis, das coronam gloriæ: cùm derelinquis interiùs, amplecteris occultâ virtute divinâ; cùm exteriùs, conjungis animam Deo. Liberos facis, quos capis: solvis à culpis, quos oneras ferro: ditas opibus cælestibus, quibus adimis fortunas: & quando videris asperior, meliùs habet ille, qui te diligit. O qui nunquam separatus esset à te! ô qui nôsset tua secreta! ô qui caperet veritates tuas arcanas!

Deligentibus se æternam gloriam confert,

VII. Tu in mundo tenes Filios Dei ignotos, proscriptos, abjectos & exosos, plenos lacrimis, & inopiâ, sine favore ac gratia, sub omnium pedibus; non intelliguntur, horrentur, vitantur; & quibus es durior, eos plus amas, & facis interiùs contentos, vividos, opulentos ac sapientes: dum eos non deseris, vivunt; moriuntur, cùm ab eis recedis: ardent amore tui; abhorrent ab omnibus, quæ amat mundus; & in cælo habent cor suum. O quàm sunt divites! ô quàm contenti! ô quàm læti quàm divini, imò deificati per te & in te! desiderant omnia relinquere, & esse cum Chri-

Sub ea miscentur à mundo proscripti,

Qui sine cruce est, non vivit,

sto. Omnia terrena sunt eis gravia & molesta: solùm pati in te amplecti te, ardere tuo igne, est id, quod eis placet ac solatio est. Et tu fidelissima amica, & vera socia, venies cum illis in die judicii, ut illos honores, defendas, consoleris, corones, glorifices, & confundas illorum persecutores & contradictores. O lux paradisi, & securus portus afflictorum! accipe me in tuam societatem, ut per te exalter & uniar illi, qui pro me fuit suffixus in te.

O Mater DEI, fidelissima Socia crucis Domini nostri, & per eam abundans bonis cælestibus! per tuam intercessionem, crux ejus non recedat à mea domo, neque lux ab anima mea se abscondat. O Curia cælestis, unita & coronata virtute, quæ nascitur à cruce, merear vestris precibus esse in numero crucifixorum, ut etiam sim in numero glorificatorum. Amen.

EXERCITIUM
Ad Christum cum Cruce in humeris.

I.

Amor Jesu omnia præparat.

O Domine, & bonum animæ meæ, éstne possibile, ut non recuses accipere in humeros crucem tam gravem, præsertim corpore tam exhausto per tot effusiones sanguinis, ac debilitato tormentis, quæ pertulisti, ut sis unica viva plaga? scis tibi non suppetere vires ad onus tantum portandum; & nihilominus ei te submittis? ô Deus amoris! amor tuus putat se posse omnia, & nihil ei videtur impossibile. Renovantur clamores, ac tumultus populi contra te, verbera carnificum, rabies Pharisæorum urgentium tuam necem, & injuriosa verba jactantium; & tu de novo te conjicis in manus eorum, ô divine agnelle! deficientibus viribus corporis, ruptis iterum vulneribus, sudore mixto cum sanguine, totus convulneratus, quassatus: ut videaris in silentio renovare amorem, obedientiam ac desiderium patiendi pro me. O benedicant, glorificent, adorent, & ament te omnes creaturæ! In ista cruce, ô mi Redemptor! portas peccata totius mundi, & illa te sic premunt, gravántque.

Cruce viâ salutis aperuit

II. O Domine animæ meæ! tu pedibus incedis per terram, sed cor tuum penetrat cælum, rumpendo pectus Patris æterni vocibus

bus internis pro miseris peccatoribus, promerendo eis misericordiam, & cruce aperiendo viam in cælum, hactenus mundo incognitam. Hîc tacendo fortiter clamas, & vocas omnes, ut te sequantur, quia in te invenient omne bonum, & requiem. Hîc ducis tecum primam, præcipuam ac fidelissimam sociam & amatricem cum gravissimâ cruce suâ, Matrem dico tuam sanctissimam, ac Dominam nostram. Hîc factus Dux ac signifer justorum, bellum indicis carni, mundo, diabolo, & peccatis. Hîc aperis omnia arcana tui amoris, & confirmas præconium, quod feciſti; eum, qui non tollit crucem suam, & sequitur te, non esse te dignum, neque partem tecum habere. Hîc incedis in propria veste, dimissâ albâ Herodis, & purpurâ Pilati, ut omnes te agnoscant, ac sciant te esse, atque te solam crucem magni facere. Hîc tollis omnes excusationes blandimentorum carnis, ac vanitatis mundanæ. Hîc sanctificas lacrimas, persecutiones, injurias, & omnes ærumnas. Hîc illuminas mentes, accendis voluntates, & incitas animos ad tuam imitationem. Hîc detegis fallacias mundi, abrogas ejus leges, explicas tuam doctrinam, confirmas tuas veritates, rapiens & obligans omnium corda, ut se tibi associent, & amplectantur crucem omnes afflicti, ac deserti, qui amore tui vexantur. Et ne quis putet, posteaquam fueris affixus cruci, ut non possis conjungere brachia, ibi defore tibi amorem ad colligendos omnes; nunc antequam ascendas in crucem, amplecteris cum ea omnes tanquam filios dilectos, pro quibus moreris, peccatores, justos, afflictos, & quicunque desiderabunt tuum amorem ac societatem.

B. Virgo fidæ sociapatientiæ filii extitit.

III. O Jesu, Rex, Dux, & amor animæ meæ, spes mea, custodia mea, summa Veritas, vera vita mea, certa mea sapientia, clara lux, & omne bonum meum! Ne relinquas hunc indignum servum tuum extra hanc societatem, ubi tu & sanctissima Virgo, duæ columnæ cæli, duo purissimi Spiritus, & acceptissimi Patri æterno, simul inceditis in crucis amplexu. Quid me fiet, si foris relinquar? quod iter securum ingrediar? sic separer à tua cruce? duc me tecum, Domine: imò trahe me, ne unquam subducas te oculis meis, neq; crucem tuam. Cupio te sequi & imitari: tecum, ô mi Jesu, volo crucifigi, malo tecum pati crucem, quàm sine te innatare delicijs mundi.

Omnes Electi Cruces habuerunt.

mundi. En hîc meum corpus, meos pedes, manus, & caput & omnia membra. En hîc animam meam: en me totum offero in manus tuas: fac me ſocium tuum, plenum crucibus ac doloribus. Non permittas, ô mi Jeſu! ut aliud ſentiam vel intelligam: non permittas, ut unquam excutiam, aut refugiam ærumnas crucis, quantumlibet oneroſæ, duræ & aſperæ. Tecum Salvator animæ meæ, malo eſſe in afflictione, derelictione, ignominiâ, perſecutione, quàm in blanditiis mundi. Ab initio ſemper cruces, & ærumnas habuerunt electi tui; & qui te magis amant, magis torquentur, & tecum crucifiguntur. Et ego miſer fugiendo crucem, & ſigna tua, quomodo potero tibi placere, & eſſe in numero tuorum?

Parum eſt, quidquid patiamur pro amante nos.

IV. O Fili Dei vivi! ſi te amaviſſem toto corde, & ſerviiſſem tibi in multis laboribus, per aliquot millia annorum, cum hâc ſpe, quòd aliquando ad unicam horam eſſes venturus in meam ſocietatem, ut modicum quid patereris pro me, nónne valde parum eſſet, quidquid paſſus eſſem pro obtinendo iſto favore? Nunc ergo, Deus meus, ac Dominus meus, cùm te video oneratum ærumnis ac doloribus, plenum afflictione, cum cruce in humeris, factum meum anteſignanum ac ducem, invitare me ad ſequendum te cum longè minoribus ærumnis, quomodo non accendor deſiderio patiendi pro te? quomodo videtur mihi aliquid grave? quomodo non habeo pro perditâ horam, quâ ſine cruce ſum, & afflictione propter te? caro mea flaccida dolet, ac gemit ſub cruce; vult fugere, & tanquam perverſa abhorret ab eâ: ſed ſpiritus, mi Jesu, quem nunc promereris mihi, poteſt facere mirabilia in hâc miſerabili terrâ, & hanc infirmitatem convertere in gaudium, multas tecum cruces ferendi. Quando, ô afflicte Jeſu! videbo me, tecum afflictum? Quando ô vere amice hujus pauperis animæ! videbo me talem pro te, qualem te video pro me? quandonam erit hæc unica mea conſolatio, ferre multas cruces ac tribulationes poſt te, & non fatigari?

DEO chariores ſunt quos

V. O unica ſalus miſeriarum mearum, ſive hoc ſapiat carni meæ debili, ſive non: tu ſcis, quantò ſecurior, quantò tibi conjunctior, quantò ſapientior, quantò verior tuus diſcipulus, & major amicus tuus ſim, quando crux me gravat, quàm quando me

do me deserit. Ergò Domine, faciat caro, quod suum est, quantum volet; tu verò, qui scis, quid mihi expediat, ne dispensa cum illa; sed afflige, ac tribula me tecum; dummodo me adjuves & confortes infirmitatem meam, ut possim ferre cruces, quas imposueris mihi; neque permittas, ut aliud velim. Tu, Domine, sapientissime cognitor meorum errorum, scis optimè, quòd errem, quando non incedo hac viâ. Malum videtur mihi bonum, vanitates pro veritatibus habeo, opera naturæ judico esse gratiæ; probo, quæ debueram damnare; magni duco, quæ vili pendere; maximam habeo rationem meæ personæ, magnum momentum colloco in honore: cor habeo sparsum, distractum, divisum à te, occupatum in rebus mundanis & mecum ipso; & quod cum lacrimis infinitis dicendum esset, habeo id semper procul à te, qui es unicum & immensum bonum meum, neque id sentio: offendo te, Deus meus, & non curo. Erubesco sciri, quis sim, & abscondo, ut videar esse de tuis; cùm sim inimicus crucifixæ tuæ societati.

Crux magis gravat.

VI. Quid dicam, Deus animæ meæ? abjicio me ad pedes tuos. Tu nôsti, qualis sim, & vides miserias hujus cordis, quando caro mea sine freno est tribulationis & crucis. Quod ego tunc facio, est id, quod te constituit nunc in hoc statu, pro quo nunc luis, quod te premit ac perimit. Ergo, vita & omne bonum animæ meæ, quomodo possum vivere placidè cum eo, quo vita tibi adimitur? ô fac me, Domine, mori hac horâ, ne offendam te amplius, vel mihi tuam crucem impone: quia ad id ferendum, quod ego non possum, tu potentissime ac fidelissime adjutor, dabis mihi vires ac spiritum. Tu illuminabis meum intellectum, inflammabis cor tuo amore, & facies in me mutationem, & solita tua miracula. En renuncio omni solatio vitæ, & opto, ut si sit pro gloria tua, omnia mihi vertantur in cruces. Amici, socii, cognati, conversationes, & omnia, quibus hactenus fui delectatus, mihi vertantur in cruces; ut habeam te solùm pro amico, socio & unico consolatore. O quàm felix ero, cùm eò pervenero! quàm dives si te solum habeam socium! tunc verè dicere potero, quòd sis unicus amor meus, unica lætitia mea, unicus Pater meus:

Infelix, quæ cruce caret.

tunc eris mihi unica felicitas, quando me deseruerint omnia in mundo, méque crucifixerint, & ego toto corde omnibus renuntiavero, ac tu me solus receperis.

Summum bonorum præmium est pati,

VII. Vita animæ meæ, quò vadis? quomodo me non audis, cùm clamans te sequar? éstne possibile, JESU mi! ut venias ad montem Calvariæ sine me? da mihi hanc crucem priùs, quàm eò pervenias: quia magis habeberis pro principe latronum inter tres, quàm inter duos tantùm: salvabis duos; & si me nolent occidere, semper manebo in cruce. O amor, ô amor animæ meæ! occide me hac horâ igne tuæ Charitatis; ut me purget, si vitam ducere debeam, quæ non tota consumatur patiendo pro te. Imprime, Domine, animæ meæ magnam hanc veritatem, quam protulit quidam crucifixus tuo amore; si pro fideli servitio trecentorum annorum, sibi gratiam facere velles unâ horâ patiendi pro te, omni merito suo majorem futurum istum favorem. O arcana, ô certa veritas! sed ego, Domine, qui nihil mereor, supplico immensæ Bonitati tuæ, ut facias mihi hanc gratiam, ne ulla hora totius vitæ meæ sit absque cruce pro tuo amore: quia certò scio hoc esse, quod maximè tibi placet, mihi maximè convenit, & maximè adversatur perversæ meæ naturæ: tu verò vires ad hoc necessarias, tanquam liberalissimus distributor bonorum tuorum, eis haud negas, quos amore tui crucifigis. Ama me, Domine, & crucifige me.

Quo cognito, dulce est crucem ferre.

VIII. O felix Cyrenæe! qui acceptâ mercede obtinuisti, quod ego lacrimis impetrare non possum, ut portem hanc crucem, & sublevem nonnihil hunc divinum agnellum in tanto suo labore: quamvis enim per hoc ei mors acceleretur, ea tamen est, quam ejus amor desiderat. Tu id non intelligens eum sequeris cum cruce; at si novisses hunc Dominum, & quid portes, id non dimitteres, sed tu affigereris, & JESUS viveret. An fortasse non invenisti, Domine, amicum, qui ex compassione portaret hanc crucem? O fili DEI vivi, ô fidelissime amator animarum, ô thesaure omnis beatitudinis! tibi soli convenit gestare crucem gratiæ, quia quidquid in eâ mereris, tuis mereris; nec aliud præmium exigis, quàm utilitatem nostram: omnes alii, qui tibi serviunt, tibi sunt obligati: nam licet ipsi crucem non portent, ipsis tamen

tamen à te promissum est meriti tui præmium. Quanquam non omnino crucis est expers, qui cupit in omnibus tuam facere voluntatem: quo quid melius habere potest in cælo, & in terrâ, ô Deus amoris, ò Amor Dei! quàm felices, quàm opulenti sunt, qui te cum cruce suâ sequuntur? Cyrenæo non datum est antecedere te, sed sequi: quia tu Dominus ac Deus meus non vis, ut te ullus præcedat, sed ut crucifixi videntes te præcedere, illuminentur, animentur, inflammentur. Et qui te semper ante se videt, ô lux paradisi, quid videt? quid amat? quid accipit? quo gaudet? tace, tace, lingua; & tu cor obmutesce. Loquere tu, Domine, ut audiat te servus tuus. Dic tu cordi meo, quid videat, ac sentiat, qui te semper habet ante se, quid portet. Amorem portat, ac portatur amore: ad quid fertur, & quà? amore, & ad amandum. Amem te, Deus meus, ac totus amore tui consumar! Accende me, ama me, & transfer me in te, ô mi amor divine!

Christus omnes voluit patiendo præcedere,

O Mater Dei, plena crucis & amoris! sine te non voluit divinus Agnellus ferre crucem, ut exhiberet amorem tibi debitum. Impetra tu mihi, Domina, per merita tua, ne sim extra vestram societatem, ut in me ostendam id, quod ardens ejus amor meretur. O Angeli, ô cives cælestes, lapides vivi per crucem expoliti ad hanc fabricam cælestem, laudate pro me Dominum; & quia me creavit, ut sim in vestrâ societate, facite ut per suam crucem, & cum illâ sic ducar, ut sim, quales vos estis in oculis ejus. Amen.

Et Matrem sibi proximam esse.

ÆRVMNA XLIII.
Crucifixio.

I.

VT ventum est in montem Calvariæ, ubi suprema sui amoris demonstrationem inter maximos dolores facturus erat Dominus, nihil ei temporis permiserunt ad respirandum, sed omnia certatim egerunt, ut affigeretur cruci. Solutis ergo vinculis, inclementer exuerunt eum vestibus jam agglutinatis corpori, renovando vulnera, præsertim capitis, atque dolores immanes. Ille obediit ipsis promptè in omnibus, magnâ mansuetudine & obedi-

Omnia accipienda, velut à Deo immissa.

entiâ, tanquam exequentibus præcepta Patris æterni: ad documentum retinendæ pacis internæ, inter successus tristes & contrarios votis. Nam qui falsos amicos, vim, injurias, & alias ærumnas accipit velut ordinatas à Deo, illas immittente per suæ sanctissimæ voluntatis ministros, submittet se omnibus, nullum aspiciens ut inimicum; sed plus dolebit malis, quæ inferunt sibi ipsis, quàm his, quæ accipit ab eis.

Detrahitur vestis Domino,

II. Denudatus purissimus Agnellus, vento perflante saucium corpus, miserabili specie, non otiabatur animo; dum crux aptatur, promuntur clavi, & alia necessaria, stans oculis & manibus erectis ad cælum, cum lacrimis ardentibus & abundantibus, offerebat se denuo Patri æterno in victimam pro salute hominum, exauditus utique pro suâ reverentiâ. Nam hoc est medium placendi Deo, & obtinendi lucem & robur in omni negotio, si inchoëtur cum oratione internâ, & oblatione in obsequia suæ divinæ majestatis, quæ non potest non dare bonum exitum rei sic inceptæ. Aptissimus est hic locus devotioni exercendæ, ut anima accedens ad Domini se pedes prosternat, collectura guttas è corpore stillantes, & lacrimas affusura, priusquam affigantur: quo multas gratias consequēmur, ac si id egissemus in Calvariâ.

Potatur myrrhâ & felle,

III. Carnifices, omnibus instructis, Domino præbuerunt modicum vini myrrhâ & felle mixti ad majus tormentum ejus, instinctu Judæorum, loco refocillationis, quam aliis supplicio afficiendis indulgere solet humana compassio. Dubites hîc majúsne studium fuerit Judæorum in excogitando, quæ Christo forent molesta; an Christi, in curando, ne ulla pars corporis sui abiret sine tormento. Sed vicit Christus, dum omnia membra ejus certarent aliquid pati doloris. Cùm ergo gustus ejus aliter torqueri non posset, felle, myrrhâ & aceto vexatus est, dolore diffuso per intima viscera. Meruit profectò tantus hic amor Domini, ut respondeamus illi, pro perdito habentes, quidquid in nobis est non perfectè impensum ejus obsequiis.

Cruci imponitur.

IV. Jussus deinde Dominus se supra crucem extendere, paruit libenter, pro pulvinari habens coronam spineam de novo pungentem, oculis elevatis in cælum, cujus portas hactenus obsera-

seratas pandebat. Et quia tanquam summus Sacerdos, per quem reconciliati sumus, videbat se tanquam victimam, propter quam erant remittenda mundo peccata, collocatum in altari crucis, obtulit se pro toto genere humano, totâ voluntate & amore, cum infinito desiderio salvandi omnes peccatores. Tunc etiam sine dubio passis brachiis vocabat omnes homines, ut eos consolaretur, & offerret Patri. Tunc perfecit reconciliationem peccatorum cum Deo: tunc cælum ac terram complexus univit secum, & fecit unam Ecclesiam, unam domum, unam societatem, in qua regnat Deus. Non fuit, nec erit unquam Sacerdos Deo gratior nec altare sacratius, nec oblatio pretiosior, quàm ista, in qua Sacerdos divinus, agnum sine maculâ, seipsum offert in cruce pro toto genere humano.

V. Christo hoc agente ministri mortis ejus non sunt otiati. Dicunt eos cepisse à manu sinistra, quâ trabali clavo confixâ, per medios nervos, ut meliùs ferretur pondus corporis, & iis præ dolore nonnihil contractis, dextra non attigerit pro illa factum foramen in cruce, ut fuerit opus funibus eam attrahere: id quod etiam pedibus factum sit: ex quo cœperit disjungi compago membrorum. Ad hæc omnia Dominus tacuit, sine omni signo doloris, qualia nos edere solemus; vultu sereno & invicto, constantiâ plusquam humanâ, inter diriſſimos cruciatus, non tantùm perfectissimam patientiam, sed etiam nullam omnino tristitiam ostendendo, ut exterior species simillima esset internæ voluntati & amori, quo patiebatur. *Affigitur eidem.*

VI. Docuit nos hoc silentio artem ferendi crucem cum perfecta patientia, magno merito & fructu, quo Deo accepti fiamus. Qui ergo viderit se collocatum in cruce, primùm acceptet eam, velut ex mandato Dei, cum summa obedientia divinæ voluntatis offerendo se ad illam. Deinde caveat omnem lamentationem, neque de Deo, utcunque rigidum experiatur, conquerendo, neque de ulla re alia. Nascuntur enim lamenta ex amore proprio, qui recusat pati. Sed neque actionem instituat, quo jure, quâ ratione id accidat sibi; neque causetur suam debilitatem, aut nimiam acerbitatem rei: sed unica ratio sit, obedire illi, qui to-

tum permittit, & confidere in bonitate ipsius, qui non negabit vires ferendi. Faciat aram ex cruce sua, & se immolet in ea, & offerat ad ampliùs patiendum, quantum, quando & quomodo suæ divinæ majestati placuerit. Et quia natura nostra semper malè aspicit eum, à quo infertur molestia; is qui crucifigitur, habet intra se perpetuam luctam, ut non vincatur tristitiâ, sed in omni re veneretur Deum, æquo animo accipiens, quidquid ab eo provenerit, ac fide dilatans cor confidat gratiam daturum, ut indies fiat robustior. Ad hoc juvabit oculos animi semper habere defixos in cælo, per quod leve fiet, quidquid in terra molestum est. *Id enim, quòd in terra est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna.*

1. Cor. 4. 17.

VII. Jam cùm crucem, ac Dominum illi affixum attraherent ad fossam, cui immittenda fuit; cùm inæquali motu eam elevarent, donec funibus tractam erigerent, eáque in fossam incideret; dum cuneis validè impactis firmarent; quis nisi expertus dicere potest, quàm diros tot concussiones ei dolores creaverint? quis illos, qui ex omnium membrorum compage soluta oriebantur? nam sic omnia membra Christi fuisse distracta, ut ossa numerari possent, Propheta disertè testatur: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Quantùm verò id spectaculum placuerit ejus inimicis, vociferationes eorum, ac populi totius indicaverunt. Porrò ille sic à terra elevatus erat, ut eum pedibus consistentes possent attingere: oculos verò in terram demissos, & brachia extensa habebat, significans terram, & affectus terrenos nihil habere secum; eos tamen, qui diligunt crucem, ad se posse accedere, séque semper ad eos excipiendos, juvandos, omnibus bonis ditandos brachia extensa habere, & oculis benignis omnes aspicere. *Ego*, dixerat, *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Traxit ad se cælum, ut possidendum daret peccatoribus: Deum, ut eum reconciliaret mundo; justos, ut inflammaret amore; peccatores, ut pœnitentibus veniam daret ac parceret.

Elevatur in Cruce,

Psal. 21, v. 19.

Ioan. 12, v. 32.

VIII. Do-

VIII. Inter ista, velut immemor dolorum suorum, volvens animo mala peccatorum, quibus desiderabat mederi, non mente solùm, sed etiam soluto silentio tam diuturno, altâ voce, plenâ amore & lacrimis petivit à Patre misericordiam tum his, qui manibus eum crucifixerant, cùm iis omnibus, qui causa fuerunt suis peccatis, dicendo: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Quis amor hoc major inveniri potest, cùm inter tantos dolores, non tantùm pro peccatis nostris veniam orat, sed insuper etiam voluntariam nostram cæcitatem, quâ non minorem pœnam promeremur, quàm ipsis peccatis, tanquam pius advocatus immensâ charitate excusat? Et revera Dominus, qui omnia expendit justo judicio, clarissiméque vidit gravitatem culparum nostrarum, agnovit eas verè mereri crucem, ad obtinendam veniam; quas nos tam parvi pendimus, & quasi ludum perpetramus, procùl ab eis fugituri, si sciremus, quid sit, quod facimus. Ex quo patet, quod scribit S. Basilius de misericordia Dei, quòd, cùm aspicit nostra peccata, duas facies in eis inveniat; unam, quâ movetur ad ea castiganda, tanquam suas injurias & offensas: alteram quâ movetur ad compatiendum malis, quæ inferunt: & hanc prævalere. Peccata nostra Christum adegerunt in crucem, impleverunt doloribus, & offenderunt ejus Patrem æternum: sed quia nos excæcant & condemnant, majorem compassionem habet nobiscum, quàm secum; & nihil locutus pro se, totus est in venia impetranda nobis, tanquam cæcis & ignaris.

Patrem pro peccatoribus orat.

Luca c. 23. v. 34.

IX. Crucifixerunt cum Domino duos latrones, ut medius inter eos penderet, quasi dux latronum: & verè, non facultatum raptor, sed cordium. Nec erubuit peccatores habere socios supplicii, sicut non horruerat versari & manducare cum illis: venerat enim ut bonus Pastor, quærere oves errantes, & animam suam dare pro illis: simul ostendens nobis peccatoribus meliorem locum esse in sua cruce, quàm habuerit Adam in arbore vitæ, ex qua incidit in mortem: nam hæc arbor dat veram vitam, ut mors nobis nocere non possit. Hujus rei satis clarum argumentum fuit titulus, quem Pilatus jusserat affigi cruci supra Domini caput, & quidem tribus linguis, quibus omnis sapientia divina & humana

Inter latrones pendet.

humana conscripta est: qui tametsi displicuerit Judæis, noluit eum tamen mutare Pilatus, id agente Spiritu Sancto, ut inter tantas ignominias constaret omnibus, quòd verè, qui eas patiebatur, JESUS Nazarenus, Rex Judæorum sit, & omnium animarum, quæ eum ut crucifixum amaverint, & secutæ fuerint: habituras enim in eo tanquam optimum Regem, protectionem vitam, divitias, & omnia bona. Et cùm hactenus remittebat peccata, defendebat peccatores, sanabat infirmos, id æternâ suâ potestate, tanquam supremum omnium Regem, feciisse.

Compatitur Mariæ filio

X. Inter hæc mysteria non sunt prætereundi acerbissimi dolores, Virginis Dominæ nostræ: quæ ut non viderit affigi Filium, ictus tamen malleorum audivit, qui omnes cor ejus lancinaverunt; & insuper expectavit, quod majorem dolorem allaturum erat, videre elevatum in cruce. Quem ut conspexit, quantùm diligebat, tantùm aspectu ejusdem dolebat: cúmque non posset resistere dolori, per turbas penetravit ad eam crucem, quæ ipsi soli parata & par erat, nulli alteri tolerabilem. Sed de hac re infrà ex instituto agetur.

NB. *Merentur tanta mysteria, paucis comprehensa, per modum historiæ, distinctiùs perpendi. Vnde pluribus exercitiis id exequemur, ut pro singulis gratiæ agantur Domino nostro.*

EXERCITIUM
Ad Christum nudum ante Crucifixionem.

I.

VIdeamus nunc, anima mea, quanto studio satagant hi expedire omnia necessaria ad crucifigendum Dominum: videamus, ut ferveant, ut clament, ut insaniant ejus inimici. En quàm inhumaniter eum spolient vestibus, jam agglutinatis saucio corpori; quomodo eas extrahant violentè per caput, renovando puncturas spinarum. Aspice, anima, miserandam speciem, &

Cor IESV nunquam viatur.

cor ejus nunquam otiosum, aut separatum à cælo: quia videns se nudum, & solutis manibus, eas & oculos elevavit in cælum, & lacrimis perfusus pro te offert se Patri æterno. Accede ad eum, ani-

anima mea, & prostrata ad ejus pedes, ac si præsentem haberes, magno amore complexa sic alloquere: Hîc, ô Jesu, ô amor animæ meæ! amplector divinos tuos pedes: iis alligabo cor meum, & priusquam affigaris cruci, totus amore tui consumar, antequam te mors eripiat oculis meis. Priùs quàm te affigant, ô bone Jesu! his manibus, quas jam solutas habes, hanc animam peccatricem complectere, pro qua tantum pateris. Consume omnem malitiam meam, accende meam tepiditatem, & interiùs me alliga tibi.

II. O mi bone Jesu! ô divine Agnelle! ô pure & vere amor hujus animæ! recipe meos amplexus, & fac, ut puri sint ab omnibus rebus terrenis, ut bullientes tui amore, tibi sint gratiores. Conjice, Domine, oculus misericordiæ tuæ in hanc pauperem creaturam, nec abjice me à te. Accipe, Domine, hunc amplexum, quem ut possum, tibi do, ac desidero dare cum amore omnium te amantium. Tu, ô bone Jesu, tuo pretiosissimo sanguine consume, quidquid in me tibi non placet, ne quidquam sit, quod à te me separet. O verum refugium animæ meæ! quàm felix esset, qui se videret protectum à te, & admissum in amorem & amicitiam! quis me tunc diceret pauperem, licet omni re carerem? quis diceret me miserum, licet essem in hac mœstissima vita? Inflammer à te, & ardeam tuo amore! & tunc nulla creatura me noverit, ab omnibus deserar, & proscribar, optimè contentus ero te solo. Ergo, Domine, ostende jam huic animæ pulchritudinem cordis tui: me consumat hic ignis, quo tu flagras: cadant super me ardentes hæ lacrimæ, quæ fluunt ab oculis tuis, ut lavent me, accendant me, consumant me, ac tibi conjungant in perpetuum.

Illum qui possidet, dives est,

III. O Jesu animæ meæ, & omne bonum meum! sine quo sum egenus & pauper, video magnum fervorem te crucifigentium, & ego maneo, sicut eram priùs. Antequam te elevent, & eripiant è brachiis meis, sana, Domine, vulnera mea. Tu vides me non esse minùs vulneratum in anima, quàm tu sis in corpore. Tu es mea medicina: in te invenitur misericordia, quæ mihi est necessaria: & quia te mea peccata constituerunt in hoc statu, tu meliùs

liùs nôsti necessitates meas, quàm ego: qui neque illas confiteri possum, neque agnoscere; licet oculis tuis omnes sint manifestæ. Qualis qualis sum, me ad tuos pedes abjicio: & quia novisti meas miserias, eas misericorditer mihi condona: & fac ut inter tantos dolores, quos mei sanandi causâ pateris, non maneam absque remedio. Si vis, potes me hâc horâ mundare: pœnitet me, quòd te offenderim, mallémque mori, quàm te rursum offendere. Feri, Domine, cor meum dolore magno peccatorum meorum: fac, horream & oderim meipsum: accende me amore tuo: & aufer omnia obstacula, quæ sunt inter te & me; ut non ampliùs offendam te, sed vivam semper tecum per amorem.

IV. O Vita ac certa spes mea, habes amorem, ut sinas te vulnerari pro me, ut sanguinem tuum effundas pro me, ut permittas te affigi cruci, ut moriaris pro me; potéstne fieri, ut hac horâ non condones mihi mea peccata, non des mihi perfectum odium mei ipsius, & vires me emendandi, ac tantum amorem tui, ut non possim te ampliùs offendere? Tu, bone Jesu, habes amorem ad omnia: scio quòd magis desideres mihi dare, quod peto, quàm ego; & propterea oppetis mortem; sed in me vides causam illud negandi. O summum Bonum meum, & unicum remedium meum, fateor omnia impedimenta provenire à me: hæc rogo, ut tollas à me: propter hoc adsto sacris pedibus tuis: pro hoc supplico totis viribus cordis mei.

V. Ego sum cæcus & ignarus, illumina meum intellectum, ô lux divina: fac, Domine, ut agnoscam qualis sim, & videam, quid me impediat ab illis bonis, & sejungat à te: da mihi perfectum odium omnium, quæ in me tibi non placent. Hoc, Domine mi, tuæ est operæ: amorem & misericordiam habes ad omnia. Si ego non sciam tibi me ex toto corde offerre, supple tu, quod deest: ideo enim es meus Redemptor: ideo fundis pretiosissimum sanguinem tuum, ut eo suppleas, quidquid meæ deest inopiæ: si tu, bone Jesu, me deseras, quis poterit juvare? si tu me non purges, quis expiabit mea peccata? nam illa sunt, quæ me excæcant, & afficiunt his malis, quæ tu vides, ac solus potes mederi: miserere hujus creaturæ tuæ: ignosce, illumina, sana, resuscita me:

Sanguine suo inopiã nostram supplet.

me: eradica mala mea; ut iis liberatus possidere te possim puro amore, crucifigi tecum, totus esse tuus, & habere te pro unico summo bono meo.

Cur sine veste mori voluerit.

VI. Quid hoc est rei, Magister veritatis æternæ? vis nudus crucifigi, nudus mori in cruce? non saltem tunicam retines, à matre tuâ sanctissimâ factam? nihil, ô bone Jesu, vis retinere de terra: tunica in terra, & ex materia terrena, contexta est; ideo te gravat, molestat. Nudus venisti in mundum, nudus vis exire de mundo: non vis, ut mors te spoliet, sicut alios: sed vivus, antequam ascendas in crucem, abjicis omnia, & reddis terræ, quod suum est, ut nudus in cruce sis: nihil aliud vis à mundo, quàm crucem, vulnera, ignominiam & injurias: ea tantùm pro te seligis, quæ dolent, occidunt, & omnes horrent: atque in his vitam vis finire. Nudus reconcilias Patrem, nudus pacem facis inter Deum & hominem, nudus aperis cælum, nudus satisfacis pro nostris peccatis, nudus doces arcana tuæ doctrinæ: nudus triumphas mortem, infernum, peccata & mundum: nudus ostendis perfectionem amoris tui: nudus ditas & reples nos bonis, & largiris, quidquid habes; quia per nuditatem non efficeris pauper, neque desinis esse qui es, neque deficiunt tibi divitiæ tuæ æternæ & infinitæ.

Dimittendo omnia possidemus omnia.

VII. Doce, Lux divina, cæcam hanc animam omnia possidere omnia dimittendo: & quia non possum eò penetrare sine luce tuâ, lava meos oculos tuo sanguine, ut clarè videam subtilitatem & perfectionem sapientiæ tuæ, & puri amoris tui. O thesaure cælestis, Fili Dei vivi, tam dives & incomprehensibilis es, ut solus explere & satiare possis animas: tam magnus es, ut omnem capacitatem meam possis implere: tam suavis, ut rapias omnes facultates animæ: tam purus, ut nihil tibi possit comparari; tam pulcher, ut capias intima cordis; tam bonus amicus, ut devincias tibi omnes animas; tam ardens ignis es amoris divini, ut spiritus omnes accendas. Quid ergo magni est, quòd solus in hac animâ velis regnare, & velis eam nudam ac spoliatam omnibus rebus, nec feras mixturam alterius amoris? Et quomodo te manente in corde tantillo, posset in eo recipi aliud quidquam? Tu scis, Domine, quòd

anima se accommodet mensuræ illius, quod amat: ergò si amet terram, quomodo majestatem tuam infinitam capiet? Tecum crescit anima mea, in te dilatatur, extenditur: tecum conformat se tuæ magnitudini: te repletur, & satiatur: quia tu, pure amor animarum, sufficis omnibus.

Nihil amittimo amittendo creaturas,

VIII. O bone Salvator animæ meæ! quando me videbo tui amore separatum ab omni re mundi? ô si faceres mihi gratiam, ut me pro tuo recipias ac possideas! Et quid amitto, si omnes creaturas dimittam, & illæ me crucient? quia si tantùm tuus sim, te solo, bone Jesu, dives sum satis. Separa, Domine, cor hoc ab omni, quod est extra te, & hoc fiat eo modo, quo tu scis & vis, non sicut caro imaginatur & vult. O quàm dives est, qui te sic habet! ô quàm felix, qui te amat hoc modo! cùm te videam propter me sic denudatum, qua re tibi magis satisfaciam, quàm simili spoliatione & abdicatione omnium rerum, ac nuditate saltem internâ. Majores amici tui te secuti sunt nudi: omnis occupatio terrena gravis erat inflammato tuo Augustino: ipsa pellis sua oneri fuit Apostolo Bartholomæo: quos amor tui corripuerat, in deserta fugerunt; à vita & corpore suo, Martyres: & omnes, qui te verè amant, ac nudum vident in cruce, ex amore plorant, atque desiderant similes tui esse propter te.

A quibus Amor Crucis nos separat.

IX. Hæc sunt opera tui amoris, ô amor prædator! ô amor transformator! tam dives, & tam pauper; tam locuples, & tam nudus; tam occultus & tam apertus; tam affixus, & tam liber ac triumphans! Quid hoc sit, Deus ac Dominus meus, tu solus doces, tu solus intelligis plenè, tu solus das sentire. Amor, qui te ad hoc impulit, faciat, ut hac ipsâ horâ mihi concedas hanc separationem ab omni re, & hanc unionem tecum: ille me separet à meipso, & faciat oblivisci omnium, quę sejungunt à te; ille faciet, ut quidquid non video in te, mihi sit grave. Muta, Domine Deus meus, hanc ignominiam; vivas tu, & me crucifigant pro te; & si in hoc petendo sum nimis audax, amor tuus est, qui me docet hoc petere. Et si hoc fieri non potest, i sanè, mi bone Jesu, ad desideratam crucem tuam, & cruci affige tecum cor meum. Accende me, & separa me ab omni re mundi: conjunge in eâ me tibi; quia tu es gloria mea, tota spes mea, & thesaurus meus.

O Vir-

O Virgo purissima, quæ plus aliis amas, & per amorem purior es ab omnibus rebus terrenis; impetra mihi hoc, quod experiris in te ipsâ de hac Veritate. O Cives cæli, capti solùm amore hujus Domini, & ipso contentissimi, spargite unam scintillam vestri ignis in cor meum, ut absumat omnes fæces terræ, & liberer omni affectu terreno, & præda fiam amoris erga hunc Dominum ac triumphatorem.

EXERCITIUM
Ad Dominum, dum Cruci affigeretur.

I.

JAm crux parata est, anima peccatrix: accedit ad eam divinus Agnellus, ut videat, & experiatur tormenta sibi parata. O mi bone JESU! quare vis ista subire? jam consecrata est crux hæc à sanctissimis humeris tuis, quibus eam portâsti: jam gratum & honorificum est in ea pati: jam nos peccatores possumus accipere ab ea remedium malorum nostrorum. Satis, ah satis est, Domine, quod jam passus es: manda, ut ego affigar in ea, & moriar, tu vivas. Manda hoc, ut Judex; & patiar ego ut peccator. Quiesce nunc à tantis tormentis, & incipiam ego pati pro te: quia id magis convenit mihi. Aut si tuus amor hoc non fert, per ipsum te oro, ut affigatur tecum cor meum, ne amem, aut quæram ullam rem aliam. Fac ut te cognoscam in ista cruce, in ea te amem, te quæram, in ea te inveniam ac possideam. Vide, anima, crudelitatem, quâ Dominum tuum affigunt, & jubent ut se extendat in cruce; & mansuetudinem, quâ eis obedit: ut metiuntur foramina, & ferreos clavos adigunt sine misericordiâ per nervos ac partes tenerrimas: & si potes, senti dolores illos immensos: si non potes, desidera saltem, & roga Dominum, ut tibi det sentire illos in corde, quos ipse patitur in sacratissimo corpore. Emolli Domine, duritiam cordis istius, ut penetrent illud hi clavi, & ego in anima sentiam tuos dolores, quos tu solus vis pati in corpore. Non maneat cor meum sine dolore, quem tu propter me pateris, ut accendar amore tui, gratus sim, & oderim peccata mea, quæ te huc adegerunt. Sis, obsecro, liberalis erga me in

Cor nostrum cum JESU crucifigendum.

eo, quod peto: quia non possum sentire tantos tuos dolores, nisi per infinitam misericordiam tuam mihi des hanc gratiam.

II. Extendit se divinus Agnellus in ara crucis, ut affigatur in ea: expandit amorosissima brachia sua, & sanctissimos pedes, oculos autem elevat in cælum, ac sine voce clamat fortiter in auribus Patris æterni, offerendo se pro nostris peccatis, & amoroso ac tenero corde sic loquitur: O Pater mi, glorifica me in hac hora, in quam veni ex obedientia tua: recipe me in vivum sacrificium pro toto genere humano. Ignosce peccatoribus, pro quibus tibi satisfacio: accende amorem tui in toto mundo: converte ad me animas errantes, & dilata gloriam nominis tui. Non desit mundo, quod ipse non meretur, quia ego pro toto mundo tibi offero. Mitiga iram tuam: aperi thesauros misericordiæ tuæ: nemo sit expers gratiæ tuæ: quia pro omnibus offero tibi hunc sanguinem, corpus & vitam in cruce. Aspice, Pater æterne, cor meum, ut ardeat amore animarum, ac desiderio moriendi pro illis. Et ego, Domine, mereor, ut attrahas omnes in hæc brachia, quæ tui amore ad eos recipiendos expando. Venite ad me omnes, qui estis in peccatis, & ego vobis ignoscam: Venite omnes afflicti, & ego vos consolabor; venite omnes errantes in hæc brachia, & ego vos recipiam: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.*

Ejus pro Peccatoribus oratio ad Patrem.

Matth. c. 11. v. 28. & 29.

III. O bone Jesu, & bone Pastor hujus animæ errantis! ecce me, recipe me, Domine, in brachia tua; quia vocas me. Da mihi hunc amorem, & hanc humilitatem, ad cujus imitationem invitas. Subjice tibi totum cor meum, & aufer tecum: imprime in anima mea tuam virtutem divinam, ut semper te proximè sequar, & nunquam à te recedam. Sufficiant anni, quibus fui surdus ad voces tuas, Domine, quibus me intus vocabas. Aperi nunc aures meas, ut audiam & sequar te. Non potes exhibere mihi majorem amorem, quàm ut sinas te affigi cruci, ut moriaris pro me. Ergo Salvator animæ meæ, noli mihi negare fructum horum dolorum: da mihi id, propter quod me vocas: largire mihi Spiritum tuum, recipe me in gratiam, & semper tene manum

Maximum nobis in cruce amorem exhibuit.

num supra mē: quia novisti quomodo consueverim te dimittere: vides, quantam causam habeam timendi meipsum, neque confidendi nisi in te. Ergo, mi Pastor bone, obedio voci tuæ: en! ovis perdita redeo ad obedientiam: recipe me iterum: fac ut obediam semper tuo Spiritui usque ad mortem, & absque omni resistentiâ.

IV. O Pater æterne! tu scis, me non posse elevare oculos ad intuendum te, præ pudore, ac pondere malorum meorum, & gravium peccatorum. Miseriæ hujus animæ sunt manifestæ divinis oculis tuis: grandis est ira, quam mereor, quòd Unigenitum tuum induxerim in hunc statum. Si observaveris peccata mea, nullum habeo remedium vitæ; quia non merentur veniam. Sed ideo mihi dedisti hunc Agnum divinum, flagrantem amore mei, ut immoletur in hoc altari crucis pro meo remedio. Ipse est Filius tuus, qui semper in omnibus implevit voluntatem tuam: ipsum dedisti mihi pro Magistro & Pastore: ipsi me commendâsti, ut eum accedam, & ab eo accipiam, quidquid mihi defuerit. Quando cum ipso tibi me sisto, non potes me non recipere; quia tibi placet in omnibus rebus; & tu vis nos per ipsum redire in gratiam tuam. Illum ego tibi offero in vivum sacrificium, & cum eo tibi offero peccata mea, & omnia mala ac miserias hujus animæ. Per illum debes mihi exhibere misericordiam, & ignoscere peccata mea: per illum dare mihi tuum amorem, ac detestationem culparum mearum: per illum tribuere mihi Spiritum tuum, ut in omni re imitari possim hunc divinum Agnellum. Recordare, Domine, quòd ipse dixerit, te non posse negare spiritum bonum petentibus te. Hunc Spiritum, Domine, jam peto: & si ex mea parte non mereor exaudiri, suppleat defectum virtus sacrificii hujus Agnelli, quod offero tibi. Da mihi Spiritum amoris, Spiritum humilitatis, Spiritum mortificationis, Spiritum oblationis & resignationis perfectæ in voluntatem tuam, Spiritum intelligendi & imitandi, quod ipse me docet. Ejus tantùm Spiritus vivat in me; & fugiant omnes alii spiritus, qui me separant à te. Ipsi me configam, ut semper eum sequi possim: doce me cum ipso mori pro te: obtura sensus meos & cor meum contra res mundi, & fallacias ejus; & reclude illos tantùm huic Domino, ut regnet in hac

In ea pro peccatis nostris immolatus,

Supplet defectum sacrificii nostri,

in hac anima, & illa semper te amet, tibi serviat, à te possideatur, ac te possideat.

V. Ergóne, mi bone Jesu, Domine animæ meæ, vis omnino affigi ad istam crucem? nónne meliùs occuparentur hi pedes obeundo terram, & convertendo multas animas? & hæ divinæ manus nónne meliùs distinerentur illuminandis cæcis, curandis infirmis, erigendis mortuis, & levandis necessitatibus mundi? ergóne, Domine, ab illis operibus cessans, vis affixus pati, & amittere vitam, peccatoribus tam necessariam? Adoro te, divine Magister, & infinitas gratias ago, quòd me tot modis doceas occultam veritatem ac sapientiam crucis. Dum pedes & manus tuas tam necessarias animabus, pro quarum salute venisti, doces, eis plus profuturas patiendo in cruce, quàm nescio quæ miracula, & opera heroica patrando in libertate. Maximum opus, quod fieri potest, & gratissimum tibi est, amare, & id agere, quo amor magis ostenditur; atque hoc ipsum est, pati usque ad mortem. Hoc tibi placet super omnia, hoc plurimi pendis; in hoc reponis omnem substantiam ac pondus ejus, quod ab animabus exigis; hoc est, quod agis ipse, dum vivis, & in quo vivere desinis.

Nemo dilectus DEO nisi crucifixus.

VI. O Sapientia æterna! imprime mihi hanc veritatem, quæ tibi tantopere placet, & quidquid illi adversatur, habes pro ludibrio. Quando anima est in dolore, & in cruce, caro illi subjecta est, vitia non regnant, appetitus in freno sunt, homo totus interior & exterior subjacet crucifixo, & plenè tibi deditus, obedit, te laudat, & amat. Non est sanctior ille, qui accipit majores favores, gustus & solatia; neque magis tibi placet, quem visitas continuis gustibus, nisi totus sit crucifixus. In tribulationibus, persecutionibus, derelictionibus, ærumnis, crucibus, desolationibus, qui tacet, sustinet, perseverat cum amore, hic est tibi dilectus, hic gratus, hic sanctior, hic pluris apud te pretii. Qui huc pervenit, potest dicere, se profeciisse: & hic plus boni facit, plus fructificat in domo tua, quàm omnes alii, qui aliâ viâ pro te laborant.

VII. O Ignis divini amoris, qui revelas hanc veritatem in hoc Domino, quid agis, quòd me non comburas, non me crucifigas

figas cum ipso, & me sinas otiosum, cùm sua divina Majestas sit plena doloribus? O Domine animæ meæ! cùm hæc sit vera sapientia tua, non me sinas vivere in tenebris: illumina me in illa, & cùm videris me in occasione illam exercendi, non me sinas tergum vertere. Recipe me in tuum deinceps, & non permitte me recedere ab hac via, quam mihi ostendis. Da Domine tuas consolationes his, qui merentur, ac fideliter tibi serviunt; mihi da tuum amorem, & cum eo me crucifige, donec mutes me totum per amorem, ut non vivam, neque delecter, nisi patiendo pro te. Volo, mi bone Jesu, parùm obire tuam crucem, ut aliquid mihi gratiæ facias ex quolibet dolore, quem tibi inferunt clavi.

vera consolatio nostra sit amor crucifigens.

AD MANVM SINISTRAM.

ADoro te, sacratissima manus, quæ condidisti cælum ac terram; quæ semper suscepisti peccatores, & sustentâsti omnes, qui cum amore reclinârunt in te caput: ut in te quiescerent. Jam, Domine, quia hæc est prima, quæ affigitur, quia vicinior divino tuo amori, & inflammato cordi, ac proinde majorem quoque experta dolorem; præcipe, ut cum illa simul affigant improbum & miserabile cor meum. Recordare, Salvator animæ meæ, quòd non exigas aliud ab homine, quàm ut præbeat tibi cor suum; quia tantùm in manu tua securum est. En hîc meum, Jesu mi bone! accipe illud hâc manu, ut simul configatur cum ea in cruce, ac semper maneat illi affixum, ne possit unquam ab ea separari. O quanta erit felicitas mea, si illud acceperis! ô quàm ero beatus, ô vita cordis mei, si illud acceptaveris! vides Domine, illud abire in mortem, si extra hanc manum fuerit: vides id pessum ire, si liberè tendat, quò lubet. Accipe illud, alliga, confige tecum, ô mi Jesu, & amor animæ meæ!

Solum cor à nobis Deus exigit.

In quo sola vivit.

AD MANVM DEXTERAM.

ADoro te, sacratissima dextera Domini mei Jesu Christi. Tu es robur omnium debilium: tu es illa, quæ distribuis thesauros: tu illa, quæ monstras bona, & in quam intenti semper sunt oculi miserorum, expectantes à te auxilium. Non amittit, bone Jesu, potentiam ac vires tua manus divina, cùm siniseam

In manus Domini fiducia nostra collocanda.

affigi : imô assecurat confidentiam , quam habere debemus in ipsa. Confige cum ea , Domine , hanc miserabilem carnem , & flaccidam terram , tam timidam aliquid patiendi pro te , & tam animosam ad malum , ac debilem ad tua obsequia. Affige illam, Domine , cruci timore tuo : freno constringe ejus appetitus ac desideria : consume in ea legem contrariam spiritui & amori tuo : mortifica in ea gustus adversos cruci. In te , ac pro te vivat semper spiritus crucifixus , ut tota ejus malitia , mollities & miseria consumatur.

AD SACROS PEDES CHRISTI.

Pedes Crucifixi nos viam docent veritatis.

ADoro vos , ô sanctissimi pedes , fatigati multis itineribus pro me factis , qui portâstis Dominum usque ad crucem , in qua propter me suffigimini. Corrige , Domine , errores , ac distorta itinera , quæ hactenus feci : duc me per viam veritatis & legis, quam docuisti. Cum his pedibus affige devios gressus meos , ut mihi condonentur. Confige simul desideria & affectus animæ, ne seducantur per vanitates & peccata , sed sequantur semper vestigia pedum tuorum. Virtus hujus sanctissimi sanguinis decurrat per corpus meum & animam , ut me sanctificet ac purificet, mutet ac totum transformet in te. Exalta me simul tecum affixum in ista cruce , mi bone Jesu , nec sinas me develli ab ea , donec in me perficias , quæ in ea me docuisti ; ut mortificatus , & plenus amore tui faciam semper tuam voluntatem.

O Mater Dei sacratissima ! per illos dolores , qui penetrârunt cor tuum , quando audivisti ictus malleorum , quibus affigebantur manus ac pedes Unigeniti tui : impetra mihi ab eo , ut sim ei socius in cruce , nec ab eo unquam sejungar. O Curia cælestis, opus & factura plagarum istarum , adjuva hunc peccatorem , & impetra mihi à Domino , ut solùm his vulneribus , & in eis vivam super terram , cùm per ea tu regnes in cælo. Et quia gaudes fructibus horum sacratissimorum pedum, & manuum affixarum cruci, fac, ne illis caream, sed merito eorum obtineam societatem tuam, ad quam fui creatus. Amen.

EXER-

EXERCITIUM
Ad erectionem Crucis.

I.

APeri, bone JESU, meos oculos, illumina meum intellectum, emolli animam meam igne amoris tui hâc horâ, ut sentiam in me crudeles dolores, & ingens tormentum, quo te nunc afficiunt, crucem elevando in altum. Cùm hæc, Domine, patiaris pro me, fac ut sentiam in corde meo dolorem, quem pateris pendens à tribus clavis, luxatis omnibus membris tui sanctissimi corporis. Fac, Domine, ut anima mea sentiat cum dolore crudelitatem & clamores, quibus te elevant; ictus, quibus crucem firmant, ac stabiliunt: quibus omnibus renovantur & augentur tui dolores intensissimi, in omnibus juncturis, nervis & ossibus omnium partium corporis, quibus simul torqueris. Et tu immaculate Agnelle, suffers omnia, nihil dicendo, recusando, lamentando, vel reluctando.

In corde sentiamus dolorem, quem Dominus in corpore pertulit.

Cruce jam erecta.

II. Adoro te, Fili DEI vivi, Deus cordis mei, & amor animæ meæ! adoro te, Gloria justorum, & Corona beatorum! adoro te, Thesaure omnium supernorum bonorum! adoro te, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, pro me affixus in hac cruce! adoro te, Arbor veræ vitæ, plena fructibus gratiæ & gloriæ, in Domino isto reclusis! Hîc adoro prostratus coram te, & agnosco te pro unica spe mea, in quo habeo, quidquid possum desiderare. Si me experiar pauperem, tu pro me satis es dives; si peccatorem, tu es Redemptor: si captivum, tu me liberas: si miserum, tu es misericors: si tepidum, tu ardes amore. In omni mea necessitate invenio te, bone JESU, plenum remedio & voluntate succurrendi mihi in omnibus rebus. Amo te, Deus animæ meæ, ac desidero te multò magis amare.

In eo invenitur quidquid desiderari potest,

III. O si ex oculis meis fierent lampades, è sanguine meo oleum, è nervis & venis lychnus, ac totus amore tuo arderem intus & foris! parùm id esset pro eo, quod tibi debeo, videre me

Triumphat Amor.

tecum crucifixum : & quia talis non sum, utinam velis, mi bone Jesu, videre me totum accensum tuo amore ! ô amor ! qui sic triumphâsti divinum Agnellum, & fecisti in eo, quidquid voluisti ! Nunc magnus es, nunc contentus, nunc triumphas, quia tenes eum in dolore, ardore, amore. Adoro te, Amor divine, infinite, æterne, supreme, dives, potens, pulcher, affluens omnibus bonis ! combure me vi tuâ, & transforma in hunc Dominum. Adoro te, dulcis Jesu, suspensum in alto, plenum divinis operibus ! Non es tam sublimis, Domine mi, ut subitò possis fugere in cælum, ac subtrahi oculis nostris : neque tam humilis, ut aliquid è terra possis attingere ; quia tecum habes unicam divinitatem tuam, & immolas corpus tuum pro me. Divina tua Virtus affert cruci omnia bona cælestia, & penetrat usque ad inferos, ibíque finem facit expectationi & exilio tam longo justorum, te expectantium, ut eos tecum perducas in gloriam. Ibi exerces judicium, & condemnas inimicos tuos : aperis portas cæli, ignoscis peccatoribus, eos reconcilians Deo. Ibi congregas filios, quos habes dispersos in mundo ; laceras sententiam mortis æternæ contra genus humanum ; sanctificas ærumnas hominum, & facis, ut sint via certa ad gloriam : inflammas corda, illuminas tenebras ac cæcitatem mundi, ac te, ô thesaure gloriæ, præbes omnibus, qui te volunt, & quantum volunt, & eo modo, quo te indigent.

Iesus aliàs ignotus, in Cruce ab omnibus cognosci voluit,

IV. O Vita animæ meæ, quænam hæc est insolita mutatio ? quid hodie te faciunt ? natus es velut in secreto, visus & adoratus à paucis pastoribus, ac tribus Regibus : agnitus in templo solùm à duobus, vel tribus justis : triginta annis ignotus fuisti, tribus ab unâ civitate ibas in aliam, resuscitatus velut in occulto paucis apparuisti, nec diu ; ad cælum ascendisti in oculis paucorum, neque diu duravit aspectus gloriæ, ad quam ascendisti : sed affixum cruci te video in alto, publicè, in monte, ipso meridie, tempore Paschatis, ad quod frequentes convenerant undique, inter latrones, brachiis expansis, plenum dolore & amore. Benedicaris, Domine, lauderis & glorificeris in æternum à cordibus omnium, & ab omnibus creaturis ! Omnia opera tua finem habent, omnia absolvisti ; sed à cruce separari non vis : non agis de testa-

Ab ea ægrè separatus,

testamento, neque de sepultura; nihil aliud cogitas, quàm pati, dolere, amare; & hoc vis nos docere. Hîc vis æquè cognosci ab omnibus absque discrimine, neque vis ut imitentur te in honore & gloria, sed in cruce; & in hac vis adorari, laudari, amari.

V. O Deus cordis mei, tam dives, tam liberalis, tam largus, tam pulcher! quis te amor hominum cepit? quid invenisti in nobis, ut sic nos amares? si ex me judicium formare deberem de aliis, multas invenio causas, cur nos horreas; non enim amavi te toto corde, cùm tu id solus merearis ab hac anima. Non te quæsivi desiderio vivo tibi placendi, ac serviendi totis viribus; sæpe te offendi, non obediendo legibus tuis; vixi ad libitum carnis meæ; feci voluntatem inimicorum tuorum; semper fugi pati pro te, ac tecum; semper tepidus fui in spiritualibus rebus, semper promptus & alacer ad terrenas; ignarus cælestium, negligens & languidus in servitio tuo, diligens in propriis oblectamentis. Talis ergo cùm sim, ac multò pejor, quàm possim dicere, quid inveniſti in me, ut me sic amares? ô amor sine mensura, sine lege, sine ratione, plus quàm amans & urens; quia divinus es, ideo me sic amas, & quia vidisti me ita corruptum, & expertem omnis alterius remedii. Ut mihi medearis, te crucifigis; ut me salves, te immolas; ut me mutes, has tantas mutationes in te susci pis. O divine amor, quid potero dare in satisfactionem pro tam excessivâ Charitate? teipsum, qui es infinitus, do tibi pro me; quia nihil video, quod plenè tibi possit placere, nisi teipsum, cui me uniendo totum offero tibi. Peccata & miserias, quæ sunt propriæ facultates meæ, abjicio ad pedes crucis istius; corpus & animam, quæ mihi dedisti, in manus tuas repono sicut sunt, & injicio in hunc ignem, quo pro me, mi bone Jesu, consumeris.

Solo amore pro nobis mortuus.

VI. Recordare, dulcissime Jesu, quòd mihi promiseris, te, cùm exaltatus fueris à terra, omnia tracturum ad teipsum. Quamvis ergo per mea peccata pejor sim nihilo, non ideo desino esse creatura tua, & opus manuum tuarum: & quia te, Domine mi, pendentem in cruce habeo pro pignore omnium bonorum, quæ promisisti; sic tu pro pignore, quòd omnes simus peccatores, indigentes tuâ misericordiâ, habes duos latrones, in quo-

Fiducia peccatorum.

quorum medio pendes. Cùm itaque, Domine, jam omnia trahas ad te, fac ut ego non sim extra numerum eorum: trahe me ad te, Deus meus: conjunge me tibi, & muta me totum in te. Triumpha me, Domine, sicut amor te triumphat; monstra gloriam potentiæ tuæ, ac thesauros misericordiæ tuæ, transformando me totum in te crucifixum. O Jesu, Domine animæ meæ! da mihi, ut solus tu regnes & vivas in ea; & ego vivam crucifixus in te: lucrum meum sit, mori pro te, & in te vivere sit vita mea. Non discedas à corde meo, nec discedat unquam à te cor meum, nec desiderium meum, nec amor meus. Hoc momento, quoad me, desinant omnia; & solus tu, Jesu mi crucifixe, maneas mecum; quia tu es amor animæ meæ, vita omnis mortis meæ; unicum bonum meum, omnis felicitas mea, Jesu. O amor! ô Jesu! ô mi crucifixe Jesu! nescio loqui, nec petere aliud; omnia quoad me desinant; solus tu, Domine, loquere, vive, regna, posside, ure, combure cor meum; quia sum, & ero pòst semper tuus, ô Gloria mea, ô spes mea, ô mi crucifixe, & vere amice Jesu!

Tota felicitas suorum

ÆRVMNA XLIV.

Mora Christi in Cruce.

I.

Quantùm Redemptori doluerit lenta mors.

MAxima, plurima, & incomparabilia sunt, quæ Dominus noster Jesus Christus pertulit in cruce, dum in ea pependit. Unum è præcipuis fuit, quòd lentè cogeretur mori, & aliquot horis morari in illis doloribus; quibus etsi potuisset extingui celeriùs, quia totus debilis, exanguis, & exhaustis viribus in eam suffixus est, ac tormenta fuerunt intolerabilia; sustentavit tamen humanitatem vi Deitatis, ne moreretur antè, quàm pertulisset, quidquid pati decreverat. Atque ut inter illa nihil habuit refrigerii, sic dilatio mortis immensum creavit ei dolorem. Nam si caput acclinaret cruci, altiùs penetrabant spinæ coronæ: si nusquam acclinaret, multò magis sentiebat dolorem, quem acclinatio lenire potuit, si absque spinis fuisset: si caput inclinaret, videbat multa, quæ contristarent, mœrorem amicorum, inimi-

inimicorum gaudium, vestimentorum direptionem, ipsam denique loci fœditatem. Jam si pedibus niteretur, aut manibus, dilatabantur vulnera, & clavorum acie lacerabantur: si verò nec manibus committeret pondus corporis, nec pedibus, sed quasi libratum teneret in aëre, luxabantur omnes compages, laniabatur caro, dissoluebantur ossa, aucto semper dolore, & manante sanguine, debilitate crescente: atque ita singula simul membra, singulæque juncturæ corporis inexplicabilem dolorem creabant: & quò longiùs vita producebatur, eò magis deficiebant vires, & in singula momenta dolores augebantur, quorum continuata intensio tormentum planè intolerabile fuit: nam ab hora prima (apud nos sexta matutina) usque ad meridiem, quæ ab ortu solis tertia fuit, raptârunt Jesum ad Pilatum, & Herodem, flagellârunt, spinis coronârunt: & cùm damnatus esset, eductum ante horam sextam, sive circa undecimam nostram, affixerunt cruci, in qua vixit usque ad nonam, quæ est tertia post meridiem. Quo tempore, sole obscurato tenebræ fuerunt in toto mundo, ac terra tota contremuit, ruptæque sunt petræ, & aperta sepulchra Sanctorum, postea resuscitatorum cum Domino, & à multis conspectorum in testimonium fidei nostræ.

II. Sed licet hæc prodigia voluerit esse argumenta suæ majestatis ac potentiæ, quibus elementa suo modo indicarent gravitatem injuriæ suo Creatori, & Salvatori mundi illatæ per hanc mortem injustam; nihilominus etiam per illas tenebras voluit spoliari illo solatio, quo lux mœstorum animos recreare solet. Ac forsan ille terræ motus crucem non parùm concussit, novo ipsius dolore; cùm à nulla molestia se eximium esse voluerit. Admirabile prorsus, corpus humanum tam exhaustum & infirmum, inter tanta tormenta, in cruce spirâsse tot horis, absque ulla refocillatione, quam à sola morte poterat accipere: quæ tamen ipsa differebatur tam diu. Id quod maximum fuerit omnium tormentorum. Licet autem Pilatus, quando petebatur ab eo corpus Domini, miratus fuerit, eum jam esse mortuum; ea tamen admiratio fuit hominis, cui parùm dolebant verba, Domino in ædibus ipsius inflicta, quæ sola ad enecandum suffecerant robustissimum

omni solatio in cruce destitutus est.

ſtiſſimum quemque. Talis certè, ac tam debilis, maléque tractatus exivit è domo Pilati, ut magis divinæ virtuti, quàm humanæ, tribuendum videatur, eum tam diu ſupervixiſſe.

Vilis conditio tortorũ.

III. Acceſſit ad gravitatem & ignominiam ærumnarum Domini, vilis conditio hominum, in quorum manibus erat filius Dei, Rex cæli & terræ. Viles omnino fuerint, qui pro ſpolio & lucro reputabant partem non pretioſorum, nec recentium veſtimentorum, & pro tunicâ, quòd inconſutilis eſſet, mittebant ſortem, quolibet eorum, quaſi inopiæ ſuæ aliquod levamentum ex illa ſperante: & fieri poteſt, ut ille, qui potitus eſt, magno ſe bono auctum putârit. Hæc gens tam abjecta filium Dei vivi manibus indignis attrectavit, flagellavit, raptavit, crucifixit cum omni illa cruditate & indignitate, quam ab ejus farinæ belluis potiùs, quàm hominibus erat expectare. Et inter hos fuit ei vivendum uſque ad mortem, quorum improba & immania corda, cum abſurdiſſimis dictis & geſtibus non parùm auxerunt ejus moleſtias, præſertim inter extrema, ubi decuerat exhiberi illi alia omnia.

IV. Atque ut mare ærumnarum, quas totâ vitâ ſuâ Dominus noſter ſuſtinuerat, his ultimis horis majore furiâ in maximos fluctus efferbuit, ſic dolores corporis ejus immenſi, & pluribus rebus contriſtantibus cumulati fuerunt; ut mirum ſit, cor tenerum, & ſenſu compaſſionis præditum, intuentis innocentem & mitem Agnellum illis circumdatum & obrutum, non ruptum diſſilire in fruſta. Sed Ipſe divinus Agnellus his modis demonſtrare voluit amorem, quo erga nos erat, ut nos ad redamandum ſe viciſſim permoveret. Luculenta ſanè verò demonſtratio, cùm ſacratiſſima ſua Humanitas tota his ultimis horis impenderetur noſtræ ſaluti & commodis, omnibus oſſibus, compagibus, nervis, venis ac partibus inter ſe certantibus, quænam plus doloris & mali ſentiret; ut videamur cuilibet minimæ parti tantum debere, quantum ſimul omnibus, dum unaquæque tantùm occuparetur in noſtra ſalute paranda, quantùm ſimul omnes, ac totum adeò corpus. Illi verò ſenſus, qui torqueri non poterant, non caruerunt ſuis moleſtiis: oculi ab aſpectu amicorum & inimicorum, aures à blaſphemiis & irriſionibus, odoratus à loci ſpurcitiâ &

Nullus ſenſus dolore caruit in Chriſto.

fœto-

fœtore, gustus ab aceto & felle, tota denique Humanitas à defectu omnis solatii & auxilii. Quæ omnia sustinuit Dominus, ut promereri posset nostrum amorem: precor, ut hic tantus labor & impensa sine fructu non sit: nec moriatur ipse pro obtinendo nostro amore, & nos moriamur sine amore ipsius. Certè non potuit Christus pro nostro amore promerendo plus facere, si nos ipsius Deus essemus; & nos, qui ipsum habemus pro Deo, fortè nullius rei majore oblivione tenemur, quàm debiti ipsi amoris. Et sua Majestas, quæ hoc noverat, quando moriebatur, majorem ex eo dolorem capiebat, quàm ab ipsis suis tortoribus. Atque hæc disparitas inter illum & nos talis est, ut unumquemque relinquat, qualis est; illum infinitæ bonitatis, & amicum fidelissimum; nos ingratas & inutiles creaturas: illum morientem amando, nos autem intereuntes non amando.

V. Non omisit Christus inter hos dolores exercere divina. Primò enim adimplevit perfectè, quod promiserat, se exaltatum à terra omnia tracturum ad se. Quod fecit non solùm aperiendo cælum, satisfaciendo pro peccatis, ex cælo ac terra faciendo unum gregem, ad unum ovile spectantem per unitatem amoris; destruendo potentiam inimicorum animæ; conferendo nobis infinitos thesauros meritorum: sed etiam devinciendo sibi suavitate ac lenitate corda omnium, ut in ipso quærant omnem requiem, & salutem. Nam ut magnes amabili vi quadam attrahit ferrum & chalybem; succinum, siccam paleam; ita crucifixus Agnellus ad se quærendum provocat omnes in necessitate constitutos. Licet enim in ipso nihil videamus, nisi dolores ac derelictionem, quæ naturâ suâ nos absterrent, & procùl absunt à desideriis nostris; nihilominus in cruce sua sic omnia temperavit, ut, quod asperum & acerbum est, sibi retinuerit soli; sed hi, qui cum amore accedunt, tam benignum inveniant ac suavem, ut videantur spinæ verti in rosas, dolores in flores, clavi in lilia, pœnæ in delicias, vulnera in dulcedines, labor in quietem, tormenta in refrigerium, mors in vitam tranquillam. Sic docet pati, ut non terreat: sic imponit crucem, ut non gravet: sic invitat ad sui imitationem, ut adimat metum; quia quidquid in eo videmus æru-

Corda humana ad se attrahit,

Tormenta sua nobis in delicias vertit,

mnosum, videtur in ipso consumi, ac perdere suam asperitatem; ut quidquid ab eo crucis accipimus, totum sit politum, pulchrum, suave, gratum & jucundum. Et sic est revera, ut dum amor mundi & hujus vitæ nos retrahit à crucifixo, ejus familiaritas & imitatio videatur nobis amara, tristis, adversa naturæ: sed quando ad eum accedimus, agnoscamus deceptionem, in qua vixi-mus; & sic induamur suavissimis laqueis ejus amoris, ut desideremus pati cum ipso, ac putemus quodammodo non posse nos aliquid pati; quòd totam acerbitatem sibi reservans, nobis non nisi dulcedinem ac suavitatem reliquerit. Probari hoc potest ex eo, quòd illi, quibus Deus dat gratiam petendi labores, tentationes, desolationes internas, vel hæc simul omnia, experiantur se ita illaqueatos virtute hujus agni crucifixi, ut non sufficiat eis, nullam consolationem extra illum quærere in creaturis, & in medio miseriarum sentiant securitatem & quietem, quam creaturæ dare non possunt: ac demum ipso experimento clarè comperiunt, acerbitates & cruces, quas ferunt, esse proprios fontes, unde scaturiunt suavitates, consolationes, & tranquillitas animæ suæ.

Pro nobis Patrem interpellat.

VI. Implevit præterea Dominus inter sua tormenta opus Redemptionis nostræ perfectissimè & cumulatissimè. Videns enim se constitutum in cruce, velut in loco & tempore reconciliandi nobis Patrem æternum, non cessavit cum lacrimis uberrimis, & calidissimis petere nobis gratiam, offerendo in satisfactionem omnia sua tormenta & sanguinem: & fixis in cælum oculis penetrabat pectus & viscera Patris. Apud quem tanti fuit hæc ejus petitio & oblatio, ut impetraverit liberalissimè, quidquid voluit: ut, cùm integrè satisfactum esset justitiæ divinæ, copiosa venia sit jam peccatoribus, maximi meritorum thesauri, cælestes favores ac gratiæ, victoria perfecta de inimicis; terra sit schola suorum filiorum, & campus glorioforum certaminum ac triumphorum; cælum denique pateat omnibus intrare volentibus. Et quia sententia mortis hactenus obstabat his bonis, per quam propter peccatum primi parentis, eramus omnes subjecti peccato, diabolo & morti, ex lege inscripta nostræ carni; cassavit hanc sententiam Redemptor noster, affigens cruci carnem suam innocentissimam,

Obliterat sanguine suo chiro-

tissimam, quam acceperat ab Adamo, & eâ laceratâ in frusta, obliteravit sanguine suo Chirographum damnationis, scripsitque in seipso nova pacta cum Deo, & fœdus pacis æternæ per novum Testamentum, nos constituens hæredes regni cælestis, atque ut tales admisit secum in partem bonorum cælestium, tanquam filius naturalis, ac primogenitus in multis fratribus. Quia verò testamentum ante mortem testatoris non valet, ultimam suam voluntatem ipsâ morte consignavit, per quam sumus facti veri & legitimi hæredes æternæ gloriæ. Ideo lex Evangelica vocatur novum Testamentum, quo abrogatum est vetus illud Mosaicæ legis, novo per mortem Christi firmato: & sanguis ejus dicitur sanguis novi & æterni Testamenti; quia post mortem Testatoris nulla potest fieri in illo mutatio; & quia pretio sanguinis ejus liberati sumus à potestate diaboli, & asserti in libertatem filiorum Dei, recuperato jure ad ea bona, quibus per peccatum excidimus. *graphum damnationis,*

VII. Quia verò sciebat Redemptor, quantùm interesset suam legem atque doctrinam servari, ne excidamus iterum bonis à se nobis impetratis, & quantæ simul essent fallaciæ & insidiæ nostrorum inimicorum, quos ita quidem subegerat, ut eis tamen licentiam exercendæ nostræ virtutis non prorsus ademerit; non omisit inter lethales dolores bene exprimere in se ipso, ac declarare veritates præceptionum suarum, & fraudes inimicorum; ne quis prætendere posset, se ignorâsse conditionem, quâ cælestis hereditas adeunda sit. Unde manifestè improbavit atque damnavit in seipso omnem superbiam & inobedientiam legis divinæ, voluptates & superfluas delicias carnis, vanitatem vitæ ac temporalium rerum, & quidquid retrahit à servitio Patris æterni: & in summa, quidquid convenit nobis virtutis, amplissimis exemplis ostendit nobis in cruce. Præterea pretium & valorem dedit odio peccati, puritati conscientiæ, crucibus & ærumnis, abnegationi propriæ voluntatis & judicii & oblectationum vitæ, patientiæ rerum adversarum, humilitati & mansuetudini cordis, paupertati spiritûs, amori inimicorum, pugnæ contra tentationes, perfecto amori Dei & proximi. Denique quia omnia dici non possunt, dedit se pro speculo vitæ, ut clarè in ipso intueamur veritates *Quas divinus Magister in cruce leges tradiderit,*

Evangelicas, & nemo se decipi sinat: quia nihil probabitur in divino judicio, nisi quod fuerit probatum in cruce.

EXERCITIVM
Ad Christum viventem in Cruce.

I.

Se, & omnia dedit IESVS.

TOtus es meus, totus es meus, opulenta spes animæ meæ! totus impensus meo servitio, & meæ saluti. Totum, quod accepisti ab humanitate nostra, redit in magnos tuos labores cum lucro & auxilio meo; ut propter bona tua me pauperem reputare non possim. Mei nihil indigebas, quando suscepisti meam naturam, & eam totam impendis meæ saluti, totâ pro me pateris, totâ mihi servis, ut lucreris amorem cordis mei. Et quia, Domine animæ meæ, totum das in pretium Redemptionis meæ, non es contentus totam dare, ac totam simul pati; sed vis, ut patiantur singillatim omnes partes ejus, & unaquæque flagret vivis flammis amoris. Das mihi tuam Divinitatem, plenam infiniti amoris: & infinita est virtus omnium, quæ mihi das & pateris pro mea salute. Das mihi tuam Humanitatem tormentis vexatam à capite usque ad calcem: caput spinis coronatum, cæsariem & barbam convulsam, genas alapis liventes, oculos tumentes lacrimis, & offensos aspectu tot rerum molestarum, os imbutum aceto ac felle, aures vexatas blaspemiis contra tuam divinam personam, collum fune raptatum & afflictum, ut caput sustinere non possit: manus & pedes clavis confixos, carnem laceratam flagellis, nervos crudeliter extensos, ossa dissoluta, vestimenta sorti subjecta, vires consumptas, vitam & honorem ad nihilum penè redacta inter duos latrones, cogitationes intentas meæ saluti: Matrem mihi relinquis pro Domina, Patrem æternum mihi concilias, merita tua mihi donas, gloriam tuam promittis, misericordiam offers, Justitiæ pro me satisfacis, animam propter me separas à corpore, mortem pro me oppetis, sanguinem usque ad ultimam guttam effundis pro me, & ardes totus amore, quo facis hæc omnia.

II. O superna opulentia mea! quantò meliùs observas tu erga me peccatorem præceptum amoris, quod mihi dedisti, quàm

ego

ego erga te Deum ac Dominum meum? Amas me ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute tua, ex omnibus viribus tuis, ex toto corpore, & omni eo, quod habes. Omnia impendis tam liberaliter, ut pro me accumules immensum thesaurum bonorum. O vera vita animæ meæ! O Domine cordis mei! non scio gratus esse tanto amori, non scio eum æstimare pro merito. Adoro illum, & laudo illum, quantùm scio & valeo: atque utinam habeam vires omnium Angelorum, omniúmque Sanctorum & justorum, ad amandum te cum illis & respondendum ingenti foco amoris, quem mihi ostendis! Sed tu Deus meus, facis omnia, sicut es, infinito modo; ego omnia, sicut ego sum, miserè: quamvis & hoc mihi dederis, ut faceres te infirmum cum infirmis, pauperem cum pauperibus, & similem peccatori cum peccatoribus, ut omnes cognoscamus, te non expectare à nobis paria & æqualia tuis; non enim habemus: sed esse contentum nostrâ inopiâ, & bonis desideriis. Ergo, Domine animæ meæ, quidquid à tua manu accepi, eidem consigno, & offero in sempiternum obsequium, corpus, animam sensum, vires, vitam & mortem, & quæ sola ex me habeo, peccata mea: quidquid etiam largitus es mihi donorum, amicorum, ingenii, habilitatis, cogitationum, bonorum naturæ, fortunæ & gratiæ; omnia ad pedes tuæ sanctæ crucis depono.

Contentus desiderio nostro.

III. Huc usque, bone Jesu, malè sum usus omnibus rebus: & cùm tu dederis omnia, ut iis tibi serviam, & promerear gratiam ac gloriam tuam, ego te omnibus offendi, & iram tuam ac damnationem promerui. Sed, ô mi Redemptor! quantùm possum, ex corde me converto ad te, & sisto me paratum ad omnem afflictionem, tribulationem, desolationem & ærumnam, quam volueris pro meis peccatis me pati, & subire in tuo servitio. Per hunc amorem, quem ostendis mihi, te oro, suscipe totum, ac dispone de illo, sicut tibi placuerit. Intra, Domine, in hanc animam: vide oculis meis, audi meis auribus, loquere linguâ meâ, & move omnia membra mea. Inflamma cor meum amore tuo, ne retrahas unquam manum tuam à me, neque sinas me incedere pravis itineribus meis. Ignosce, quæ perperam feci: purga & sana, quæ tibi non placent: transforma me totum in amore tuo,

Beatus, qui illo contentus vivit!

crucifige mè pro te, & in te, ô amor, ô spes mea! O Bonitas infinita, quandoquidem das mihi totum, quod es & habes, fac in anima mea, ut te solo contenta sit, solum te desideret, ad te suspiret, & ego velim te solum. Sis tu meus thesaurus, mea vita, meus honor, mea requies, mea pax, mea securitas, & mea gloria. Anima mea quærat te solum, acquiescat in te & in brachiis tuis inveniat suam requiem, oblita omnium rerum totius vitæ.

IV. O Unicum bonum, amor, & spes animæ meæ! quid hoc est rei? crux & horæ, quibus pendes in ea, tibi soli sunt graves, peccatoribus autem levamento, solatio & refrigerio. Quælibet hora lethalis erat corpori tuo, deficientibus viribus, & pondere corporis augentibus dolores & vulnera: irrisiones & injuriæ renovantur singulis quasi momentis, duritia crucis non mollescit, neque remittit rigor Patris æterni. Sol tibi negat lucem suam, undique afflictus es tormentis lethalibus. Pro solis peccatoribus nihil his horis invenitur triste: soli reperiunt in te amicum & solatium. O divine & innocens Agnelle, reservas tibi soli dolores? ita illorum es appetens, ut nolis in cruce inveniri, quod me cruciet vel terreat? ô benedictum amorem divinum, & laudabilem in sæcula! si ego sim servus, in cruce libertatem invenio: si circumder hostibus, habeo te verum & fidelem amicum: si in captivitate, crux mihi facit jucundam: si in afflictione, hîc me consolaris: hîc superas meos inimicos: si petar injuriis, hîc mihi efficis dulces: si falsis testimoniis, hîc æternam veritatem me doces: si me deserant amici, hîc ex inimico facis me Filium tuum: si temporalia desint, hîc ubertim provides mihi: si me persequantur homines, hîc me defendis: si iniquè condemnent, hîc me absolvis: si peccem, hîc ignoscis: si infirmer, hîc me confortas: si trister, hîc me exhilaras: si fugiam, hîc me revocas: si revertar, hîc me recipis: si quid ignorem, hîc me instruis: si cæcus sim, hîc me illuminas: si lapsus, hîc erigis: si frigidus in oratione, hîc das mihi fervorem: si fervens, hîc magis accendis: si proficiam, hîc mihi faves: si perseverem, hîc me coronas.

Operationes Crucifixi mortalibus.

V. Hîc habeo quietem & consolationem: hîc plango, & exhilaror: in omni occasione, in omni tempore, in omni statu es-

tu,

tu, mi JESU crucifixe, mea securitas, meus sincerus amicus, & fidelis socius, meus Magister sapientissimus, & mei amantissimus Pater. Cùm aspicio, ô mi Consolator! manus clavis affixas, & accedo ad te, tu me uris: & cùm aspicio pedes, similiter. Cùm te voco, subitò venis, ac te mihi, associas. Affixus es cruci, debilis & sine viribus; at cùm ad te accedo, subitò me suscipis; subitò dulcem, subitò suavem, subitò amabilem, subitò pulchrum, subitò talem te invenio; qualem volo ac desidero. Quid ampliùs possum desiderare, cùm hîc inveniam, quidquid mihi est necessarium? quid facio, Deus meus, quando tecum non sum? Tantùm quando te fugio, mihi videris asper: quando me abscondo, fingo mihi te rigidum: quando immemor tui alia diligo, tunc te timeo. Sed quando accedo ad te in cruce, ô mi divine auxiliator! video me delusum fuisse, & mox iterum te exhibes mihi, me recipis, me amas, & imples omnibus bonis. O qui nunquam tui oblitus, nunquam a te digressus fuisset! Ama anima mea, Dominum istum, & ejus amore omnium aliorum obliviscere: quia quidquid in mundo est, malè tibi facit, & ille in se suscipit omnia mala tua, tibíque dat suum amorem, & bona sua. Amo te bone JESU! amo te, beatitudo mea, & cupio semper ardere in tui amore.

A quibus mala mundi tollit.

VI. O Crux, fidelissima socia Domini mei! dimitte nunc eum, & mihi da: ego volo eum accipere in animam meam: quin ipsa cum eo ingredere in eam, & me tibi affige. Non vivam, nisi vobiscum. Cessent nunc meæ miseriæ, renovetur vetus homo, & vivam ego in juventute Spiritûs Domini. O sanctissima crux! cùm Dominus non fatigetur patiendo, fatigeris tu illum cruciando. Tu sola digna fuisti portare pretium gloriæ. Dulcis crux, dulces clavi, qui sustinuistis pondus tam dulce: jam suaves estote ac dulces, quia quem tenetis affixum, non meretur ea, quæ patitur. Demitte ramos tuos, arbor divina; inclina brachia tua, emolli dura tua viscera, tenerescat naturæ tuæ rigor, ut blandiùs tractentur membra hujus innocentissimi Agni. Requiesce jam, Domine, à tantis tormentis à tantis doloribus, & veni in hanc animam, quæ desiderio tui tenetur, & valde indiget præsentiâ tuâ.

tuâ. Veni ad illam, quiesce in illa, occupa illam, & possidetanquam tuam; quia tu creâsti eam: absolve in ea opus, quod incepisti in cruce.

O Mater Dei sanctissima, fidelis socia ærumnarum Domini! tu vides, quanto labore me quæsiverit: fac ne in vanum laboraverit. Merear tua intercessione, ut sine omni divisione dignetur in me vivere sua divina Majestas, & ego in eo. O Curia cælestis, quæ didicisti à Domino diligere peccatores, ac festum celebras in conversione cujuslibet eorum: juva me, ut convertar totus ad eum amandum, & me crucifigendum semper in ipso, & pro ipso. Amen.

Quid Christus in Cruce doceat ac damnet.

I.

Lux divina veritates revelat.

Lux divina, quæ illuminas animas positas in tenebris & obscuritate mortis: lux, quæ illuminabas cæcum Tobiam, quando captus tua pulchritudine elucidabat puritatem animæ suæ, & in te collocabat omnem spem suam: lux, quæ inter irrisiones & latrones, neque solis eclipsi, neque malitia inimicorum, neque injuriis ullis potuisti obrui & abscondi: lux, quæ resplendens cum æterna & divina sapientia, revelas veritates occultas, detegis errores vitæ humanæ, ac certam viam ostendis in cælum, téque cognosci facis ab his, qui te crucifixerunt, & confiteri latronem, qui te blasphemârat, & agnosci à petris, quæ scissæ sunt, & à Patre æterno, cujus obedientiâ moreris. Mitte, ô lux divina, radios tuos super hoc cæcum & ignarum cor; ut videat, quæ damnes in cruce, & quæ doceas probésque; & inflamma congelatam hanc animam amore divinæ sapientiæ tuæ, & odio eorum, quæ improbas, ac studio imitandi, quæ doces & mandas.

Damnat fundamenta vitæ humanæ

I DOCTRINA.

II. Fundamenta vitæ mundanæ, & infelicia fulcra operum ejus, quæ recedunt ab hoc superno bono crucifixo, sunt (sicut ait Scriptura divina) apostatare, & subducere se ab obedientia, & à charitate debita Deo: concupiscentia & amor cranis

ac

ac bonorum temporalium : ſuperbia & vanitas, quâ dimiſſo Deo, fonte aquæ vivæ, mergimur amori carnis & rerum terrenarum, ſuperbi, tumidi, præſumptuoſi, ac ſi aliquid eſſemus, cùm nihil ſimus; & amamus nosipſos plùs, quàm Deum, qui eſt ſummus theſaurus, ſuprema felicitas, ac ſolus dignus amari. Et nos omnes, filii Adæ, incedimus hoc modo, recedentes à Deo, donec perveniamus ad hunc Judicem crucifixum, tam corrupti, lacerati, perditi, & alieni ab eo, quod in ipſo cernimus, quàm ipſe, qui clariſſima lux eſt, videt in nobis. Hæc omnia damnat Filius Dei vivi, Magiſter cæleſtis, usque ad crucem, in qua pendet, plenus ærumnis, patiendo, amando, moriendo. Tacendo clamat, ſine voce maledicit, abjicit, & evertit hæc fundamenta vitæ mundanæ, & omnia mala in ipſis fundata. Et incipiendo à ſuperbia vitæ, quam damnat, bene videmus, quòd ille, cùm eſſet æqualis Patri, amore miſeræ animæ noſtræ, & omnium peccatorum, ſe humiliaverit, & ſubjecerit his, qui volebant eum vincire, ferire, calumniari, addicere, crucifigere, necare. Cùm eſſet ipſe pretium gloriæ, honor Patris æterni, Majeſtas divina, quam omnes adoramus, fecit ſe vermiculum terræ, opprobrium hominum, & ipſam abjectionem, & ludibrium plebis. Quid ergo nos præſumimus cernentes hunc Dominum ita conſtitutum? cùm ſua majeſtas voluerit à ſuis inimicis irrideri ſuam divinitatem, & veritatem, ſuam humanitatem, opera, innocentiſſimam vitam & puriſſimam doctrinam contemni, quantùm poſſent; quis apud eum locus erit ſuperbis? Eo modo, quo videmus illum in cruce, regnavit, obtinuit bona gloriæ, oſtendit, quanti faciat humiles, & quàm oderit ſuperbiam.

O humillime JESU, humilia hanc ſuperbiam: veniat Spiritus tuus divinus in hoc miſerum cor, & conſumat in me radicem ſuperbiæ, quæ mecum nata, crevit, & ſemper incedit mecum, ſéque miſcet omnibus rebus; etiam quando loquor tecum, ſtat ad latus. Fac, Domine, virtutem tuam in me, & confunde hanc ſuperbiam. Da mihi perfectum & cordiale odium mei ipſius, & omnium rerum, quæ poſſunt eſſe cauſa ſuperbiæ, & intimum amorem ſanctæ humilitatis, contemptûs, injuriarum & irriſionum, ut merear eſſe tuus diſcipulus, & amans eorum, quæ tu amas, imitator

Superbia nobiscum nata.

imitatōr ejus, quod in cruce me doces, & oſor ſuperbiæ, quam deteſtaris.

II. DOCTRINA.

Obedientia humilitatis filia.

III. Hæc humilitas Chriſtum fecit tam obedientem ſuo Patri æterno, ut ex obedientia, & ejus amore mortem tam ignominioſam ſubiret in cruce. Docuit hoc modo, quanti velit æſtimari obedientiam, & legem ſuam, quam vult etiam cum impenſa honoris, ſanguinis & vitæ ſervari; & omnia ei contraria reprobari, ut peſtem & venenum animæ. Oſtendit etiam, ſe non recepturum eos, qui afferunt excuſationem, vel prætextum contra ſuam legem; & qui alio modo volunt eam ſervare, quàm præſcriptum ſit: omnes enim hos falli ac decipi. O nos infelices! quantum invenit expiandum & ſanandum in animabus noſtris pretioſus hic ſanguis! quàm levi de cauſa præterimus leges Domini! quantò pluris facimus ſpurcas noſtras delicias, quàm illam! plus valet apud nos lex mundi, quam probant homines, & quid illi dicturi ſint de nobis, quàm obedientia ſuæ ſanctiſſimæ legis. Quantùm decipitur mundus, quem ſequimur!

O miſericors Domine, trahe ad te totum cor meum, nec ſine me pergere, ut hactenus. Redeo ad obedientiam tuam: præſens meum votum eſt, vivere ſemper ſubditum voluntati tuæ, & pati potiùs mille mortes, quàm te offendere. Recipe, Domine, hanc animam, neque permitte me ampliùs recedere ab hac voluntate, quam mihi largiris. Amore tui, Domine, renuntio legibus mundi in perpetuum, & omnibus, quæ contra tuam voluntatem admiſi, de quibus ex toto corde doleo. Dimitte mihi illa, Domine, virtute plagarum iſtarum, & perfectè ſubjice me tuæ obedientiæ. O mi Redemptor, fac vim omnibus animabus cum amore, quem exhibes, & omnes obedientiæ tuæ ſubige. O ſi omnes, quotquot ſumus in mundo, eſſemus in ovili & mandrâ tuâ, ut audiremus omnes vocem tuam, & ſequeremur te divinum noſtrum paſtorem! ô amor, qui potes omnia, accendere, dilatare, inflamma omnes animas: deſtrue inobedientiam legis tuæ: ſubige iſta corda; & fac mancipia tuæ bonitatis & pulchritudinis.

III. DOCTRINA.

IV. Alterum fundamentum mundi est cupiditas & concupiscentia carnis, & eorum, quæ cernimus oculis; his captivæ tenentur mentes nostræ, & eorum amore perdimus veras divitias. His nullus est locus in cruce, quæ condemnat omnem superfluitatem & luxum vitæ. Totus nudus pendet in ea Divinus Magister, tam egenus ac desertus, ut non habeat, qui præbeat ei poculum aquæ in extrema siti: tam sine deliciis, ut nullum ejus membrum à dolore sit immune, nec habeat ubi suum venerandum caput reclinet, neque cui fessum corpus nitatur; sine veste, sine cibo, sine refocillatione, sine pecunia, sine musica, sine suffitu, sine ornatu, sine recreatione; in doloribus, probris, abundantia rerum molestarum, defectu omnis humani solatii & refrigerii emittit spiritum. O vitâ mundana! ô vanitas terrena! ô deliciæ carnis! ô sordidæ voluptates! ô cupiditas opum! ô superflua negotia temporalia, quæ occupatis & pervertitis animas, ubi manetis? quem locum habetis in cruce istius Domini? *Cupiditati nullus in Cruce locus.*

Piissime Jesu, ignosce mihi! ah quoties te amisi per amorem eorum, quæ hîc damnas; & pluris feci corpus, meum inimicum, quàm spiritum tuum? ô pietas divina! sileat hîc lingua, & fortiter clamet cor meum contra abominationem cogitationum mearum, desideriorum & affectuum meorum, quam non possum abscondere oculis tuis: peccavi, Domine; peccavi multùm & horrendè. Confiteor fœditates meas & peccata. Miserere, miserere, Domine, miserere! Juvate me vos, vulnera Christi: juva me tu, crux Domini Jesu. Impera, Domine, ut omnes creaturæ, & omnia tormenta de me sumant vindictam injuriarum, quibus majestatem tuam divinam offendi. Per infinitam pietatem tuam te oro, mi bone Jesu, ut me mutes hâc horâ à carne in spiritum, à vanitate in veritatem, à terrenis ad cælestia. Desinat jam vita mea mala, & si desitura non sit, vita mea miserabilis omnino desinat; quia meliùs est mori, quàm te offendere. O si crucifigeres, Domine, statim oculos, linguam & omnes sensus hujus hominis terreni; crucifigeres omnia terrena & vilia desideria mea! Et quia hoc tui est operis, ô bone Jesu, incipe statim: ut *Dolor de peccatis.*

vivam solùm pro te, & in te, sincerus amator harum veritatum, & osor ejus, quod stultè amavi.

IV. DOCTRINA.

Speculum vitæ.

V. Divinus hic Magister se proponit in cruce toti mundo pro speculo, quod inspiciant omnes animæ: omnibus, nullo excepto, declarat, quòd per ea, quæ hîc probat, salvandi; quæ improbat, condemnandi sint. Proponit se pro Magistro, ut in omnibus negotiis & operibus externis, & in omnibus desideriis & affectibus internis, noverimus, id solùm fore acceptum, quod potest justificari in cruce; & reprobandum, quidquid crucis doctrinæ contrarium fuerit. Si erraverimus, culpa nostra erit, posteaquam oculis in meridiano sole aspicimus crucifixum. Si excæcamur nostris desideriis, si inducimus alios colores huic puræ & claræ veritati, si immutamus sensum hujus sanctissimæ humanitatis falsis rationibus, tum decipimus nos ipsos, quia nolumus nos submittere suæ divinæ sapientiæ, & exemplo, quod hîc dat lux, ac certa, pura Veritas.

Averte, Domine, oculos meos ab omni vanitate, & à meipso; ut semper aspiciam te, semper te geram in anima mea, & cor meum semper te laudet, pro tanto favore & gratia, quam mihi hîc facis.

V. DOCTRINA.

VI. Dominus in cruce non tantùm detegit fallacias, & evertit fundamenta vitæ mundanæ; sed etiam clarè docet vitam verè spiritualem, ut nemo possit decipi, nisi qui oculis apertis nolit videre. Quia consecravit in ea mortificationem inordinati amoris omnium, quæ sub Deo sunt: & resignationem omnimodam in manus voluntatis divinæ, sine omni resistentia & exceptione, quæ possit excogitari cum profunda & humili obdientia, cúmque puro amore, libero ab omnibus rebus terrenis. Per hanc enim exercentur omnes virtutes, & impletur beneplacitum Dei. Hanc voluit esse viam regiam spiritûs: hanc docuit, approbavit, consecravit in cruce, & ejus Antesignanum, Ducem, Magistrum & Speculum se fecit. Hanc ingrediuntur incipientes, in hac proficiunt, & se in omni bono perficiunt.

VII. Hîc

VII. Hîc etiam docet Dominus inter dolores legem certam veri & puri amoris, cujus est relinquere totum, ut solus cum solo, nudus cum nudo sit; & sic amet sine lege, sine mensûra, sine termino, amare patiendo, pati amando, nulla turbante eum impossibilitate, vel excusatione debilitatis: quia verus ac purus est, omnia potest, nihil formidat. Ligatus pergit, captivus est liber, ardendo non uritur, vivit moriendo & moritur vivendo: quia vita ejus est Jesus crucifixus, cum illo vivendo moritur, ut semper vivat; sicut ipse mortuus ex puro amore semper postea vixit. Hîc docetur vera libertas animæ, cùm purè amat: neque enim libertas est, facere suam voluntatem, & nullam audire contradictionem: sed esse expeditum ab omnibus rebus, & adstrictum illi, ut eum liberè possideat; & ut nec amore, nec odio rei ullius impediatur à patiendo multa pro ipso, ac reliquendo & aversando, quidquid ipse aversatus est; útque omnes eum horreant & crucifigant pro solo Jesu, quem amat ac desiderat. *Quis sit verus & purus amor.*

VIII. Ostendit etiam crucifixus similitudinem cum quatuor dotibus glorioſis, quas anima suo modo consequitur, cum vivit crucifixa: quia capta puro ejus amore, illíque perfectè unita, in carne mortali videtur impassibilis: quia nulla afflictione dejicitur, aut contristatur; nulla re minuitur puritas ejus amoris: quasi nulla res sensibilis eam posset attingere, quando possessa & transformata est per amorem, cui se tradidit, abnegando seipsam, & simul omnes facultates ac sensus, naturæ debilitatem amando sustentans. In quo imitatur quodammodo animam Christi; ad quam, cùm esset glorificata, non penetrabant ea, quæ patiebatur in illo mari dolorum. *Gloriosæ dotes amantis animæ.*

Deinde etiam suo modo claritatem glorioſam habet anima purè amans, ex luce veritatum, quas intelligit, & sic intus illustratur à Deo, in quo solo occupatur ab ejus fulgore divino resplendens. Sicut enim nulla humiliatio potuit obscurare lucem veritatis crucifixi; sic tantò magis ea fulget in anima, quantò majores tenebræ mundi eam circumdant. Est præterea subtilis hæc anima, ut penetret omnia, nihil ei sit clausum, nihil obstet, aut eam impediat ab occupatione cum Deo, cujus amore tenetur. Sicut Christus, cùm haberet oppositas sibi portas æreas, & vectes ferreos,

ferreos, omnia tamen penetravit, & confregit, aperiens cælum, & opus divinum perficiens. Denique & agilitatem habet anima, quâ potest evolare in altum, & ferri quocunque amor voluerit. Crucifixus totam obtinet, ac pauper cùm sit, omnia possidet, ac depressa regnat in toto mundo; quia in omnibus rebus amat Jesum Christum crucifixum, qui hoc docet.

Actus humilitatis.

O quàm ego sum vilis ac terrenus, Domine animæ meæ, cum his veritatibus, quas doces in cruce! Ideo, Deus meus, abjicio me ad pedes ejus, petens misericordiam. Comedant sanè dilecti Filii tui hunc panem divinum integrum; mihi verò terreno & pauperi catello domûs tuæ projice micas, ut satier illis cum Cananæa, & evadam talis, ut assurgere possim tandem ad puritatem Spiritûs. Da mihi, Domine, Spiritum crucis tuæ, lucem æternarum istarum veritatum, & ardentem tui amorem, ut, mi crucifixe Jesu, non ampliùs hinc recedam. O amor! ô suavitas superna! ô mea perfecta spes! ô vita animæ meæ, exaudi me, & muta me in Spiritu tuo nunc, & in perpetuum. Amen.

ÆRVMNA XLV.

Irrisio Veritatum Christi.

I.

Opprobria Redemptori illata.

HAbuit Christus Dominus noster toto passionis suæ decursu quoddam genus molestiæ gravissimæ, quod aliquoties tactum in præcedentibus, hîc propriè considerabimus, quia maximè fervebat ultimis horis in cruce. Fuit hoc, videre & audire irrisionem suæ personæ atque doctrinæ: quâ undique fuit vexatus in cruce. Nam qui prætereibant, qui eum custodiebant, qui cum eo crucifixi erant, Sacerdotes, Principes, Judæi, omnes irridebant eum, & blasphemabant: interea mitis Agnus audiebat omnia tranquillè, sed non sine tormento gravissimo. Sustinuit nocte præcedente indignissima duo ludibria. Primum in ædibus Caiphæ, ubi velatis ejus oculis & alapis impactis, quasi falsum Prophetam divinare jusserunt, quis eum percusserit: quia fuerant experti, illi omnes cogitationes & intima sua patêre, neque posse eum capi vel decipi, sed omnes suas inventiones in irritum cecidisse cum eorum pudore: quare

In domo Caiphæ,

cùm

cùm haberent illum jam in sua potestate, voluerunt se ulciſci, & audaciùs insultaverunt ejus divinæ sapientiæ, Et ut fratres Ioſephi, cùm in manus eorum veniſſet, volentes eum occidere, non alio nomine compellaverunt, quàm somniatoris, in contemptum veritatum, quas prædixerat: ita hi per ironiam ac deriſionem sapientiæ plusquam humanæ, quam Dominus oſtenderat, vocaverunt eum Prophetam. Scilicet aſſueti cæcitati animæ, & nepotes eorum, qui velaverunt olim faciem Moyſi, quòd lumen ex Dei congreſſu ab eo refulgens intueri non poſſent; etiam divinam hanc lucem Domini non ferentes velaverunt oculos ejus, & ipſi in sua cæcitate manſerunt. Verùm ille, quamvis ejus proſpectus nullo velo poſſet impediri, non tamen potuit non graviſſimè ſentire, tum hanc injuriam, quâ tractabatur ut falſus Propheta, & Magiſter falſitatis; cùm etiam veritatem accipiebant pro mendacio, & ſuos conatus nitebantur perducere ad finem intentum.

II. Altera ſubſannatio fuit in domo Pilati, ubi oculis aper- *In domo Pilati.*
tis, in veſte purpurea, cum corona ſpinea, & arundine in manu, colaphos infligentes milites eum ſalutârunt, ut fictitium Regem: quod fecerunt tanta cum impudentia, & inſolentia, ac ſi notorius ſcurra, vel proditor eſſet. Dominus autem quaſi convictus eſſet impoſturæ, ſuſtinuit omnia, & liberum curſum permiſit mendaciis inimicorum, licet facillimè poſſet oſtendere, ſe eſſe verum Regem cæli & terræ, & ad obſequia, cultum, nutúmque ſuum adigere omnia elementa, & univerſas creaturas. Sed quia jam permiſerat habenas furentibus ventis, ad excitandos contra ſe fluctus tribulationum, noluit quidquam dicere, vel facere in ſui defenſionem, quo mitigarentur ſui dolores, vel minuerentur injuriæ. Ad has duas inſigniores injurias adjungendæ ſunt omnes accuſationes, & falſa teſtimonia contra eum producta coram Judicibus; totáque profana & ignominioſa ejus divinæ perſonæ tractatio, & raptatio per plateas urbis Jeroſolymæ. Quæ omnia ſpectabant ad conculcandam opinionem ſanctitatis illius, ac demonſtrationes, quas pro ſua Divinitate ediderat plurimas, luculentiſſimas; & obſcurandam veritatem ejus cæleſtis doctrinæ.

III. Sed poſteaquam fuit affixus cruci, dum in ea pende- *Irriſiones in cruce.*
ret, tot irriſionis & contemptûs modos pertulit, ut aliqui cenſeant

seant hoc in tota passione fuisse illi gravissimum omnium. Etenim id magis dolet, quod magis sentitur. Cur autem Dominus hos despectus magis sentiret, majores habuit causas. Licet enim omnia alia tam dira fuerint, ut singula viderentur summa, neque cum ullo posse comparari: nihilominus isti contemptus videntur omnibus anteponendi: quia cruciatus, præter dolorem corporis, etiam id habent, ut appeti possint amore patiendi, & patiendo demonstrandi amorem, & sic fiunt instrumenta gloriæ, quæ pluris æstimatur, quàm dolor. Sed blasphemia contra Deum, oppugnatio veritatis æternæ, proculcatio divinitatis & majestatis Filii Dei, tot signis demonstratæ, sunt ejusmodi, ut licet ex iis Deus nôrit elicere aliquid boni, tamen ex natura sua intimè tangant honorem Dei: & licet justa ex causa possint sufferri, nullo tamen modo possunt appeti, sed semper debent odio esse tanquam detestabilia. Cùm igitur Christus esset summus Zelator honoris divini, pro quo & moriebatur, ita torquebatur illis injuriis Dei, ut majorem patientiam in iis tolerandis exerceret, quàm in omnibus aliis tormentis: hæc enim suavia faciebat amor, in illis autem nihil inveniebat, quod non abominaretur. Qui parùm expertus est in hoc genere, intelligit quantò majore patientiâ sit opus ad sufferendum contemptum & irrisionem, quàm ad alias miserias vitæ.

Innocenter pati summa virtus.

Quia pati pœnam pro commissa culpa docent justitia & conscientia: pati verò innocenter, & haberi pro malo, cùm sis bonus, etsi videatur intolerabile, multis tamen & efficacibus argumentis facilè fuit sanctis hominibus, ut etiam eo gauderent. Sed videre irrideri puram & catholicam veritatem, tantò majorem sensum ac dolorem parit, quantò major est amor Dei, & perfectior zelus honoris illius, ut plusquam heroicum sit hoc tolerare. Christus autem toleravit cum silentio, ac si nihil sentiret: sensit autem sine dubio magis, quàm ullos cruciatus corporis sui, quantò magis Deum, quàm suum corpus amavit.

IV. Sicut Christus in cruce, inter latrones, quasi scopus fuit expositus malitiæ, odio, inepto judicio quorumlibet, etiam vilium hominum, ita quisque contra eum est ausus quidlibet. Qui

Matth. 27 præteribant: *Blasphemabant eum moventes capita sua, & dicentes: vah,*

vah, qui destruis templum Dei; & in triduo illud reædificas: salva temetipsum; si filius Dei es, descende de cruce. Calumniantes per hoc ejus miracula, quibus multos curaverat, ac dictum ejus de templo corporis sui traducentes ad templum lapideum: quasi nihil posset eorum, quæ dixerat; & quæ fecerat, non verâ virtute feciſſet, sed per illusionem vel diabolum. Similiter & principes sacerdotum, cum scribis, & senioribus illudentes dicebant: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in DEO, liberet nunc, si vult, eum: dixit enim, quia filius Dei sum.* Sed & populus cum illis dicebat: *Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus DEI electus.* Illudebant autem ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei dicebant: *Si tu es Rex Iudæorum, salvum te fac.* Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant, & convitiabantur ei: quod quidem alter eorum cum tanta insolentia & improbitate fecit, ut alter facti pœnitens non potuerit se continere, quin graviter illum reprehenderet.

v. 39. & 40. *Ibidem 42. v. 43.* *Luc. 23. v. 35* *Luc. c. 27. v. 37.*

V. Augebatur non parùm despectus ex modo, quo factus est; neque enim poterat esse absurdior. Latro convitiabatur cum rabie ex impatientiâ sui cruciatûs. Populus despuebat cum risu & cachinnis amaris, varia maledicta miscendo. Sacerdotes cum fastu, elatione, & gloriatione obtenti sui finis & victoriæ, odiique sui per hoc facinus probati populo. Prætereuntes movebant caput, eò quòd tandem veritas appareat fraude detecta, quam demirabantur, & exaggerabant, potuisse tam diu celari, mundo tot signis decepto. Quæ omnia licet Evangelistæ paucis describant, facilè est cogitare, à gente tam ingrata & malitiosa, ex odio, quo ferebantur in Dominum, summa cum licentia, primoribus præeuntibus jactata fuisse alia in illum prorsus infanda & indigna relatu. Ibi repetiverint Pharisæi suum illud, quòd dæmoniũ habeat, & impostor Samaritanus sit, qui ope diaboli signa fecerit: alii exprobraverint solitudinem ejus, cùm tot millia solita sint eum sequi: alii petiverint, ut prædicaret sibi nunc cælestia, quæ cum gustu vellent audire: repetiverint sigillatim ejus miracula, interpretando illa cum diabolicis blasphemiis: populus laudârit

prudentiam ac dexteritatem principum, non sine adulatione grătulando illis optatum successum. Denique plura id genus effutiverint homines malitiâ, odio, vitiis pleni, in tanta convitiandi licentia, quàm possit describi: quæ quantùm doluerint Domino, omnium animos intuenti, & simul gnaro veritatum suarum, nullus expresserit.

Deus chariores amicos despectu ab amore proprio liberat.

VI. Hoc est genus ærumnæ, quod sæpe Dominus immittit charioribus suis amicis, quos vult plenè liberare ab amore proprio & mundano, ut magnis eos donis cælestibus ditet. Quia tanquam prudentissimus belli dux, generosiores gravioribus exponit laboribus, ut eis gloriæ & meritorum occasionem præbeat. Habet hoc genus pugnæ contra se non modò naturam, sed sæpe zelum virtutis: unde necessarium est petere à Domino lucem veræ doctrinæ & perfectionis, ad agnoscendam generationem hanc perversam, errores ac cæcitatem eorum, qui non sequuntur semitam & exempla ejusdem, sed eorum, qui ut liberiùs in eo exercerent suam voluntatem, obstruxerunt ante omnia sibi lucem, ne viderent splendorem & pulchritudinem vultûs ejus, & confunderentur ab ea. Videmus enim eos non ratione, sed irrisione & clamoribus obscurare voluisse veritatem, abusos ruditate populi, & licentiâ militum. Videmus & populum probâsse facta Principum, non quia sanctiores & meliores, sed quia potentiores & callidiores erant in obtinendo suo intento, Christo nihil repugnante & vincto. Videmus persecutionem innocentis haberi pro bono regimine, opera illius reputando contraria bono communi, & studiis mundi. Videmus plenos ambitione & invidiâ; & qui minimam curam habent honoris divini & sanctitatis, maximam verò suæ vanitatis tuendæ, præcipuè se opponere Christi operibus & doctrinæ, ne per eam derogetur aliquid suæ dignitari, opibus ac desideriis: unde à potentioribus major est persecutio Domini. Videmus populum insultare Christo, non ex veritate, quam in illo expertus est, sed ex falsa interpretatione principum, atque adeò magis in eo regnare ingratitudinem ac cæcitatem, quàm amorem veritatis. Videmus latrones ei convitiari, quia suam felicitatem reponunt in liberatione à suis tormentis, & quia non credunt

Potentiores Christum maximè persequuntur.

dunt eum eſſe filium Dei, propterea quòd eos à cruce non liberet. Videmus denique in omnibus regnare malitium, prævalere odium, & juſtum pro malefactore haberi, quòd videant eum in cruce, & pro vana haberi ſpem ejus in Deo, quia non ſtatim liberatur ab eo. Hæ ſunt conditiones omnium perſequentium bonos ſub ſpecie boni communis, & ſancti zeli: his modis incedunt, & conantur obtinere ſuum intentum.

VII. Ex alterâ parte videmus filium Dei ſic amplexum crucem, ut nulla re ante mortem ab ea poſſit avelli. Videmus, ut ſe non defendat ullo verbo: videmus, ut abſcondat ſuam potentiam pro tempore, quo pati debet: videmus Patrem æternum non ſuccurrere ad defendendum ejus honorem, ſed permittere ut irrideant & convitientur, quantùm volunt. Videmus alterum latronem, ut primùm Deus aperuit illi oculos, agnoviſſe divinam virtutem Domini, neque tractâſſe cum eo de ſui liberatione, ſed de admiſſione in regnum ejus. Videmus Dominum, qui inter hæc probra perficit opera divina, regnare in cordibus electorum, & agnoſci ab omnibus gentibus, ſalvare peccatores, reſuſcitare illos ad gloriam, & damnare ſuos inimicos. Et ſic ejus imitatores debent eum habere pro ſpeculo; nec alio modo vincere velle, quàm quo viderunt viciſſe ſuum ducem, qui cùm videtur ſe ſubtrahere & fugere, aſcendit ſupra mundum, & vincit manifeſta ſua veritate. Conſideremus attentè, quomodo gubernet Chriſtus Eccleſiam, & videbimus neceſſarium eſſe, ut multi ſint ejus imitatores: nam Paſtor noſter permittit interdum ſuas oves occidi, fugari, proſterni à lupis. Caput dilecti Præcurſoris datur in manus adulteræ: vita Apoſtolorum inimicis ſui nominis: & alia multa in mundo ſic facit; quia videt Eccleſiam ſuam tunc magis florere, cùm abundat exemplis virtutum, patientiæ, meritis & mortibus electorum. Nec mirum, ſi in domo cæcorum rex ſit magis cæcus, & in domo malorum ille ſit major, qui pejor: & ſi ſervi Dei luce divinâ præditi non agnoſcantur, ſed magis objiciantur improbis, qui dum extinguere volunt, augent eorum virtutem. Et quia propria domus ac regnum crucifixorum eſt cælum, permittit Deus, ut in mundo non aliter cogniti ſint, quàm

Ante mortem à Cruce non recedendum.

requirat salus eorum, sed premantur; ut semper intenti sint in vitam æternam, quam exspectant, & ipsi cognoscant suam felicitatem & honorem pendere à Deo, nec mundus gloriari possit, filios Dei à se honoratos fuisse.

Duo servis Dei inprimis notanda.

VIII. Duo notanda sunt servis Dei, ne inter malos decipiantur zelo virtutis. Primum, quòd Christus Dominus noster nunquam honoretur magis in mundo, neque divina virtus magis eluceat, quàm cùm servi ejus maximè conformantur crucifixo: qui cùm studeant magis contemni, quàm tueri suum honorem cum inquietudine cordis, Virtus divina vincit, ac prævalet tandem. Secundum, ut caveant omni diligentiâ, improbis & persecutoribus occurrere per astutias & callidas inventiones: quia mansuetudo hujus Agnelli contrarium docuit: nam per vim superabunt eos mali, & ipsi minorem fructum habebunt. Illi enim, qui tantùm quærunt sustentare seipsos, & oppugnare virtutem, sunt exercitati in arte circumveniendi & fallendi; cùm alteri rei non studeant, quàm ut per suas machinationes colore inductas virtutem veram evertant, omni timore Dei posthabito. Sed qui cum pura virtute incedunt, vivunt in simplicitate ac pace interna & prudentia cælesti oculis divinis student placere in omnibus: à qua via si recedant, committunt se periculo confundendi virtutem. Inexpugnabilis est, qui dissimilibus armis pugnat cum his inimicis; quæ sunt, perfecta patientia, pura fides in Deum cum spe & puritate amoris erga proximum, oratio pro persequentibus, & silentium. His enim inest virtus divina, quæ reddit semper invictos. In summa, Jesus crucifixus imitatori suo dat victoriam & coronam.

EXERCITIUM
Circa irrisionem Christi in Cruce.

I.

Adoratio cum gratiarum actione.

ADorent te, Deus animæ meæ, fili Dei vivi, & spes cordis mei! cælum & terra, justi & peccatores, Sancti & Angeli: & ego cum illis te adoro, te laudo & benedico, & infinitas gratias ago pro gravissimo isto tormento, quod dignatus es pati in cruce.

Verè,

Verè, Domine, mala tribulationum submerserunt te, fluctus dolorum & injuriarum suffocaverunt te: quia non tantùm sanctissima tua membra impleverunt crudelibus & infandis doloribus; sed etiam divinitatem tuam, quæ dolorem pati non potest, affecerunt injuriis & sannis enormibus, quas zelus honoris divini, quo flagrabas, te fecit acerbissimè sentire. Vulnera corporis, falsa testimonia, colaphos & alia plurima quantumvis gravia toleratu, amor tuus infinitus suavia reddebat, quòd iis demonstrare posses animum, quem gerebas erga peccatores, & obedientiam erga Patrem æternum: sed videre & audire irrisionem supernæ veritatis, & ipsius naturæ divinæ, quæ in te erat, velut in Unigenito Dei ac Domino, qui spiritum dedisti Prophetis, & novisti corda omnium, nunc autem haberis ut impostor; id enimvero nullus animo consequetur, quantum tibi tormentum creaverit. Quia non solùm audire blasphemias istas horrendas gravissimum fuit; sed etiam zelus honoris divini & amor, quo flagrabas, immanibus modis intima viscera tua ussit & lancinavit. Et inter hæc tamen nullum verbum dicis, ac finis insultare ac triumphare tuos hostes: cúmque sis ipsa veritas divina, cum tanta contumelia tractatus te non defendis, sed taces ac suffers, cum diro cordis tui tormento.

Amor tormenta dulcia efficit.

II. Quid hoc rei est, Amor divine? quid est, ô spes & gloria cordis mei? Usque adeóne vis pati omnia extrema, ut nihil in te sit omnino, quod te non cruciet? non flagella solùm, crux & alia plurima; sed ipsa etiam sanctissima tua doctrina & veritas divina derisa & contempta, te in profundum maris dolorum demergit. obstupescit hîc anima mea, Deus meus! ohmutescit cor meum. Pro te, ô Jesu animæ meæ! reservâsti hoc mare, quia vires divinas habebas ad resistendum, & illis commensurari voluisti tuos labores: hoc enim excedit vires naturæ humanæ; & qui nonnunquam simile quid amore tui perferunt, tibi hoc debent: quia tuum opus id est. Ego te amo, Deus meus: amo te, bone Jesu, propter hos incomparabiles dolores; ac desidero totus amore tui consumi. Is enim, quem erga me geris, non tantùm legem non habet, neque mensuram in amando, sed etiam

noluisti, ut haberet in patiendo ac sufferendo. Confiteor divinæ majestati tuæ, Domine animæ meæ, infirmitatem meam: quia deficio in his omnibus, ita sum flaccidus.

Gaudium sit nobis pro IESV aliquid posse pati,

III. Quando cogito, mi bone JESU! me pati posse amore tui, magno afficior gaudio in animo meo: quando mihi imaginor, me tui amore posse pati persecutionem à tuis inimicis, videor mihi virtute ejusdem fieri alius homo: ac si servi tui me persequantur, etsi hoc durum sit, & intolerabile, cogito tamen te id velle propter mea peccata: sed quando in istud genus ærumnæ devenio, ut patiar propter veritatem, & propter id, quod facio ex obedientia tibi debita, ac scio esse virtutem, quam tu me doces; tunc enim verò tametsi desiderem te imitari, tamen eam perfectionem non attingo; sed ipsa veritas fit meus tortor & carnifex: & quando video, adversarios, ut tueantur sua mendacia contra tuum honorem, veritatem omnino dubiam facere, confiteor tibi, Redemptor meus, deficere meam naturam sub hoc onere, ut ferendo non sit; & me tunc plus, quàm in omni alio casu potenti manu tua egere: licet agnoscam, ô Deus & Magister meus, decere, ut amem te sine mensura, & patiar, quidquid ordinas. Credo, & scio, te docente, decere ut patiar satis, taceam satis, tolerem satis, non indagando causam, rationem, vel unde id mihi proveniat; sed aspiciam tantùm tuam divinam manum, & gratias agam pro omnibus, finendo te facere, quod vis, & agnoscendo semper te mearum rerum & ærumnarum auctorem.

IV. O Divine Agnelle, ô sapientia æterna! cùm talia me doceas in cruce, & sic ardeas mei amore; quid est, quare non mutes meam languidam & abjectam naturam, ac transformes totam in tui amorem & imitationem? tu, Domine, habebas infinitam justitiam, & causam non ferendi has blasphemias; & ne quidquam supereresset, quod passus non esses, te demisisti etiam ad illas: at ego, si rectè me velim noviisse, invenio, quòd ratio tam exiguæ tolerantiæ, & tam delicati sensûs non proveniat à sola infirmitate naturæ, sed etiam à superbia, quæ radices egit in illa. Hoc totum, ô JESU, sanare debet amor, quem in cruce me doces, O misericordissime Magister animæ meæ, tu vides, quòd,

Superbia causa est impatientiæ nostræ.

cùm

cùm invenio causas me non subjiciendi omnibus, quæ tu vis, plus patiar aliunde, quàm tu volebas: sum enim tunc quasi phreneticus, & quasi stultus; nec habeo judicium hominis Christiani, nedum tui amici. Noli, bone JESU, expectare, dum ita desipiam; sed miserere mei & sana me, quia scis, quid expediat huic animæ peccatrici, ut tibi similis fiat. Veniant cruces, ac tribulationes, ex quacunque parte tu voles, quomodo voles, & quantascunque voles: quia es fidelissimus amicus animæ meæ, ego sum securus & certus, quòd à tuo favore & auxilio debeant provenire, subige me, Domine, obedientiæ tuæ: nec sit aliud jus aut ratio, quàm ut tibi assimiler. Refrena, Deus meus, linguam meam, ut taceam: reprime cogitationes meas, ut imiter te: dilata cor meum, ut semper te sequar, & gaudeam pati pro te. Quando, ô Domine animæ meæ, videbo me ita affectum erga te, sicut es tu erga me? si te Deus meus, cum tantis excessibus amoris, voluisti mihi ostendere, te in omnibus illis recordari mei unius, ut intelligerem, quanti æstimes animam meam, & quàm fideliter me ames; quid magnum erit, si ego vermis terræ desiderem in omnibus rebus ostendere, quòd cupiam te solum amare, pati tui amore. O divine amor! fac in me, quod pro me facis in te. Cùm diligas me, etiam me inflamma tui amore: cùm mihi des totum, etiam destrue totum, quod in me tibi non placet.

V. Accuso, Domine, Majestati tuæ meam cæcitatem, & quòd sæpe multis in rebus parùm sequar ea, quæ mihi conveniunt, etsi te non blasphemem ut illi: quia illi cogitant, si tuus Pater esset Deus, illum hoc ostensurum in liberatione tui à cruce: & si essent vera tua miracula, & doctrina, hoc te demonstraturum, descendendo de cruce. Et latro blasphemus omnem tuam potentiam in hoc repositam sentit, ut te ac socios liberes à tormentis. At ego, bone JESU, licet contrarium de te sentiam credámque, me accuso, quòd, quando succurris meis necessitatibus, ac supples meos defectus, tunc laudem te bonum Dominum, tunc prædicem te misericordem, tunc extollam gratiam tuam, quâ mei recordaris; sed quando me exerces adversis, quando desunt mihi necessaria, quando subtrahis mihi tuos favores, tunc non valde

In mala & prospera fortunæ Deus æqualiter laudandus.

prolixus

prolixus sim in te laudando, nec suavem te reputem. Ita semper in omni re mihi ipsi sum similis, in omni re miser, flaccidus, cæcus, pauper, & nudus omni bono. Illumina, ô lux divina, hanc cæcitatem: non regnent in me hæ falsæ opiniones: doce me laudare, amare, agnoscere te in favore ac tribulatione, in prosperis & adversis: quia tu in omnibus idem es; in omnibus Pater meus, Amicus meus, fidelissimus Benefactor meus. In conversione unius latronis, & faciendo, ut æquo animo ferat, quæ promeruit suis peccatis, non minùs ostendis tuam virtutem, quàm si liberares eum à cruce. Faciendo, ut confiteatur centurio, te esse filium Dei, & ut ii, qui viderant, quæ fiebant, revertantur percutientes pectora sua, per hoc monstras quisnam sis, non autem te defendendo: quia virtus & potentia tua in interno consistit, non in externo solùm. Ideo, Domine, finis prævalere mendacia tuorum hostium, in oculis rudis populi, contra tuas purissimas veritates; sed reservas cognitionem earum experientiæ amoris: hic enim est id, quod magni tu facis.

Qui virtute Crucis magna parat.

VI. O superne, ô divine Ignis, qui sub cinere malitiæ ac tribulationis ardes in corde tuorum! amor divinus, ô bone Jesu, purus amor est, ac te crucifixum & illusum recognoscit pro vero filio Dei. Neque hoc solùm credit & confitetur fide, sed etiam cordi puro sese communicat, ut desideret crucem. Et ô quales influxus in tale cor habet crux ista? ô quam lucem ei immittit? qualia secreta revelat? quales divitias internas manifestat? Reædificas in triduo resuscitando templum sanctissimi Corporis tui, sicut promiseras, & à cruce tanquam filius Dei vivi in momento erigis corda dejecta in viva templa tua: salvas crucifigendo, recreas torquendo, & siccando rigas; & eo, quo videris terrere, totum mutas, renovas, ornas ac ditas. O suavitas cordis mei! ô crucifixa libertas mei spiritûs! ô abscondita lux animæ meæ! ô fili Dei vivi! tam infirmus, ac tam fortis; tam abjectus, & tam honoratus; tam contemptus & tam plenus majestate; tam afflictus, & tam suavis; tam plenus doloribus, & tam amabilis! ô fili Dei! tu es ille, quem hi non noverunt: quia tantùm distant à tui cognitione, quantùm ab amore. O amor excessive, pure & vere, quia

Tantùm ab ejus cognitione distamus

quia me amas, rape me tecum per amorem: & quia ardes pro me, etiam me accende. Quid me vis, amor divine, cùm tanta pro me pateris, ac toties me vocas? ecce me! fac tuum officium; transforma me, muta me, totum me consume in te: ô divine, ô superne, ô pulcher, ô suavis, ô unice amor! qui potes quidquid vis, & his, quæ pateris, vinci non potes. *quantum ab amore.*

O Sacratissima Virgo! adjuva, ut vulneretur cor meum amore Domini JESU: adjuva, ut sanetur amore, quo tu jam vivis, & stas patiendo cum illo ad crucem. O amatores cæli, estote liberales erga hunc pauperem, quem tantùm amatis: & quia mea salus est in hoc amore, amate etiam pro me, ut me inflammetis amore mei JESU. Amen.

ÆRVMNA XLVI.
Perditio Iudæ, & sinistri latronis.

I.

EX amore nascuntur odium, timor, lætitia, dolor: odium contrariorum rei amatæ, timor amittendi, lætitia obtentæ, dolor amissæ. Qui novit, quantùm Dominus noster amet peccatores, & considerat, quid fecerit, ut ostenderet eum amorem, quídque pro eorum salute sit passus, intelliget, quanto in gradu fuerint apud eum hæc tria: Timor, ne multi ex ipso suæ damnationis occasionem sumant, gaudium de salute, dolor de perditione multorum. Nec dubium est, quin fuerit unum è gravioribus ejus tormentis, præsertim in passione, memoria Filiorum Adæ damnandorum, quibus omnis labor & passio sua profutura non erat; quia remedia salutis, quæ pro illis tanto studio & impensâ parabat, non fuerunt adhibituri: singulariter verò sentiebat eorum perditionem, qui auctores & ministri suæ mortis fuerunt, pro quibus immolabat seipsum, & sanguinem suum. Nam dolendum erat, propter eadem ipsos damnari, quæ ab ipsis patiebatur pro ipsorum ac totius mundi salute. Eum dolorem Dominus expressit per Prophetam his verbis: *Heu! consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Quasi dicat, triste solatium de *Amor est fons humanarum passionum.* *Isa. 1. v. 24.*

hostibus meis, quòd, cùm sanguine meo suâpte culpâ juvandi non sint, è solâ justitiæ in illos animadversione solari me debeam, cùm pro illorum salute sim mortuus.

Quantùm damnatio hominum Christo doleat.

II. Quòd si Christus omnium damnandorum interitum graviter sensit, quantò acerbior ei fuerit illorum damnatio, quibus majores exhibuit favores, & plures dedit occasiones illam evadendi? quales fuerunt illi duo, quorum alterum inter selectos discipulos mensæ, alterum passionis in cruce socium habuit. Certè Judas habuit sufficientissimam gratiam, quâ non ipse tantùm damnationem effugeret, sed etiam alios quàm plurimos ab ea eriperet, sicut fecerunt alii Apostoli. Nam adscivit eum è plebe in discipulum, annumeravit Apostolis, quibus credebat sua secreta, & accuratiorem doctrinam tradebat, semper eos habens vitæ, itinerum & mensæ socios. Quæ non exempla heroicarum virtutum viderit in Christo? quæ verba vitæ æternæ è sanctissimo ejus ore audiverit? ea denique expertus fuerit in illa divina familiaritate, quæ ipsos etiam dæmones in Angelos potuissent convertere. Habuit à Domino potestatem patrandi miracula, quæ etiam in ejus nomine sanctissimo fecit, multos liberando à dæmoniis. Sed è tot ac tantis experimentis ejus Majestatis ac potentiæ, nullum valuit mentem hominis ab improba cupiditate avertere; ut Dominum suum non turpissimè venderet. Succurrit ei Dominus majoribus & efficacioribus auxiliis, ut eum revocaret à proposito. In ultima Cœna dignatus est eum sacrosancto Corpore & Sanguine suo; fecit Sacerdotem, ut perhibent S. Leo & S. Augustinus: lavit ei pedes, miscendo his omnibus inspirationes internas: quæ frustra cùm essent, palàm dixit Apostolis, ab uno eorum se proditum iri, satius autem fore illi, si natus non esset. Sed improbus nec amore neque timore est motus. In horto admisit illum ad osculum, ac tenerrimo verbo reprehendit ejus perfidiam, quo vel tigris potuisset mansuescere: *Amice, ad quid venisti? osculo filium hominis tradis?* Omnia surdo. Sed cùm videret Jesum condemnatum duci ad Præsidem, & Judæi nollent recipere pretium proditionis, pro venia petiit laqueum, quo animam conscelleratam excluſit, ac demisit ad inferos. Ita discipulum ac socium Dominus perdidit, cui, cùm non soleat

Ejus in Judam collata gratia,

Matth. cap. 26. v. 50. Luc. c. 22. v. 48.

mor-

mentes arbitrii libertate donatas cogere, tamen se faventem ac benignum præbuerat, ut nihil ei deesset, quod necessarium ad salutem fuisset.

III. Ejus jacturam Dominus cùm postea resarciret conversione unius latronis, misericordiam imploranti paradisum promisit, non sine significatione, quantùm conversione peccatorum delectetur. Nam ut voluntate suâ pereuntes, justitiâ exigente condemnat; ita veniam petentibus parcit cum gustu: & ubi tanta est propensio ad ignoscendum, necessariò magnus est sensus ex eorum interitu, quos tantopere cupit servatos. Cùm ergo latro, qui à sinistris Domini pendebat, non habuerit minorem occasionem veniæ obtinendæ, quàm alter, & uterque aspergi potuerit sanguine, quem pro utroque fundebat Redemptor omnium peccatorum, filius DEI non potuit illius interitu non valde dolere. Viderat homo innocentissimum Agnellum, ut primùm cruci affixus est, alta voce orare pro peccatoribus: viderat patientiam ejus plùs quàm humanam; silentium & mansuetudinem, quâ audiebat tantas injurias ac blasphemias: viderat oculis defixis in cælum continuò fundentem lacrimas: viderat tenebras ac terræ motum, qui totum conterruit mundum: viderat pœnitentiam socii, & receptionem ejus in gratiam; qui illa omnia perpendens accedente lumine interiore, agnovit Christum innocenter hæc pati, & regnum habere utique cæleste; & sic ductus pœnitentiâ scelerum, quibus in crucem adactus erat, & blasphemiarum, quas effuderat, satisfecit pro illis, ut poterat, generosâ & publicâ confessione: dum acriter primùm reprehendit socium; postea conversus ad Dominum, confessus est eum Regem gloriæ: *Domine*, inquiens, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum*: à quo etiam, audientibus inimicis ejus, paradisi, eâdem adhuc die adeundi, promissionem accepit: quâ & in gratiâ Dei positus, & in eadem confirmatus est, per baptismum Charitatis. At alter nihil motus tanto exemplo, obstinatè continuans blasphemias periit, cùm divinæ pietatis ostium ipsi non minùs pateret, ad latus Domini, & in sanctissimi corporis, & salutiferæ crucis ejus umbra pendenti: quem licet Christus, ut obstinatum in malo, tanquam

Gaudium de conversione peccatorum.

Pœnitentia boni latronis.

Luc. c. 23. v. 42.

justus Judex damnaverit; tamen ut Redemptor, ut Pater, ut fidelissimus amicus, & bonus Pastor pecudis infelicis, valde doluit, in tam excellenti occasione salutis obtinendæ, voluntariè perire. Atque his excessibus & angustiis divini amoris non parùm augebantur Domini dolores, alioquin gravissimi.

Magis salutem nostram desiderat Deus, quàm nos ipsi.

IV. Multa hîc docemur magni momenti. Primum, non posse nos tantopere desiderare & curare nostram salutem, vel sentire nostrum interitum, quantopere Dominus ipse sentit ac desiderat, qui omni tempore & horâ stat expansis brachiis, ad recipiendos, quos pœnitet peccatorum, offerendo suos divinos thesauros omnibus acceptare volentibus. Neque hujus rei majus exemplum vel demonstrationem possumus desiderare, quàm quod exhibuit in latrone, quem voluit primum à suâ morte salvari per confessionem veræ fidei, & sui amorem: certam in eo fiduciam faciens omnibus peccatoribus, quibus omni tempore patet locus, in quem hic latro primus intravit.

Nulli usquam de securitate præsumendum.

V. Hanc autem confidentiam, quam securam habemus ex parte Dei, dubiam reddunt Judas, & malus latro. Nam quo loco quis tutiorem cogitare potest suam salutem, quam in cælo inter Angelos, in terrâ inter Apostolos, in morte ad latus Christi crucifixi? sed neque in cælo securi fuerunt, ex quo ceciderunt tam multi: neq; in statu Apostolico, ex quo Judas abiit in perditionem: neque in societate Salvatoris crucifixi, ubi latro damnatus est. Nulla gratia Domini securas facit animas libertate præditas, si non liberè cooperentur, & occasione salutis, à Deo datâ, utantur. Sed ille, qui immemor sui omnibus in rebus, cor suum permittit suis appetitibus, certus est de suo interitu, nec ullum ei prodest auxilium. S. Gregorius in L. 4. dialog. narrat horrendum exemplum unius, qui post mortem damnatum se vidit, & resuscitatus à Deo tam improbè vixit, ut moriens iterum in eandem damnationem reinciderit. Dominus noster in Evangelio noluit quenquam confidere suis talentis, nisi negotiando cum illis promereatur regnum cælorum. Solus humilis, qui curam habet animæ suæ, & cum timore Dei, utitur gratiâ sibi concessâ, vivens in perpetua cogitatione ac studio placendi Deo, uniendo se illi per amorem, salutem suam collocat in tuto.

VI. Atque

VI. Atque ut confidentia in Bonitate Dei non faciat nos negligentes, ut evenit interdum propter nostra peccata, & ut nemo sic de ultima hora confidat, quasi certò salvandus in illa, pœnitendo ex corde; recordemur ejus, quod S. Augustinus monet, loquens de conversione Latronis: & si dubium non sit, recipiendum à DEO in gratiam, qui toto corde convertitur ultimâ vitæ horâ; dubium tamen magnum esse, an ille, qui tota vita sua non utitur auxiliis DEI, ut convertatur, an, inquam, ille hoc ita sit facturus in extremis, cùm plenus fuerit doloribus ac timoribus, ut mereatur acceptari ejus conversio. Ideo DEUS providit, ut, cùm in S. Scriptura legantur exempla plurium, qui tempore vitæ egerunt pœnitentiam, nullius autem eorum, qui fortè in extremis conversi sunt, nisi solius boni latronis: ne quis temerè polliceatur sibi similem felicitatem.

pœnitentia ante mortis horam agenda.

EXERCITIUM
De dolore Christi ex interitu Judæ & latronis.

I.

TOtus es bellus, ô Jesu, totus placidus, totus suavis & amorosus: cùm accedis ad corda peccatorum, oculi tui convertunt animas, verba tua molliunt duritiam, conversatio tua attrahit aberrantes à via, societas tua ducit captivos. Totus es amabilis, totus verax, totum te consumis & impendis amori peccatorum, & semper renovas amorem eorum. Tuis pedibus sanctificâsti Magdalenam, tuâ præsentiâ domum Zachæi, vocatione tuâ Usurarium Matthæum, & Paulum persecutorem, oculis tuis Petrum abnegatorem. Manducâsti cum peccatoribus, collegisti eos comiter, recepisti misericorditer, defendisti sapienter, gratiâ tuâ liberaliter eos locupletâsti; & ut verus Judex justificâsti publicanum, dedisti latroni paradisum, & nullum peccatorem reliquisti sine remedio, si non propria voluntate sit pervicax. Totum te consumis amore peccatorum; quandoquidem habuisti majorem rationem salutis ipsorum, quàm tui honoris & vitæ. Totum te pro illis tradidisti, luxisti mala illorum, luisti pœnas pro illis; ostendisti, quanto flagres eorum amore ac desiderio salutis

Christus totus erat in convertendo peccatores.

salutis, & quantum tibi mœroris afferat cujusvis eorum damnatio.

II. Quòd si omnes, qui pereunt, tantum creant tibi dolorem, quis cogitare potest, quantum creaverit interitus Judæ & latronis ad latus tuum pendentis? Qui te amat, Deus meus, id bene intelligit, quia novit immensitatem tui amoris. Hos duos jam habebas in reti & in occasione, ut eriperes eos diabolo; sed illi sua sibi obstinatione & malitia damnationem arcessiverunt. Quis dubitet, magis hoc tibi doluisse, quàm crucem? Hoc ergo restabat addendum tuis doloribus. Benedictus sit amor tuus divinus! Ita es tu, Domine: ita es tu, Redemptor mi, ut non omittas facere pro peccatoribus, quidquid potes. Judam consecrâsti sacerdotem, cùm te jam vendidisset; dedisti ei sacratissimum corpus & sanguinem tuum: pedes ei lavisti: potenter ad cor ei locutus es, & ut sibi timeret, addidisti, melius ei futurum fuisse, si natus non esset: admisisti eum ad osculum & amplexum in horto, & cùm proditor esset, amicum vocâsti, ut videres, an sineret se expugnari; sed ille periit, quia voluit: & tu cum sensu tam suavis & amorosi cordis, ivisti ad patiendum pro illo, sciens hoc ei non profuturum. Sic ille damnatus est, & cor tibi dolore sauciatum reliquit.

Gaudium de salute boni, & dolor de damnatione mali latronis.

III. Videtur mihi ex parte satisfactum fuisse tuo amori, cùm cerneres à dextris tuis latronem, pœnitentem suorum peccatorum; quia tam promptè illi promisisti paradisum; sed alterius pervicacia mox renovavit dolorem. O amor divine, non cæce, licet sponte capte pro peccatoribus, quales dolores sunt isti? ficine otiosus es in cruce, ut oblitus tuorum cruciatuum, sentias voluntariam damnationem impiorum? O infinitum ignem! ô viscera paterna! ô vera amicitia, tam sincera, tam pura, tam prodiga, tam immemor sui, & tam solicita pro peccatoribus, quos amat! Quare, mi bone Jesu, te non amo ex toto corde? Quare vel unum momentum vitæ meæ consumo sine tuo amore & servitio? O si possem sic occupare omnes meas cogitationes in te, sicut video te totum occupari in me! Quando, ô quando videbo me sic occupatum! ô quàm longè id abest, & quàm diu differtur? propera, mi divine Pastor, ut amore tuo me capias, & ego omnes

cogita-

cogitationes meas defigam in te: quia hoc solum tibi placet, & ego id sine ope tua obtinere non possum. Sufficiant dolores, quibus affecit te peccatis meis; ne sinas eos augeri cum interitu meo. Ab hac hora in perpetuum trado me tuæ voluntati: recipe me pro tuo, crucifige me, & salva me.

Deteriores sumus Latronibus cum Domino crucifixis.

IV. O potens Rex gloriæ! ô Domine paradisi! ô vere amice & pastor animæ meæ! habes hîc alium latronem, quo leves tuum dolorem ac sensum; quo te afficit ille, qui damnatur tam bona occasione salutis. Ego sum latro, majore jure cruciandus pro meis peccatis. Ego sum corruptor bonorum talentorum gratiæ & naturæ, quæ mihi dedisti; quia sum illis abusus, neque per ea sum operatus meam salutem. Ego millies prædatus fui gloriam tuam superbiâ meâ, & vanitate, non attribuendo tibi dona tua; & tua cùm essent, vanissimè mihi vendicando, quod debui gratiæ & misericordiæ tuæ: ego violavi judicium & justitiam, permutando veritates tuas mendaciis mundi & carnis, per infelices suggestiones spurcorum gustuum vitæ: ego sum ille, qui majorem partem vitæ consumpsi in operibus dignis supplicio. O quoties, Domine, poteras me exturbare è vivis, justè me tradendo potestati diaboli, & mittendo ad inferos? at tu semper infinitâ misericordiâ tuâ me supportâsti, & expectâsti hucusque. Et ego hîc adsto tam parùm usus illâ; sicut tu, ô piissime Jesu, vides ac sustines. Ergo, unice subventor in malis meis, qui tantùm doloris capis ex damnatione unius latronis; hæc est hora mea: ecce hîc alium pejorem, quem justiùs condemnares. Da mihi, Domine, crucem hanc vacuam, ne sine fructu perdat suam virtutem, quam in illo latrone non habuit; tu sanctificâsti eam: mihi est reservata: mihi da illam, divine Agnelle: suspende me in illa ad latus tuum: compensa tibi in anima mea jacturam illius obstinati. Ego, Deus meus, confiteor cum bono latrone, socio meo felice, quòd tu sis Rex & Dominus paradisi; & quòd possis eum dare mihi, si velis, neque neges eum puro amore ad te conversis. Confiteor, Domine, quòd hîc, ubi pendes, sis Deus, & Filius Patris æterni, qui me potes salvare. Confiteor, quòd, quidquid ordinaveris, ut patiar pro peccatis meis, multò sit minus merito. Tu, ô Innocens Agnelle, pate-

Ne crux mali latronis virtutem suam perdat.

le, pateris injustè; quia nihil mali fecisti, sed omnibus bonis reples animas, quæ volunt ea à te accipere; ac dives es thesauris beatitudinis & gloriæ. Sed ego, qui non sum veritus offendere bonitatem tuam, & infinitam majestatem, ac amorem tuum, justè damnabor.

Tu te illi affige.

V. Sed ô Salvator mi! memento mei, cùm vadas ad regnum tuum. Da mihi hunc locum ad latus tuum, qui jam est vacuus, ut spem habeam, quòd me tecum sis ducturus in paradisum. Ne ampliùs doleas de interitu animarum, accipe hanc, quia me converto ad te; & tu non minùs amas me, quàm istos, qui tecum sunt crucifixi. Non peto, Rex gloriæ, ut hodie sim in paradiso, sicut promisisti socio meo: neque enim id mereor: sed hoc peto, ut hodie me affigas cruci, & in ea me relinquas, dum vivam: quia in ipsa totum offero tuæ divinæ voluntati. O bone Jesu! utinam inveniar in ea & in societate tua, captus & affixus amore tuo, gratiâ tuâ, & miseratione tuâ, ut à te non ampliùs possim recedere!

Quò celo ac Deo vicinus fias,

Bone Pastor, ac Domine hujus animæ! tu scis, cruce nihil esse paradiso vicinius: scis nullum habere certius pignus gloriæ, quàm crucifixos: & nullum esse securiorem de tua societate, & influxu gratiæ & amoris tui, quàm qui pendet in cruce tuæ deditus voluntati. Crucem, & gratiam tuam, Domine, peto à te, ut securè maneam ad latus tuum, quod est verus & suavis paradisus animarum crucifixarum: ibi securus ero de regno tuo: ibi consumentur & finientur peccata mea: ibi aliquo modo evadam tui similis: ibi mihi dabis amorem tuum: ibi tenebo te strictè: ibi vivam per te, & moriar pro te omni voluntati hujus vitæ: moriar suaviter in te, & semper gloriosè tecum regnabo.

O Mater Dei, advocata peccatorum! quæ oculis tuis conspexisti has miserationes, quas Dominus exhibuit peccatoribus, ac dolorem, quem cepit ex damnatione illorum, meliùs intellexisti, quàm ullus alius, quia plùs aliis omnibus amavisti: & vides etiamnum ejus amorem finitum non esse, sed durare, sempérque duraturum; jámque petivisti, ut misereatur peccatorum: porrige manum isti, qui te invocat. Impetra mihi locum hujus latronis perditi, ut in eo perseverem totâ vitâ meâ, & sic merear alium postea in regno tuo.

O for-

O fortunate latro, qui hodie abis ad paradisum, & tam familiaris es Domino, compatere huic misero peccatori, socio tuo, & juva me, ut impetrem crucem, quæ te salvum fecit: & amorem, qui renovavit, & gloriam, quæ te coronavit. Amen.

ÆRVMNA XLVII.

Sensus Christi è doloribus Matris.

I.

Ærumnæ B. V Filio doluerunt,

SAcratissima Virgo, Domina nostra, fidelis socia fuit ærumnarum Filii sui, Redemptoris nostri, tantúmq; de illis participavit, ut sine particulari memoria prætiri non possit. Quia causa dolorum fuit illi videre, quæ Filius patiebatur: sed neque Filio parvum dolorem creavit, videre & nôsse, quid amore sui pateretur dilectissima Mater. Et ut hæc semper perfectè est imitata Filii sui virtutes heroicas, ita etiam in doloribus, & patiendi modo similis ei fuit, quantùm decebat. Sustinuit in corde suo magnum certamen, hinc amoris erga Unigenitum suum, quem tanta sciebat passurum; inde verò submissionis erga voluntatem Dei, ac desiderii ardentissimi peragendæ Redemptionis peccatorum, quorum advocata jam erat: sic ut amor salutis nostræ desiderium mediorum ad eam necessariorum accenderet; sed amor maternus erga Filium, cui tanto media illa constarent, ea refugeret, reverentia verò Divini Numinis ipsam DEI voluntati plenè subjiceret.

Ejus in voluntatem Patris æterni resignatio,

II. Appetente jam Passione Domini credunt Sancti, eum pro suo amore & obedientia, quâ semper fuerat erga Matrem, ipsi valedixisse, petendo licentiam exequendi decreta Patris æterni; cui placeat, ut ipsa quoque suæ cruci assistat, ac defuncti corpus involutum sindone sepeliat: simul indicando, quid interim ei faciendum, & ubi commorandum sit, quoad resurgat; denique discipulos & reliquos fideles ei commendando. Et quia jam aliàs indicaverat illi, quænam passurus esset, compendio ipsi tunc omnem rei seriem recitâsse, ut spiritu eum comitaretur. Credibile est, eos hîc non ampliùs multis verbis usos, sed oculis & affe-

ctibus sua sibi sensa mutuò communicâsse. Atque hoc ita, ut mutuus amor & conformitas cum divina voluntate, nullam imperfectionem, nullum summæ obedientiæ defectum inter naturæ sensa admitterent. Christus enim ut natus è Virgine, naturaliter tactus est Matris fortunâ; sed cùm simul DEUS esset, ei robur dedit ad omnia perferenda, & solatus est eam verbis divinis, quæ illa velut humilis ancilla servabat in corde suo, accipiens novum augmentum gratiæ, fortitudinis, & excessivi amoris, ut superare posset hoc mare dolorum, quod jam fervebat. Facile est intelligere, quàm paratam se ostenderit ad patiendum pro illo, si posset & conveniret, & quantò id ei suavius fuisset, quàm videre pati Filium. Sed quia DEUS aliter constituerat, obtulit saltem cor suum: Dominus autem vicissim corpus suum ad patienda, quæcunque DEUS constituit: Virgo pati debuit tormenta filii in parte sensibiliore, quæ est anima, nihil cogitando de propriis. Filius autem in humanitate sua sustinere & sua & Matris, ad mensuram propriæ virtutis.

Et prompti-tudo patiendi pro Filio.

III. Abeunte Domino ad immensum pelagus dolorum, Virgo continuæ orationi incumbens, eum sequebatur animo: ut adeò vesper ejus diei tristissimæ initium apud illam sumeret ab oratione, lacrimis, agonia seu luctâ internâ, cum perfecta subjectione & obedientia Voluntatis divinæ, prorsus eo modo, quo Christus in horto cœpit, sudando sanguinem. In ista occupatione perseveravit usque dum renunciaretur, quid agatur Filio, ac tempus esset ei se associandi. Nocte, quâ captus est JESUS, dilapsis jam cubitum Judæis, dum esset in carcere usque ad lucem (quod duarum circiter horarum fuit post mediam noctem) Joannes Virgini retulit, Dominum morte condemnatum à Judæis, manè traditum iri Pilato, pro confirmatione & executione sententiæ. Multa hîc meditantur, quæ locuti sint Virgo & Joannes: equidem censeo, ut lacrimæ & sensus cordis non defuerint, linguæ tamen haud multùm indulsisse Virginem, cujus modestia summa & prudentia nihil admittebat inconveniens in verbis aut gestibus, sed in corde patiebatur plus, quàm dici queat.

Filii vestigia sequitur.

IV. Orto jam sole, domo prodiit, Filium, si posset, conspectura, & secutura sancta ejus vestigia. Prodivit autem silentio,

tio, lacrimis vias, & suspiriis ardentissimis cælum aspergens: sociârunt se ipsi aliæ matronæ, Christo devotæ, cum sensu doloris, ut assolet. Interim Judæi Christum ad Herodem ducebant: sed Mater eum præ turbâ non viderit, licet audiret voces variè de illo sentientium, & blasphemantium. Cogitari potest, Agnum in medio luporum, desiderâsse præsentiam ejus, quam tantopere diligebat: ut solent amantes in ærumnis constituti acerbiùs sentire absentiam dilectorum, tametsi non parùm cruciaret eorum præsentia. Sed illa tum primum eum videre potuit, quando à Pilato propositus fuit omni populo, totus cruentus, convulneratus ac deformatus, amictu ridiculo, cum spinis in capite, & arundine in manu. *In ejus conspectum venit.* Bene sciebat illam adesse, & ipsa suum ei cor patêre, quo non sauciabatur minùs, quàm quòd illum spinis & flagris laceratum videbat. Ibi audivit falsa testimonia, & clamorem præponentium ei Barrabbam homicidam: ibi audivit voces eum deposcentium ad crucem, & præconis denuntiantis diram sententiam: ibi conspexit elevatam crucem, ab eo deportandam in Calvariam, ut affigeretur in illa. Secuta ergo cruenta ejus vestigia, tot lacrimas, quot ille sanguinis guttas fundebat; nec minùs onerata cruce dolorum in animo, quàm humeros filii ligno premi videbat.

V. Postea considens in monte Calvariæ, cum matronis, quæ Dominum erant secutæ, ipsam ut poterant consolantibus, ad instar filii, tacita sufferebat animi sui dolores. Cúmque audiret ictus malleorum, quibus affigebatur Dominus cruci, feriebatur simul cor ejus, & immenso cum dolore expectabat, donec elevatum in cruce videret, præcipiens animo, quanti forent cruciatus singulorum illius membrorum, amore eos ipsi accuratè describente. Atque ut debilis erat à vigiliâ, & modicissimo cibo, & exhausta lacrimis, cùm filium elevatum aspiceret, quia mater & homo fuit, & non potuit impedire sensum naturæ, sine omni culpa & vitio, in brachia sociarum collapsa est ex deliquio, quale solet in enormi dolore etiam robustis contingere. In quo arescentibus lacrimis aliquantisper tremens ac pallida mansit, quoad non aspersione odoriferæ aquæ, aut balsamo, sed sponte,

corroborante eam ad ulteriora filio, collectis viribus erecta, cum Joanne & matronis, locum cedente populo, penetravit ad crucem, & modò procumbens in genua, modò stans fixis in Filium oculis, functa est in animo suo munere advocatæ peccatorum, offerendo pro illis DEO Patri communis Filii sanguinem, ac suos dolores cum ardentissimo desiderio salutis illorum. Formidabat videre morientem, ac dolebat, quòd cruciatus ejus tam diu durarent, solâ morte finiendi. Desiderabat mitigari à Patre rigorem tormentorum filii, & volebat nihilominus ad unguem conformari ordinationi divinæ. Aspiciebant se mutuò sanctissima ovicula, & divinus Agnellus, & intelligentes se mutuò, alter alterius doloribus cruciabatur. Confidenter dixeris, quò magis considerantur acta inter illos, eò minùs comprehendi posse dolorem & sensum eorum, ac tantùm duo illa corda plenè intelligere, quæ passa fuerunt. Cùm enim dolor fuerit par amori, non assequetur illum, nisi qui hunc fuerit assecutus, à quo longè absumus omnes. Parcamus ergo verbis imparibus rei, & sensum ejus pro sui quisque amoris gradu sequamur. Interim autem dolor Virginis identidem renovabatur continuò succedentibus rebus; cùm filius constanter quereretur se derelictum à Patre; cùm aceto & felle potaretur: cùm clamans emitteret Spiritum: cùm depositum ipsa exciperet gremio: cùm involueretur linteamine: cùm obsignaretur sepulchrum: denique triduum, quo expectabat resurrectionem, videbatur triennium.

Explicari nequit, qua Filius & Mater in præsentia passi sint.

VI. In veris & perfectis imitatoribus Christi, qui venerunt ad statum puri amoris, videmus magnum effectum hujus Charitatis, qui est, sufferre cum gustu proprias ærumnas ex amore DEI, graviter autem sentire ærumnas aliorum, adeò ut mallent eas ipsi perpeti, quàm in aliis cernere. Clarè hoc ostendit Christus tum in totius vitæ suæ decursu, cùm in passione præcipuè. Nam acerbior fuit ei damnatio Judæ, quàm ea, quæ propter ejus proditionem passus est. Filiabus Jerusalem, super eo plangentibus, clarè dixit, quantò magis imminente ipsarum exitio, quàm sua cruce prematur. Elevatus in cruce velut immemor suorum dolorum ante omnia stategit veniam impetrare

suis

suis tortoribus. Ex quo patet, amorem, quo fertur in suas creaturas, ei mala earum repræsentare tanquam propria, & facere, ut graviùs ea ferat, quàm sua. Unde dubium non est, ei dolores Matris cruci adstantis, acerbiores fuisse, quàm suos. Nam illa dignior fuit ejus amore, quàm simul omnes alii in cælo & in terrâ: magis igitur amabat illam, & amabatur ab illa. Fuit mater, cui nulla similis; socia vitæ & ærumnarum fidelissima, innocentissima, digna, quæ nihil pateretur mali; & tamen passa est, qualia nemo unquam, ante vel post illam: quia tali Matri ob oculos versari talem filium in tantis cruciatibus & injuriis, nec posse eum juvare, crux erat ipsi soli reservata, solius Virginis humeris par & ferenda: nam heroicis virtutibus ejus fuit commensurata. Et licet pro debita erga Matrem observantia, Dominus non permiserit, ut ab ullo carnificum pateretur aliquid molestiæ; solum tamen id, quòd ejus filius esset, eámque ut Matrem amaret, sufficiebat ad illam ita torquendam, præ omni carnifice; sicut initio suæ vitæ sufficerat ad illas consolationes, quas ex eo percepit.

Magis sensit Redemptor dolores Matris, quàm suos.

VII. Videbat à cruce Dominus, omnia penetrare cor sanctissimæ Matris: videbat inconsolabiles lacrimas: videbat ejus desolationem, in qua erat, & futura erat se mortuo, & quidquid passura, ex dispositione Patris æterni. Quæ omnia dulcissimo cordi Domini Jesu materia erant novi tormenti, Patre sic ordinante, ne quidquam deesset, quo possent afflictiones ejus Humanitatis augeri. Et hanc putant esse causam, cur non appellaverit matrem; ne per hoc amabile nomen aliquid ipse sibi solatii sumeret: sed dixerit: *Mulier, ecce filius tuus*: ne scilicet videretur omnem ejus curam deposuisse, sed ei consulere velle, quantùm posset, sibi substituendo discipulum, qui deinceps ipsi serviret: cui ideo dixit: *Ecce Mater tua.* Et ut Joannes juxta crucem repræsentabat omnes homines, ita voluit Christus in eo nos omnes obligatos ad serviendum huic Dominæ. Quod ille sic præstitit, ut nihil crederet majoris negotii se habere in mundo, nec meliorem hæreditatem sibi ab amantissimo Magistro potuisse obtingere.

Joan. c. 19. v. 26.

Ibid. v. 27.

VIII. Non exiguo Virgini solatio fuit, audire vocem Unigeniti sui pro se soliciti: nôrat enim assignatione novi filii,

illum sibi non adimi, quem genuerat, & ut creatorem ac Dominum suum habebat. Et ut intelligebant se mutuò hæc duo purissima corda, sic acceptavit illa Joannem in filium, & in eo nos omnes, bene videns Dominum hoc velle; &, cùm tam atrocia patiatur ab hominibus, futurum, ut hi deinceps parùm in ipso habeant fiduciæ, tantorum contra eum sibi facinorum conscii, nisi Matrem suam illis daret, per quam ad se recurrant confidentiùs. Nec dubitandum est, de amore hujus Dominæ erga peccatores; quandoquidem eos, ad pedem crucis acerbissimo cum dolore parturiit, quem in Unigeniti sui partu non sensit. Ubi clarum fit salissimum mare dolorum Christi & Matris, terminatum in dulcedinem gratiæ & divitias peccatorum. Hæc omnia nos obligant, ut oculos defigamus in hos duos puriſſimos spiritus, & in illorum obsequiis totam vitam nostram impendamus, & curemus omni diligentiâ insistere sanctissimis eorum vestigiis: quia cogitari non potest, servum placere Domino, si aliâ viâ incedat, quàm tenuerint Virgo & Christus Dominus noster.

B. V. in Joanne nos omnes in filios acceptavit.

EXERCITIUM
Circa dolorem Domini ex conspectu Matris afflictæ.

I.

BOne Jesu, innocens Agnelle! qui undique torqueris in ista cruce, & vides etiam torqueri cor innocentissimæ Matris & ancillæ tuæ, da mihi, ut associer vobis, & sentiam utriusque vestrûm dolores. O duo corda, tam pura, tam plena gratiâ & pulchritudine interna, tam accensa puro amore, tam invicem conjuncta & afflicta! Sentiebat sanctissima Virgo, ut Mater, & fidelissimè amans, immensos dolores divini Agnelli, filii sui. Sentiebat obedientissimus filius incomparabiles dolores Matris, ut amantissimus & fidelis amicus. Purissima ovis, & innocentissimus Agnus mutuò se inclamant, patitur alter pro altero, plorat alter pro altero, alter alterius dolorem sentit sine solatio: & quantò amor est purior, tantò sensus doloris est major. O durum cor,

Dolores Filii sunt dolores Matris: Matris dolores, Filii.

cor, non solveris dolore & lacrimis, videns te causam fuisse dolorum istorum? Quid fecit hic Dominus; ut tanta pateretur? Tu improbe & perverse peccator, cum infandis tuis peccatis, es carnifex ac tortor horum sanctissimorum cordium. Ignoscite mihi, purissima corda: sumite vindictam de me, quam promereor; & quia vobis obediunt omnes creaturæ, jubete ut omnes de me sumant vindictam, immittite mihi vestros dolores, quia eorum causa fui & sum: juvem dolere, & sentire, quod feci vos pati, Amor animæ meæ, Jesu, Virgo spes mea! quæ tantopere imitaris filium tuum, in amore peccatorum: tollite à me gustum vitæ, quia vester sum: & cùm vos eam transigatis in dolore, non finite me illam sine eo finire, quia sum è domo vestrâ, & servus vester, licet indignus: non permittite, ut in hac vita delectationem habeam, nisi in eo, quo vos delectamini; sed ut semper feram in anima mea vestros dolores, ut sentiam eos vobiscum, vos amem, & in obsequia vestra convertam omne tempus vitæ meæ.

II. O Virgo sacratissima! quomodo versa sunt omnia gaudia tua in miserias? si fuissent, qualia sunt mundi, justa foret hæc mutatio: sed tu, Regina Angelorum, nunquam delectata es, nisi rebus divinis. Deus possederat cor tuum: solus ille, & quod ab eo proveniebat, vel ad eum ducebat, te delectavit. Gaviſa es videre te Matrem Dei, & plenam Deo: videre natum, & adoratum ab Angelis, Pastoribus, Regibus: videre eum in gremio tuo, nutritum purissimo lacte tuo, quiescentem inter brachia tua, agnitum à justo Simeone & Anna. Totis triginta annis, quibus egisti cum eo, omnis tua delectatio interna, divina, spiritualissima fuit, ab eo tibi communicata inter jubilos, raptus & excessus mentis, quibus anima tua purissima, inflammata à Filio ac Deo tuo, elevabatur, uniebatur, ac transformabatur in ipsum: nam à sua divina Majestate majores accipiebas favores, quàm omnes alii, quia plus omnibus creaturis eum amabas. Quid igitur, ô Domina, & Regina Angelorum! fuit in his delectationibus tuis, quod mereretur verti in dolorem? Debuitne in te locum habere miseria, & tributum infelicium filiorum Evæ, à cujus peccato fuisti immunis? Non potuit etiam tibi hæc terra non esse

esse vallis lacrimarum? O miserum peccatorem! qui videns Reginam Angelorum in afflictione, cogitas delicias in hac vita, cùm nulla tua delectatio sit pura & integra! Erubesce, miserande peccator, coram hoc Domino, & hac Domina: pudeat te temporis in tanta inordinatione consumpti, & quòd tam malè ferendis adversis te accommodes. JESUS, Filius DEI, moritur in cruciatibus; purissima Virgo Mater non refugit dolores, quos patitur; & tu perverse peccator, petis solatia & voluptates!

III. Quamdiu vixisti cum Domino, Regina! expectavisti hos dolores, quos prædixerat Simeon. Et nunc vides oculis tuis omnia versa in eum statum, quo obliviscaris omnium præteritorum gaudiorum. Secundùm magnitudinem tui amoris creverunt dolores. Filius iturus ad patiendum, tibi valedicendo significat, voluntatis divinæ esse, ut suæ cruci affixas, & mox gladius doloris pertranſit cor tuum. Joannes te vocat, asserens appetere tempus crucifixionis, & tu mox egrederis domo, plateas urbis irrigans lacrimis pretiosissimis. Invenis Unigenitum tuum in medio immanium ferarum suos rictus in eum pandentium, & eum ad necem clamando poscentium. Vides eum, non jam prostratis ante ipsum Angelis & Regibus, sed expositum populo tanquam falsum Regem, blasphemiis & omnibus injuriis oneratum, denique damnatum ad crucem, quam humeris gestat fatiscens, ac tu sequeris plena immensi doloris. Audis ictus malleorum affigentium illum, ac te transfigentium simul. Expectas, ac vides eum elevatum in cruce, cum ingenti clamore ac strepitu, quo constringuntur viscera tua, & sanguis in venis gelatur. Adstas cruci, & sub ea tristissimas horas transigis, inter summa tormenta filii & convitia, donec emittat spiritum. Depositum excipis gremio, involuis linteo, sepelis, ultima ipsi præstans obsequia; sicut nato prima præstiteras, pari amore, sed affectu longè dissimili. Atque hoc totum tanto mari ærumnarum, tantis fluctibus dolorum, tantis angustiis afflictionum, cum tanta desolatione ac derelictione, quantam nullus cogitaverit. Inter hæc omnia flagrabat amor tuus, téque urebat, nihil remittente fide & obedientiâ tuâ, quæ cor Deo resignatum tenebat, nihilque contradi-

Quantùm B. V. dilexit, tantùm passa est.

Ultima ejus in Filium obsequia.

tradicebat. Omnia dabant dolorem, afflictionem, desolationem: omnia cor transfigebant absque confortatione. O Virgo sanctissima! quis posset sentire, quæ tu sentis in anima? quanta scilicet in corpore suo sentit filius tuus, quem quantùm diligis, tantùm ei compateris: cui nullum cor aliud potest sufficere.

IV. Quando fideles tui servi & veri amici, ô Regina cæli! vident hæc, diffluunt lacrimis; & si pro aliquo solatio tuo dolore confici possent atque consumi, paterentur hoc libentissimè. Quis ergo fuerit sensus Filii tui amantissimi, cùm videret hos dolores, quibus torquebatur cor tuum? nam ut illum tu semper amâsti, sic ille te multò magis amavit & coluit annis triginta, tibi obsequens, adhærens, obediens: cùm ergo tè jam videt in hac desolatione, præ dolore nihil dicentem sibi, uti nec ipse tibi dicit aliquid, quia desunt verba, quibus mitigetur hic dolor; & super hæc omnia, videt se necessariò pati debere illa, quibus tu cruciaris, cùm non possit non obedire Patri æterno; neque posse te non pati, dum vides eum in his tormentis. O Pater æterne, ac Deus totius consolationis! qualia corda sunt hæc duo, quæ tenes crucifixa? quomodo non adjuvas unicum Filium tuum, & sacratissimam sponsam, humilem ancillam tuam? quomodo frangis legem tuam, quæ prohibet immolari simul Agnum & Matrem ejus? hîc enim iisdem clavis affixum tenes & Filium, & cor innocentissimæ Matris. Majórne tibi cura fuit brutarum pecudum, ne immolentur eodem die, quo dolent imminutum esse numerum suorum agnorum; quàm purissimæ Virginis, quæ sic dolebat morte sui divini Agnelli? voluisti quoque, ne ullum tortorem sæviorem habeat, quàm amorem erga Unigenitum tuum; & ne quid desit summo dolori, disposuisti, ut in mutuo torquerentur ambo conspectu. Benedictio, laus & gloria sit amori tuo, Domine, quo prosequeris peccatores! Adoro te, & infinitas gratias ago pro omnibus operibus tui infiniti amoris.

Servi Maria eidem condolent.

Filius & cor Matris iisdem clavis affixum erat crucis.

V. O Fili Dei vivi, divina lux animæ meæ! per infinitum amorem tuum, quo me amas, rogo te, ut velis plenè illuminare me his divinis veritatibus, & è corde meo pellere desideria consolationum hujus vitæ, & me confirmare in tui amore, ac desiderio

patiendi pro tē. Et quia omnia decora tua occasio tibi tormenti fuerunt, ipsa adeò sanctissima Virgo Mater, cui vicissim ipse quoque fuisti causa tribulationis immensæ; quanta est mea cæcitas, si cogitem aliâ viâ incedere? mi amor, & sapientia mea divina, quamdiu manebo in hoc errore, & illusione? quamdiu te fugiam? quamdiu terrenus hic homo cunctabitur facere, quod clarissimè cernit in te? Quare diligo vitam, si eam non exigam in tua societate, sicut fecit sanctissima tua Mater, cùm tuam pro me finias in cruce? quæ potest major esse deceptio meorum errorum, quàm ista? ô spes mea! oriatur mihi tandem divina lux tua, roboretur amor, fiat hæc mutatio cordis mei, ut se totum tibi submittat. Ecce jam tibi me trado, me offero, totum me dono: fac, Domine, ut corde puro hoc fiat, & integro. Sine me pati tuos dolores; da mihi, ut in iis imitari te possim. Tolle à me gustum rerum omnium ut aliâ non delecter, nisi tui amore, & patiendo pro te.

Maria nobis in Matrem data à Christo

VI. Deus cordis mei, & Domine animæ meæ! adoro te, & infinitas gratias ago, quòd etiam dolorem, quem accipis à Matre tua sanctissima, vertas in bonum meum, dando mihi illam pro Matre ac Domina, & demonstrando, quòd me tanti æstimes, ut illi me tuo loco tradas in Filium, ut ipsa me protegat, foveat, juvet, mei misereatur, & compatiatur necessitatibus meis. An non inveniebas, Redemptor mi, aliud solatium afflictissimæ Matri, quàm ut assignares ei peccatores in filios? Benedicaris & laudaris in æternum, quòd nihil velis perire, sed omnia vertas in nostram salutem. Ergo, piissime Salvator, fac ut inter tot remedia ego sine remedio non sim: recipe me in tuum, & fac me dignum famulum hujus sanctissimæ Virginis ac Dominæ.

O Sanctissima Dei Mater! recordare, quòd dolores, quibus caruisti in partu Virgineo Unigeniti tui, duplicati fuerint in partu spirituali peccatorum, quando eos recipiebas in filios. Et quia tibi tanto constiti, accipe me in servum tuum, protege me, adjuva me. Impetra mihi à Domino, ut me exaudiat, possideat, & totum transformet in suum obsequium. Fac erga me, ô sanctissima Virgo, officium Matris, impetrando mihi gratiam, ne pereat hic tuus indignus & miserabilis Filius. O cives cæle-

stes,

stes, fructus viscerum & amoris huius purissimæ Dominæ! rogate illam, ut mihi faveat, & obtineat ab Unigenito suo, ut faciat me dignum servum suum. Amen.

ÆRVMNA XLVIII.
Domini in Cruce Derelictio.

I.

MUltùm relevari solent ærumnæ, si quis vel socios vel amicos habeat, qui compatiantur, aut animum à malo abstrahant, atque divertant ad alia. Sed undique circumfluere miseriis, ut quocunque convertas oculos, augeantur dolores, ac destitui simul omni re, quæ animare possit, hæc demum non sine ratione habetur pro summa miseria. Ideo Dominus noster suos in hoc genere probare solet, eò quòd maximè contrarium sit naturæ & gustui vitæ. Quando ergo vult animam, quæ seria voluntatis determinatione ipsum quærit, inducere in hanc viam, & præparare ad gratiam, quam ei largiri decrevit, initio crucem ei tentationum, aut aliarum molestiarum imponit, ut incipiat amittere amorem rerum terrenarum, & exerceri in imitatione Christi. Deinde cùm inceperit obedire Deo, & à manu suæ divinæ Majestatis acceptare cruces, adimit ei consolationem creaturarum: ut illam quærat solùm in ipso, & creaturæ non rapiant sibi partem ejus amoris per consolationem, quæ possit provenire ab ipsis. Denique cùm à creaturis avulsa, per amorem Dei renuntiaverit omnibus, quæ ab illis posset exspectare, soli Deo se permittendo, à quo solo duci cupit, & accipere solatium; ille suum favorem abscondit, atque ita se occultè communicat animæ, ut eum præsentem non agnoscat, nullámque consolationem sentiat, cum desolatione interna, ut jam nec à Deo, neque à Creaturis habeat quidquam solatii. Fit hoc ideo, ut perfectè purificetur amor, ac Deus jam non quæratur, nec ametur propter sua dona & gratias, sed purè propter id, quod est, & meretur. Et sic anima puro amore Deo subiecta, liberaliter sinit se tractari ab eo sive per solatia, sive per desolationem, prout ejus Majestati videtur;

Qua ratione Deus animas ad se rahat,

Status perfect. amantium Deũ

tam contenta, quando ipsi placet eam affligere, quàm cùm consolari, nullam ejus providentiæ metam præscribens, vel terminum alium, quàm qui ipsi placuerit. Hic status est purè amantium Deum, & servientium ei perfectè, non multis cognitus, à paucis desideratus, à pauciſſimis obtentus. Sed qui Deum quærunt ex corde, licet non eousq; perveniant, tamen in ea progrediuntur, quantùm possunt per gratiam sibi datam. Qui verò pervenerunt ad summum gradum derelictionis omnimodæ, & manent fideles in ea, experimento cognoscunt, hoc gravius esse omni corporali miseria, & faciliùs tolerari pro Deo martyrium corporis, quàm hoc martyrium Spiritûs: quia illud habet auxilia sua, & consolationes internas, quibus tormenta dulcescunt, & mors ipsa; Deo quasi palpabiliter succurrente, ne vi dolorum ac metu deficiant in amore ac fide. Non enim amor Martyrum indiget ampliùs probatione, cùm pro Deo vitam profundant, & omnia: quæ summa est amoris probatio.

Facilius est martyrium corporis, quàm Spiritûs.

II. Exercitati in hoc genere meliùs intelligent, quantùm debeamus Christo Domino nostro, unico consolatori omnium, quòd inter tantos alios cruciatus voluerit etiam sustinere hanc omnimodam derelictionem, sine omni lenimento ac solatio. Voluit enim tales suorum cruciatuum esse circumstantias, ut hæ fierent graviores ipsis primariis tormentis. Talis fuit hæc derelictio: nam à creaturis nullum fuit auxilium, sed unaquæque potiùs auxit ejus dolorem. Amici, asseclæ, discipuli relicto eo fugerunt, unus etiam prodidit, alius negavit, tertius cruci adstitit mœrens. Sanctissima Mater, & aliæ feminæ eam secutæ, duplicaverunt ejus dolorem, stando ad crucem ob oculos ejus cum planctu; ac divino consilio factum est, ut nihil ei refocillationis afferrent. Non fuit ex omnibus, quos sanaverat ac docuerat, qui aliquid ei præstaret officii, aut verbo saltem ostenderet sibi displicere, quæ illi accidebant.

Tormenta Christi aucta à circumstantiis

Iudæorum in eum barbaries.

Inimici tanta crudelitate & barbarie erga illum sunt usi, ut omni sensu naturalis compassionis exuto, non contenti malis, quibus eum affecerant, quæsiverint novos modos torquendi etiam viscera ejus aceto, felle & myrrha; & post mortem transfixerint eum lanceâ; vestes ejus ludo & sorti subjecerint. Quæ omnia fecêre tanto cum tripudio, quasi Dominus pestis & ruina suæ gentis fuisset,

cui

cui suâ morte libertatem parabat. Nullum servârunt in eo ordinem vel justitiæ, vel rationis, vel gratitudinis, aut observantiæ, quasi homo nauci fuisset. Atque per hæc omnia demonstrârunt improbitatem ac virulentiam animi sui, quæ Domino maximè doluit, cùm eos ardentissimè amaret, & mortem oppeteret pro eorum salute.

III. Sed nec Angelorum ullus apparuit confortans eum in cruce. A rebus inanimatis id saltem sperare potuit solatii, ut lignum, clavi, spinæ tantisper à naturæ suæ rigore discederent, ut mare quondam ei servivit. At nihil horum obsequiorum à suis creaturis jam expertus est, sed omnia dura & acerba. Sol suum lumen subtraxit, nec habuit, quo tegeretur, sepultus in aliena sindone. Sitienti neque haustus aquæ datus est, quâ ferè omnes abundant. A Patre cælesti, qui verum est refugium afflictorum, & à Spiritu sancto, qui proprio nomine Consolator vocatur, sic derelictus fuit in cruce, ut nihil omnino remitteret eorum, quæ consilio æterno pro peccatis nostris toleranda decreverat, ne in minimo quidem dispensando: ideo tradidit eum in manus hostium & carnificum, quasi non esset suus filius, omnem licentiam in eum permittens potestati tenebrarum, ut agerent in eo, quæcunque vellent ac possent in omni furore & malitia. *à Patre derelictus est.*

IV. Sed & anima ejus, licet esset beata, non tamen plus largita est corpori, quàm vitam & vires ad patiendum. Atque ut sua divina Majestas in aliis servis suis desolationem solet attemperare gratiæ cujusque, ita Christo admensus est eam plenitudini gratiæ, quæ in illo fuit: neque ullus alius fuisset ferendæ. Denique tanta fuit hæc desolatio, ut, cùm admirabili silentio sustinuerit omnia toto passionis decursu, hanc tamen non dissimulaverit, sed affectuosa voce prodiderit, dicendo: *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquisti me?* Quibus verbis non de ipsa derelictione questus est, velut ægrè ferret; sed filiali confidentia expressit, quàm sit gravis ea derelictio: quomodo etiam solet amicus amico, cujus gratiâ laborat, exponere, quantum id sit laboris, quem tamen libenter obit, ejus amore majorem quoque obiturus, si oporteret. Quòd autem Dominus contra derelictionem suam questus non sit, *Matth. 27. 46.*

Joann. c. 19. v. 28. mox ostendit, cùm dixit: *Sitio*: dans occasionem novæ vexationis, præbendo sibi aceto & felle. Non ergo dixit illa, quasi eam derelictionem cessare cuperet, sed indicare voluit, humanitatem suam in tam inexplicabili afflictione aliquid saltem refocillationis optare.

Psalm. 21. v. 2. V. Diu antè prædicta fuit hæc derelictio à Regio Propheta: *Deus, Deus meus*, inquit, *respice in me: quare me dereliquisti?* & mox addit caussam ejus derelictionis: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, quæ in me expianda suscepi. Et majore parte illius Psalmi recensèt minutim, quomodo sit relictus in manibus inimicorum suorum, & hi suam confidentiam in DEO, quasi vanam, irriserint. Sed horum omnium fructum in fine declarat. In Psalm. 88. v. 39. cùm David exposuisset amplitudinem ac dignitatem Filii DEI in carne passi, miratur consilium divinum in eo derelinquendo: *Tu verò*, inquit, *repulisti & despexisti*, quasi nihil curares eum. *distulisti* ejus exaltationem, derelinquens in afflictione

Psalm. 88. v. 39. & seq. *Christum tuum, evertisti testamentum servi tui*, quo promiseras ei regnum: *profanâsti in terra sanctuarium* corporis *ejus*. *Destruxisti sepes ejus*, liberam in eum grassandi & vastandi potestatem feris permittens: *posuisti firmamentum ejus formidinem*, teipsum, quo unicè nitebatur, exhibens ei non consolatorem, sed formidabilem, & quasi contrarium. *Diripuerunt eum*, & omnia desiderabilia ejus *omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis: exaltâsti dexteram deprimentium eum, lætificâsti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei* in atrocissimo *bello*. *Destruxisti eum* funditus, *& sedem ejus in terram collisisti*. *Minorâsti dies temporis ejus*, ut è medio tolleretur in juventute. Totum *perfudisti eum confusione. Usquequo, Domine*, faciem tuam *avertis in finem, & exardescet sicut ignis ira tua?* Denique videns David bona ex his oritura, in DEI laudes erumpit: *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.* Hinc cernitur, quantam rationem habuerit Spiritus sanctus istius desolationis, quam adeò exaggeratè describi curavit, ne unquam ejus oblivio nos capiat, vel excusare possimus nos ignorâsse, quantum Filio Dei propterea debeamus. Neque enim leve fuit, quod tantò antè prædictum, ac tam accuratè descriptum est, Christo velut mitissimo agno ad ea non aperiente os suum.

VI. Hæc

VI. Hæc derelictio Domini præberet occasionem plura dicendi de servorum Dei desolationibus, ut frequentibus, ita sanè quàm gravibus. Sed exemplum Domini nostri tam clarum & luculentum est, ut sine ulteriore doctrina ex illo disci possit, quidquid est desolatis animabus necessarium. Tria solùm pro illarum consolatione monebo. Primum: licet Christus judicaverit de sua derelictione appellandum esse Patrem æternum; nihilominus neque liberationem ab ea petivit, neque solatium, aut refocillationem, quam tanquam Deus, ipse sibi dare poterat: sed voluit perficere opus inceptum, & in eo durare usque ad mortem: insigni & prorsus necessario documento afflictorum; qui non debent cogitare, se nihil proficere, quando vident suam naturam graviter laborare sub onere, quo gravantur: quia hic sensus causa est majoris meriti: & efficacissimum remedium in his afflictionibus est, recurrere ad Deum, à quo proveniunt; non petendo, ut eas tollat, vel minuat; sed ei submittendo suam voluntatem, neque aliud auxilium quærendo, quàm ut possit perferre; cujusmodi sunt Sacramenta, & consilia peritorum servorum Dei: quod si faciant, non opus erit quærere medium se liberandi, sed fideliter perseverandi in illis. Nam recursus ad Deum cum subjectione suæ voluntatis est medium fortissimum confirmandi cor; cum fide certum sit, adversa immitti à Deo, quomodo & quando convenit iis nos exerceri. Neque gratius Deo sacrificium potest offerri, quàm ut voluntatem divinæ ordinationi submittas, renuntiando omni alteri consolationi; præterquam ei, quam Deus ipse dare voluerit, & eo modo, quo ipse ordinaverit. *Quid desolatæ animæ faciendum*

VII. Secundum est, ne sinant se vinci tentatione, quæ desolationi solet adjungi, quasi Deus eorum oblitus, manum suam ab eis abstraxerit. Quia fides nos docet, Patrem æternum non potuisse oblivisci Unigeniti sui nec eum deserere, licet eum ad tempus in desolatione reliquerit: imò per hoc ipsum medium impletum ivit, quod ei promiserat, multis audientibus, dicendo: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quia per has ærumnas paravit ei victoriam ac triumphum, gloriam corporis, claritatem nominis toto mundo, & innumerabiles animas per eum salvandas, subjectis ei omni- *Desolato fortiter pugnandū.* *Ioann. 6. 12. v. 28.*

ei omnibus inimicis. Si ergo Filium suum Deus glorioſum fecit per afflictiones, quis de immenſa bonitate ejus cogitet, eum ſervulis ſuis imitantibus filium, in adverſis non etiam patientiæ coronas parare? non cadit hoc in Deum, qui prope eſt omnibus afflictis, & liberat humiles Spiritu.

VIII. Tertium eſt, Chriſtum, teſte S. Cypriano, hanc ærumnam ſubiiſſe non tam exempli cauſa: quàm ut mereretur nobis protectionem & conſolationem divinam. Quantumvis enim quis deſolatum ſe videat, nunquam tamen tam ſolus erit, quàm fuit Chriſtus: & cui deſunt omnia, Chriſtus tamen, magis omnibus deſtitutus, ei non deeſt, omnem defectum noſtrum ſupplendo, & favorem divinum ſua nobis derelictione conciliando, ut egeni non ſimus. Hic eſt ergo ſenſus verborum ejus: Deus meus, memento cauſæ, quare me dereliqueris: quæ eſt, ut nemo deſeratur à te. Per hanc meam derelictionem commendo tibi omnes, ex tua permiſſione afflictos. Recipe illos, protege illos, fove illos, glorifica illos, ſicut me glorificas. Verè enim anima nunquam dignior & glorioſior eſſe poteſt in oculis Dei, quàm cùm videtur derelicta à ſua divina Majeſtate.

EXERCITIUM
Circa derelictioem Domini.

I.

Multitudinem tribulationum Chriſtus verbo prodit,

O Vere Conſolator cordium tribulatorum, ſpes dejectorum Spirituum, fideliſſime amator animarum, Jesu, quies & conſolatio omnium languentium, debilium, ac derelictorum! quodnam eſt hoc pelagus afflictionum, in quibus te poſitum video, ut rupto illo mirabili tuo ſilentio, te cogat in verba, quæ innuant fatiſcere tuam invictam patientiam? Esne fortaſſe tu, Jeſu animæ meæ, ſicut ego ſum, qui qualibet afflictione à te mihi immiſſa, puto me jam eſſe in fundo maris, è quo deſpero emergere, tanquam homo exiguæ fidei? At ſi animo tranquillo velim ire per hoc mare, quod me vis tranſire, te ſtatim invenio, qui me inde ſiccis pedibus educis: & cùm ſis vera tranquillitas meorum fluctuum, modò te video tam defeſſum in tuis, ut præ admiratione vix habeam ſpiritum.

tum. O divine ac mitis Agnelle! qui hactenus tam quietus fuisti ac patiens, omnes tuos dolores abscondens in corde afflicto, sine querela & contradictione, quidquid facere te vellent, subjiciendo te omnibus tormentis & injuriis; nunc tandem loqueris, ac profiteris afflictionem, quam pateris, cum suspiriis tam miserabilibus, ac verbis tam teneris Patrem compellans. Certè hoc non provenit aliunde, quàm quòd, sicut Psalmus habet, veneris in altitudinem maris afflictionum, angoris ac derelictionis, ut non sit, ubi subsistas, & plus pati non possis humanitus. O qui te posset consolari, Jesu amor, & vita animæ meæ! ô qui posset sublevare mœrorem ac dolorem, quem pateris! Impleviſti, Domine, quod per Prophetam prædixeras: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Isc.36.v.3.

II. O quantum tibi debeo, Consolator mi? quando potero respondere aliquo modo amori, quem mihi exhibes? non enim fortuitò deveniſti in extremam istam afflictionem, sed eam ultro suscepiſti pro me: non coactus externa vi, sed amore ab omnibus derelictus es. Ac nisi prohibuisses, Angeli te defendissent, stellæ cecidissent è cælo, elementa turbata fuissent, omnes creaturæ conspirâssent ad liberandum te ex hac afflictione; sed amor tuus divinus, qui omnes actiones tuas gubernat, sic voluit, & ipse solus effecit, ut tu patereris hæc, & ad extremam desolationem venires; ac tu magis meam necessitatem, quàm tuos dolores attendens, tibi soli reservâsti hoc genus patiendi, ut patereris absque omni solatio, ne quisquam alius ita patiatur: nam omnibus afflictis ades, & quò se quis magis putat esse desertum, eò tu es ipsi præsentior. Adoro hunc amorem, qui sic nos consolatur: adoro hanc voluntatem tam studiosam mei auxilii.

III. Quid fieret me, Deus meus, si tu non ita fuisses pro me? sed quis ego sum, & quis tu, ut sic æstimes meas necessitates, & propter illas tuam sanctissimam humanitatem sic affligas? nôsti bene, mi Jesu, quanta sit inæqualitas inter te & me; & nihilominus in tua bonitate & amore inveniſti modum juvandi me tanto tuo dispendio. Adoro te, Magister mi, ac pastor divine, quia tanto labore tuo me docere voluisti, quòd omnia possim à te sperare, licet non merear; & quòd infinito amore ac bonitate sis ad omnia

mihi præstanda. Quænam ergo mihi supereſt excuſatio, ſi te non amem toto corde, & non ſerviam tibi totis viribus, & repudiem omne humanum ſolatium? in omni re, bone Jeſu, es infinitus, liberalis, magnificus: in amando, in ignoſcendo, in expectando, in ſupportando me & ingratitudinem meam, in patiendo pro me ſine ſolatio & auxilio, ut ſoli tibi debeam omnia. O quàm eſſem inops & miſer, ſi meum bonum & remedium conſtituiſſes in alio quàm in te! quia non poteſt inveniri alia tam larga & amore plena voluntas, quæ faceret meâ causâ, quæ tu feciſti.

Deſtitutus eſt omni prorſus ſolatio,

IV. Tu acceptâſti ultro ordinationem Patris tui, ut in hanc derelictionem venires, & ſuſtentâſti Humanitatem tuam in ea, beatitudinem debitam illi ſuſpendens, ne quidquam in corpus redundaret ſolatii: nec voluiſti, ut vel Angelus de cælo veniret, afferens aliquid conſolationis, ut in horto factum eſt. Adduxiſti ad pedem crucis tuam ſanctiſſimam Matrem, plenam dolore, ut inde tuus creſceret: permiſiſti fugere Apoſtolos, ne te defenderent, vel tibi aſſiſterent: voluiſti, ne quidquam exhiberetur tibi conſolationis vel gratitudinis ab his, quibus bene feceras: abſcondiſti potentiam tuam, ut te tanquam infirmum opprimerent inimici, & tractarent pro libitu. Solus abſque compaſſione, abſque ſocio, qui conſolaretur, abſque lumine ſolis, abſque memoria miraculorum atque doctrinæ tuæ; nudus ut latro, impoſtor, ſeditioſus, turbator patriæ, & omnium ſceleratiſſimus, pendere voluiſti in cruce, nullo ſolatio à cælo, nec à terra; totus lacer & ſaucius, plenus dolore lethali in omni parte corporis, derelictus ab omnibus, ab ipſo etiam Deo Patre: quæ omnia licet ultro elegeris, tam acerba tamen fuerunt, ut alta ſuſpiria vocésque ad Patrem elicerent. O Deus cordis mei! ô bonum animæ meæ! ô conſolatio afflictorum! ô refugium derelictorum! quomodo mihi eſt in corde & viſceribus meis, cùm te ſic deſolatum intueor? Neſcio loqui, mi bone Jeſu! deſidero colliqueſcere ſenſu, lacrimis, amore, & aperire tibi cor meum, ut videas, an aliquid in eo ſit, unde poſſis habere ſolatium. Deſidero jam, cùm tibi omnia deſunt, ſaltem non deeſſe meum hunc pauperem ſpiritum, & amorem hunc, flaccidum licet ac frigidum. Accende tu eum, Deus meus, ut ſentiat, quid

patiaris,

patiaris, ac te amet, complectatur, affigatur cruci, ut juvet te sentire tuos immensos dolores. O gloria & opulentia cordis mei, tibi loquuntur interiora mea. Dilata, extende hanc animam, ut sentiat, ut intelligat, ut amet, ut consumatur in eo, quod videt in te unicè merito amorem hujus animæ.

A quo & tu discas desolationes tuas patienter ferre.

V. Desidero, Deus meus, non discedere ab ista cruce, sed fugere à me ipso; quia video me talem coram te, & quia hæc tua derelictio est mea gravis reprehensio. Estne possibile, Domine, ut audeam queri, quando deest mihi divina tua consolatio, cùm videam te pro mea salute sic debuisse desolari? Insuper eò miseriæ devenio, ut quando subtrahis mihi suavitatem gustûs tui, putem te mei oblitum; cúmq; tunc studiosiùs quærere deberem auxilium tuum, convertar ad terrena solatia. Fugio crucem tuam, diffido Bonitati tuæ, cùm videam te clamare ad Patrem tuum, bibere acetum, perseverare in cruce, donec impleas, quod tibi præcepit, & in ea pati immensos dolores & mortalem agoniam, donec exspires. Quando me consolaris, sum valde liberalis in promissis, offero me ad patiendum, resigno me in tuam voluntatem; peto crucem, ut tibi similis fiam. Sed cùm abscondis dulcedinem tuam, & mihi das, quod in consolatione ardenter petieram, statim puto te mei oblitum, à me recessisse, & me esse extra gratiam tuam, & exhaustam misericordiam tuam. Quomodo, Jesu animæ meæ! tunc non cognosco, te in hac desolatione non desiisse esse Filium, nec imminutos thesauros gratiæ & magnitudinis tuæ? ô quàm miser sum! quàm infirmus, terrenus, inconstans! quàm ignarus, & ingratus beneficiis tuis! quàm usurarius est amor, quem erga te habeo! quàm infidelis tibi, cui tam sum obligatus! Perfice, Domine, & purifica amorem hujus animæ. In omnibus, quæ facio, Domine animæ meæ, sum similis mihi ipsi, terrenus, abjectus & vilis: & tu, Deus meus, in omnibus quæ facis, es purissimus, & similis tibiipsi, liberalis, bonus, amans & verus amicus ingratæ hujus animæ. Non est opus, ut potentiâ utaris ad me evertendum; quando me puto firmissimum esse, si tu parùm abscondas radios tuos, quælibet cogitatio, quælibet contradictio vel tentatio me dejicit ac facit, ut gratiosæ præsen-

tiæ tuæ & misericordiæ diffidam. Confiteor tibi, Redemptor meus, me nihil esse, nihil posse: ita sum natus, ita fui & sum hucusque ante te. Sed tua virtus, ô Deus meus! potest corroborare debilitatem meam.

Confusio de vita male transacta.

VI. O misericordia infinita! quanto pudore adsto coram te, quando recordor alterius majoris miseriæ, in qua vixi tanto tempore, te non amando, nec desiderando, nec patiendo pro te, neque intelligendo, quid sit hæc interna desolatio, occupatus & inebriatus vanitate, & gustu peccati ac mundi: quæ me procùl abstinebant à te & gratiâ tuâ, nihil horum sentientem! O mi bone Jesu! quàm longè abfui à te! quomodo recessi ab hac divina pulchritudine tua, tam antiqua, tam nova! Hæc sunt, quæ te Domine, adegerunt in hanc derelictionem. Ego, Deus miserationum, deberem sic destitui gratiâ tuâ & omnibus creaturis, quia te dereliqui & offendi; ac totus mundus deberet armari contra me: sed tu, Domine, benignior es erga me, quàm erga teipsum; ac desolaris, ne ego desoler. Ignosce, Jesu animæ meæ, huic tuæ creaturæ, quidquid feci contra te, ut in hunc statum venires. Ad te, ô Pater misericordiarum, revertor; suscipe me, Deus totius consolationis: protege me pietate tua, ne frustra sit in me tantus dolor, ac tantus amor.

Derelictio Christi nos roborat ad resistendum adversis.

VII. O Jesu derelicte, refugium orphanorum ac desolatorum: amor tuus me docet, ab hac derelictione tua provenire mihi omne robur, ad resistendum adversis. Quid erit me, si derelictio tua me deserat? Sed tu vere auxiliator meus, quemadmodum doloribus tuis redemisti mea supplicia, & mihi vitam donâsti, sic tua derelictione meruisti, ut Pater æternus me non deserat; & quantò sum afflictior, tantò sit ipse misericordiâ suâ mihi propinquior. O Jesu, lux animæ meæ! illumina oculos meos in tempore tribulationis; quam cùm conveniat me subire, noli attendere timiditatem infirmitatis meæ. Per hanc derelictionem te oro, Domine, non ut me non tribules, sed ut in tribulatione me non deseras, ac doceas me in illa te quærere, velut unicum remedium animæ meæ; ne debiliter in fide, nec deficiam in servitio tuo, nec extra te quæram solatium, & accipiam à manu tua sanctissima,

ctiſſima, quidquid mihi porrexerit. Humilia me tunc, & conforta me: ſolare me, ut pati poſſim, & perſeverem in patiendo uſque ad mortem. Et quoniam hoc totum eſt opus tuæ derelictionis ac manûs omnipotentis, fac in me, quidquid poteſt miſericordia tua: vides enim ſine gratia tua nihil omnino me poſſe. Glorificeris, amor triumphans, in infirmitate mea; quia in parvis & abjectis oſtendis majorem potentiam ac bonitatem. Exaudi me miſericorditer, bone Jesu, ſincere amice, & unicum refugium hujus animæ!

O Mater ſanctiſſima, & Virgo perpetua! quæ vidiſti, ac ſenſiſti extremam afflictionem Unigeniti tui, tanquam fideliſſima ancilla & ſocia laborum ejus, ſis advocata mea in die deſolationis; ſuſtenta meam fidem, & fave debilitati meæ. O Curia cæleſtis! qui tranſiviſtis per hæc omnia victores ac triumphantes, compatimini nobis, qui adhuc ſumus in conflictu, & impetrate mihi gratiam perſeverandi uſque ad mortem.

ÆRVMNA XLIX.

Sitis Chriſti.

I.

Olent ægroti præparatis ſyrupis, medicinâ, & ſanguinis eductione curari: ſique nimis teneri ſint & lactentes, nutricibus dantur ſyrupi & medicinæ, ut lacte puriore abundent. Infirmata natura humana originali peccato, medicinæ ferendæ non erat. Dominus igitur ſe fecit ejus nutritium: *Et ego* inquit per Prophetam, *quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis; & neſciverunt, quòd curarem eos.* Quia pro ſuo erga peccatores amore, admovit eos pectori ſuo, & uberibus bonitatis ac miſericordiæ ſuæ nutrivit, ſuſceptâ in ſe curâ, mittendo ſanguinem, & ſectionem ſui corporis admittendo, ut virtute ſui puriſſimi ſanguinis, pro nobis effuſi, ſugentes ejus gratiam, dulcedine beneficiorum ſuorum educemur, ipſo interim ſyrupis ex aceto & felle potato, quod nobis fuerat ebibendum pro medicina corrupti guſtûs noſtri, quo cælum perdidimus. Reſervavit ſibi hoc

Cur Chriſtus morbi noſtri medicinam ſumpſerit.

Oſe. c. 11. v. 3.

Dominus ad finem vitæ, ut moreretur cum recenti sapore medicinæ, nostrâ causâ susceptæ. Adam per inobedientiam factus est auctor peccati & perditionis nostræ, gustando prohibitum fructum. De Christo prædictum erat, gustaturum acetum & fel. Huic prædictioni obtemperans, ut nos perfectè sanaret, Patri usque ad mortem obediit. Fructus, unde fluxit perditionis nostræ initium, fuit arboris sapientiæ & obedientiæ, quam violando Adamus incidit in sapientiam carnis & mundi: at sapientia divina, fructus crucis futura, unde vitam recipiant animæ, priusquam in illam ascenderet, fel, priusquam exspiraret, acetum gustavit; ut nossemus veram animæ salutem ac vitam, nec in principio suo, nec in fine habere quidquam de sapientia mundi, quæ occidit; quia mundus initio dulcia porrigit, quoad interimat; sed crux incipit ab amaris, donec det sanitatem perfectam & vitam æternam.

Inobedientia causa perditionis nostræ.

II. Non bibit Christus acetum felle mixtum, sed utrumque seorsim, fel antequam crucifigeretur, in vino myrrhino, quod ei miscuerunt per ludibrium crudeles carnifices, loco refocillationis ante supplicia dari consuetæ. Dominus autem non bibit, sed gustavit solùm, quantum sciebat satis esse ad cruciandum stomachum, idque cùm solito silentio, sine signis horroris & nauseæ. Cœpit ergo tunc implere primam partem Prophetiæ: *Dederunt in escam meam fel:* posteriorem autem, cùm sitiret in cruce, ultimâ horâ vitæ suæ, quando post tantam profusionem sanguinis, & cruciatus tam diros ac diuturnos, absque omni refectione, siti maxima laboravit ante ultimum agonem. Sciebat bene, neminem fore, qui vel haustum aquæ porrigat, sed præbituros acetum; tamen, ut ad unguem obediret Patri æterno, professus est sitim suam lethalem, ac dixit: *Sitio.* Adstabant Mater & amici, quibus maximo dolori fuit, non posse vel re tantilla juvare: Matri præcipuè, quæ nôrat è Scriptura, quid essent ei daturi pro aqua, nec poterat hoc impedire. Carnifices itaque feris immaniores, cùm jam alia re ipsum non possent affligere, spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes in arundine, obtulerunt ori ejus. Neque ipse recusavit, licet noviſſet, quantum is potus sibi creaturus esset tormenti, constringendo penitùs debilissimum pectus.

Psal. 68. 22.

Ioan. c. 19. v. 28.

Sitienti Domino acetum offertur,

III. Cùm

III. Cùm accepisset Jesus acetum,& nihil esset in Prophetis de ipso, quod ante mortem restaret implendum, ostendit, omni desiderio suo satisfactum jam esse, & omnia peracta, quæ præceperat Pater, ac siti salutis nostræ, quâ per omnem vitam suam ustus erat, dixit: *Consummatum est.* Considero Christum, ut hominem, qui peracto gravi labore, vel itinere magno defessus, ardet anhelando præ siti,cùm avidè hauserit amphoram aquæ,totus refrigeratus magno cum suspirio significat, quàm sibi sit bene post illum laborem, quo totus exaruerat siti. Sic Dominus,velut oblitus ærumnarum exhaustarum, & lætus, eas perductas ad finem optatum, suspirio gustûs pleno dixit: *Consummatum est.* Si quis interrogâsset,quidnam sit illud, quod tantopere gaudeat consummatum, aut quid ex eo lucri fecerit: nam si plus non fuisset, quàm in siti potatum esse aceto, erat ea causa non lætitiæ sed majoris doloris; si verò de passione ad finem perducta,adhuc mors restabat cum supremo agone: quid igitur consummatum est, quo lætatur? illud opinor, quòd, cùm suam humanitatem Dominus tradidisset potestati sui amoris, & hic ab ea nihil ampliùs posset exigere, sed abundè sibi satis in ea fecisset,contentus bonis,quæ cælo & generi humano præstita erant; ipsa quoque humanitas divini amoris erga se fidelitate, & quòd se pro instrumento reparandæ naturæ perditæ uti dignatus fuerit, imminente jam colligendi fructus laborum suorum tempore gaudens dixerit: *Cosummatum esse*, quidquid ad hoc necessarium erat. Ideo videtur S. Joannes, emisso ultimo verbo Christi in cruce, historiam ejus Passionis, & vitæ voluisse concludere; ut ostenderet, quàm suavis Domino mors fuerit,cùm siti salutis nostræ satisfactum fuisset,ipsum quoque acetum dulce putanti.

Ioan. c. 19. 30.

A cujus Humanitate amori plenè satisfactum

IV. Hoc dicto, *Consummatum est*, Christus aliam sitim nobis indicat: nimirum ut, cùm jam consummatum sit nostræ salutis remedium,utamur illo. Nam quisque sui laboris fructum desiderat; quantò magis Christus tanti, támque forti & lubenti animo exantlati? quem utique salus nostra in suis cruciatibus plus recrearet, quàm haustus aquæ, quo potiri non potuit. Ac licet naturalem sitim restinguere non potuerit, nisi potu acerbo; tamen hic ipse illi serviit pro complemento remedii nostri. Sed ut sitis nostræ

ſtræ ſalutis alia re ſedari non potuit, niſi libera noſtra applicatione remedii ab ipſo parati; ita totus ardens hac ſiti eſt mortuus, ut paſſione ſua ad noſtram ſalutem utamur. Quod qui non faciunt, ſed peccatis ſuis cogunt eum ad ferendam in ipſos ſententiam damnationis, potum illi præbent omni aceto & felle acerbiorem amariorémque. De quo per Iſaiam queritur, quòd à vinea, quam plantaverit electam, & cuſtodia cultúque ornatam, cùm exſpectaret dulces uvas, non acceperit, niſi labruſcas. Unde meritò credimus, majus ei tormentum attuliſſe deſiderium ſalutis eorum, quos perituros videbat, quàm ſitim naturalem, in qua etiam aqua frigida ipſi negata eſt. Quod ſi naturali & Chriſtiana compaſſione moti optaremus ei fuiſſe præſentes, ut inter hos cruciatus laboranti ſaltem hauſtu frigidæ poſſemus ſuccurrere, ne bibere cogeretur acetum; cogitemus nos Judæis longè eſſe immaniores, ſi morienti cum tanta ſiti noſtræ ſalutis, in vicem tantorum beneficiorum ei negemus id ſolatii, ut recedentes à peccatis, quæ ipſi mortis cauſa fuerunt, ſequamur veſtigia ſanctiſſimæ ejus vitæ, ac debito illum amore proſequamur.

c. 5. v. 2.

V. Conſiderando tempus & occaſionem, quâ Dominus manifeſtavit ſuam ſitim, inveniemus clarum ſpeculum, in quo patebit, quàm verè & puro corde quis ſerviat Deo. Etenim cùm eſſet in ſumma afflictione ac deſolatione, in qua meritò videbatur aliquid ſolatii & refocillationis exſpectare à Patre, non modò nihil tale expetivit, ſed inſuper occaſionem dedit novo tormento. Ex quo diſcimus differentiam naturæ & gratiæ inter adverſa. Natura tanquam infirma ſe contrahit, dolet ac lamentatur; ſed voluntas adjuta per gratiam Dei ad plura, ſi Deo placuerit, patienda ſe dilatat & extendit; & licet offerantur nobis res, quæ infirmitati naturali videntur impoſſibiles, eas tamen oportet aggredi magno animo: quia plerumque impoſſibilitates iſtæ ſunt potiùs formidines ortæ à debilitate naturæ, quàm veritas: durísque ſuſceptis cum fiducia in Deum, experimur noſtram infirmitatem auxilio Dei, per tolerantiam eorum corroborari. Sic duæ illæ vaccæ in libro 1. Regum 6. abſtractæ à ſuis vitulis plauſtrum cum Arca Dei traxêre. Nam etſi reſpicerent, ac mugitu naturalem ſenſum ac dola-

Diverſimo dè procedunt natura, & gratia in adverſis.

dolorem de illorum derelictione manifestarent; nihilominus progrediebantur cum Arca, Deo illas agente usque ad locum, in quo immolatæ fuerunt. Ita nihil de sanctitate vel merito per repugnantem sensum naturæ decedit. Magnum desiderium Deo placendi ostendit, qui cùm sentiat gravitatem laboris, nihilominus pergit, neque recusat fieri viva, & utique suavissima Deo victima. Qui verò in ærumnis timet ac retrocedit, clarè monstrat, quàm parùm sit adeptus virtutis. Deus per Moysen quadraginta annis in deserto exploravit virtutem Gentis illius, quam præ omnibus aliis foverat, & maximis beneficiis ornaverat & cumulaverat; eam tamen durissimam semper & contumacissimam expertus est, quæ quolibet incommodo permota recessit ab eo. Habere in desolatione sitim patiendi, & in afflictione quærere fel & acetum, probatio est verè amantis, & veri imitatoris Domini nostri. *Signum veri amatoris, & imitatoris IESV.*

VI. Non prætereundum est hîc, quomodo Christus à mundo recedat: & quomodo sibi mutuò solvant. Christus, dum vixit, mundo semper contrarius fuit, & voluptatibus ejus, reprobando omnem superfluitatem ejus, & commendando, quid esset opus ad cælum obtinendum, adeò, ut etiam pro hausta aquæ frigidæ illud promitteret. De mundo verò adeò nihil quidquam retinuit sibi, ut etiam vestes, quibus tegeretur, infra crucem reliquerit: cúmque ultimâ horâ saltem poculo aquæ uti vellet, mundus illi acetum porrigeret, eas illi inimicitias exhibens in morte, quas ab eo fuerat expertus in vita. Dominus autem tanto cum gustu illud accepit, quanto voluptates & recreationes mundi contempserat: ut contestatæ implacabiles, & semper manifestæ inimicitiæ inter suos & mundum extarent: ut adeò, qui pacem vult inire cum mundo, nesciam, quomodo posset esse à partibus Christi.

VII. Reliquit etiam nobis exemplum Dominus, ut quemadmodum totâ vitâ suâ habuit sitim nostræ salutis, & cum ea est mortuus, ita qui salvari desiderant, omnia sua desiderio illo metiantur & ordinent. Naturale est, ut finis, quo unaquæque res fit, moveat ac dirigat totam. Sic aliter laboratur lignum, quod destinatur in statuam, quàm quod in scamnum: & majore cura fit, è quo certius lucrum speratur. Quod si fit in omnibus aliis rebus,

& negotiis, quomodo illi, qui desiderant salvari, omnes curas, labores, & cogitationes dirigunt ad suum interitum? Causa hujus est, quia salutem suam tam frigidè desiderant, ut non habeant eam pro cynosura vitæ & actionum suarum. Non ergo cogitare poterunt hi, qui cupiunt salvari, se voti sui compotes fore, si desiderium eorum tale non sit, ut omnia dirigantur ab eo; cùm videant, Christum totam vitam suam direxisse ad salutem nostram, cujus siti ardebat.

EXERCITIUM
Circa sitim nostræ salutis.

I.

Etiamnum Redemptor in Cælo sitit salutem nostram.

ALiam sitim habes, Domine Redemptor & Salvator meus! quæ nondum sedata est. Cum ea natus, vixisti, mortuus, resuscitatus, in cælum assumptus es, & eandem adhuc retines, ac retinebis usque ad mundi finem; sitim salutis animarum, quæ non cessabit, donec omnia bona tua illis largitus gloriosè regnes in eis. O amor divine, quàm cupis communicare te ipsum! Et ô Bonitas divina, tuâ quid refert, sive salver ego, sive condemner? aut quid ego tibi dare possum, quod non habeas, ut deliciæ tuæ sint esse cum filiis hominum, possidere illorum animas, dare illis aquam vivam, ac transformare totas in te? Conquereris, si te non amem, ac semper sitis hanc animam pauperem, & ejus amore delectaris. Propter animas te ipsum totum effundis, ac videris oblitus tuæ Majestatis. Ex una parte vis æstimari ut infinitus ac divinus; ex altera sic abriperis amore animarum, ac si esses ipsis æqualis, & familiarissimus: deponis apud eas, quæ te amant, tuas querelas, & vicissim querelas earum accipis: amplecteris illas & æstimas, si te humaniter excipiant. Aperis eis tua secreta, & accipis secreta earum: Si te fugiunt, eas insequeris; illuminas eas, si te non agnoscant; exhilaras mœstas; consolaris, cùm te recipiunt; gaudes ab eis possideri; te das eis in manus, & largiris, quidquid habes. O Divine amor, nihil petis à tuis, nisi amorem: qui te non amat, is te non intelligit: sed qui te amat, non est, quod ex te quærat; amor ipse intelligit causas horum affectuum.

Ignis

Ignis consumens es, Deus meus, & semper vis habere, quod arripias: & cùm non possis facere, ut simus dii per substantiam, vis ut tales simus per beneficia tua, opes cælestes, ac beatitudinem. Denique nec lingua exprimere, nec auris audire, nec humana ratio potest assequi: solus amor potest experiri, quæ parâsti purè diligentibus te. Sitis hujus amoris amore sedatur, ac donec omnes habeas tecum, non cessabit; quia nihil est, quod possit ei satisfacere, nisi id ipsum, quo beatus es. *Sitim ejus amor sedat.*

II. O quoties, Amor divine, tibi fel & acetum præbui, pro amore, quem debebam! Et quare te non amo? quare, bone Jesu, non amo te toto corde? quid extra te invenio, quod comparem tecum, ut illud amem, non te, qui tantopere hoc desideras? fecisti hanc animam tui capacem, & ego alia quæro extra te! Sed cùm indideris ei famem ac sitim tui divini Boni, quando illam fero in alia, non sedatur, sed crescit fames ac sitis; quia nulla res potest ei satisfacere, nisi tu: & hoc ego non intelligo. Ergo, Domine, tu semper sitis meam salutem, & recusas fel & acetum; ego verò meam sitim non restinguo, quia non possum, nisi te solo. Obliviscere, Deus meus, obliviscere malorum, quæ hactenus feci: nunc revertor ad te, desidero te, cupio te, vita animæ meæ. Consigno tibi illam, quam sic diligis: ne fastidias ejus miserabilem statum, in quo reperis eam. Renuntio post hac omni alteri amori: fac tu, Domine, ut nauseem alia omnia, præter te; quia nunc te solum desiderat anima mea, ac desiderat te magis magisque amare.

III. Quemadmodum cervus fatigatus ac sitibundus desiderat fontes aquarum, ita anima, mundum secuta, & se ipsam fastidiens, desiderat te, Deus. Siti deficiens anhelat ad te, qui es fons aquæ vivæ: quando veniam & apparebo ante te, Deus meus, ut videam felicitatem, gratiam, & pulchritudinem vultûs tui? Interea dum te quæro nec invenio, sustento me lacrimis meis; illæ sunt mihi pro cibo die ac nocte, dum interiora mea inquirunt te, Deus salutis meæ, thesaurus ac beatitudo mea! In hac terra deserta, invia, & arida sine aqua, quærit te anima mea cum desiderio videndi gloriam tuam. Non me suspendas diu- *lacrimæ cibus pœnitentis animæ.*

tius, amor divine! noli vindicare præteritam ingratitudinem: noli me pro felle & aceto, quod tibi porrexi, punire abscondendo faciem tuam, quæ sola satiare me potest. Quod si ego non mereor, tu satia te ipsum inflammando me, ac transformando totum in te.

DEVM amans cetera omnia nauseat.

IV. O vita, & secura spes animæ meæ! noli tardare. Quando te potiar, ac tu purificaveris hunc spiritum, tunc ero totus tuus, ac tu meus; tunc quidquid tu non eris, nauseabo: tunc sine jactura dimittam omnia, quia me habebis pro tuo: tunc dilatabitur anima mea; tunc habebo, & potero omnia, & omnia me ducent ad te, tibique conjungent. Tu scis, quòd non possim tibi dare totum amorem meum, nec sedare sitim, quam habes, nisi tu mihi des aquam vivam. Hanc, Domine, promisisti his, qui cum desiderio & fide petunt à te. Fidem ac desiderium tu debes mihi dare, ut omnia tibi debeam. Desidero te, Deus meus, & credo, quòd omnia mihi dare possis: cor meum tibi supplicat, & invocat te, ô Fons aquæ vivæ! Fac in corde meo flumen aquæ vivæ salientis in te, ô Vita æterna! Currat meum desiderium semper ad te, amor meus semper te quærat. O vera vita! quando vivam solùm per te? O Spes superna! quando perveniam, ut videam te? O Thesaure divitiarum infinitarum! quando contemnam omnia terrena!

O Mater Dei purissima, Advocata precum nostrarum, & Mediatrix votorum! per illam afflictionem, quam habuisti, cùm videres dilecto Filio tuo præberi acetum pro aqua, rogo te juva me, ut ab illo obtineam ejus amorem, sine quo ipsi placere non possum, nec liberari à malis meis. Ideo te habemus pro Domina & Refugio peccatorum, ut intercessione tua consequamur, quod non meremur. Quod à te peto, justum est: remove tu, quidquid impedit ô clemens, ô pia, ô dulcissima Virgo & Mater sanctissima! O Curia cælestis quæ natas in aqua viva, totáque ardes amore vivo, in quo flagrat sitis animarum exulantium, juva hanc, quæ ad consortium tuum aspirat: ama pro me hunc Dominum, lauda illum & largire mihi vel pauxillum de igne, quo ardes, ut inflammer & ego.

EXER-

EXERCITIUM
De Siti CHRISTI, déque felle & aceto.

I.

QVidnam est hoc, Salvator mi, & unice Curator infirmitatum mearum, ut nihil supersit, quod non patiaris pro me? Desine monstrare hanc extremam inopiam. Itáne refocillatio, quam quæris, est, implere quod de te prædictum est, fore, ut in siti tua te potent aceto! Amor tuus, ô bone JESU! hoc tibi revocat in memoriam: ille creat hanc sitim, ille provocat ad manifestandam eandem, ut occasionem det crudelibus illis te vexandi hoc potu inhumano. Ardet semper in te, ô DEUS amoris, hic ignis, & ne sit otiosus, materiam quærit, ut accendatur, & faciat opera sua consueta. O Jesu, bonum & gloria animæ meæ! bene sciebas, cur id faceres, & quàm ego malè tibi soluturus essem, dum vivo tam negligens amoris & servitii tui, tam incurius beneplaciti tui in omnibus rebus, tam procul à tua voluntate, tam pertæsus eorum, quæ me docuisti, ut ea non agam, nisi invitus & coactus! neque tot monitionibus & stimulis evigilem, neque omni amore, quem exhibes mihi, cum fervore illa aggrediar, eadémque levi de caussa omittam: interim tam sedulus ad mea commoda, & meos appetitus, ut nunquam obliviscar eorum, quæ cupiunt Caro & Mundus. Ego totus in perdendo me ipso, tu totus in me salvando, totus in meo servitio; & ego malo pessum ire, quàm duci tuo amore. O miseriam detestabilem! O dura vincula hujus hominis terreni! quando, mi Domine & Salvator animæ meæ, disrumpes hos funes amoris propii, ac tui amore captum me trahes ad te? veniat, veniat, ô mi dulcissime Jesu! veniat hæc hora beata!

Solicitudo Domini nihil omittendi pro salute nostra,

II. O Satietas omnium esurientium! ô perfecta satisfactio omnium desideriorum animæ meæ! non erat ibi aliud, quo restingueres tuam sitim, quàm acetum, quo lacerentur viscera tui corporis adeò debilitati hac ultima hora? Videntur Angeli, qui in deserto esurienti ministraverunt, te non amplius nôsse, quòd te hac ultima hora sinant in maxima siti aceto potari. Adeóne pauper esse voluisti, ut etiam scypho aquæ careres Dominus

nus omnium rerum ? Siccíne Mundus te tractat, Agnelle mitissime, ut neget tibi rem tantillam, quæ nec brutis negatur, cùm à te, quidquid habet boni, acceperit ? Benedicant & glorificent te omnes creaturæ tuæ,& omnia opera amoris tui. Jam,Domine mi, se mundus ulciscitur, cujus res modicè gustabas, cujus delicias horrebas velut amaras; spernebas, quæ ipse maximi facit; condemnabas, quæ probat; laudabas, quæ damnat; neque voluisti ullam tuis pacem esse cum illo. Jam cùm indiges eo, ipse te tractat simili modo: priusquam te cruci affigant, pro confortatione porrigit tibi myrrham cum felle; jam jam exspiraturo, præbet acetum, ut, quem odisti in vita, acerbum experiaris in morte. Tam infensum & crudelem tibi se exhibet,ô superna Dulcedo !

Christo cum mundo nihil commune.

III. O Divina & æterna Sapientia ! nec in nativitate, nec in vita, nec in morte voluisti cum mundo habere pacem, aut quidquam commercii, neque ille tecum, qui te morientem & sibi valedicentem sic tractat. Maledicta igitur cæcitas mea! éstne possibile, ut servierim illi, & ei desideria ac tempus vitæ meæ impenderim ? Propter ipsum perdidi verum gustum rerum,propter ipsum internæ dulcedines tuæ mihi videbantur fel & acetum, propter ipsum dimisi conversationem tuam, & vanitatem gustando, tuas judicavi amaras. O infinita Misericordia ! quàm multa sunt, quæ mihi condones ? Sis benedictus, quòd detineas terram, ne mihi dehiscat ! diabolos, ne me abripiant ab oculis tuis ! quia tam impudenter commutavi dulce amaro, vitam morte, veritatem mendaciis, te salutem animæ meæ Mundo pleno miseriis,& inimico tuo,qui tam indignè te tractat.

IV. Bene intelligo, Divine Magister, quòd ea damnes, quæ hactenus amavi extra te: & ostendis mihi tuo tanto impendio, res mundi fel & acetum esse his, qui noverunt tuam dulcedinem. Si tu, mi Jesu, es tota bonitas, tota misericordia, tota dulcedo, quid aliud sapit, ubi tu non es ? Parce, Jesu, compatere debili & corrupto meo stomacho : sana meam animam, ut mundus posthac sit mihi, qualis tibi semper fuit. Per hanc lethalem sitim, per hoc fel & myrrham, per acetum, quod bibisti, rogo te, Deus & Salus mea, ut eximas ex hoc miserabili corde amo-

amorem & gustum mundi, & omnium rerum ejus: sit ille mihi crucifixus, & ego illi. Non sit pax inter nos duos: agnoscam illum esse verum venenum animæ meæ, & ille me tractet ut hostem. Et quia tu, Domine, voluisti sumere hunc haustum, ut amorosa viscera tua, ad quæ non penetrârunt flagella & clavi, cruciarentur illo, ne quidquam esset, quod non affligatur pro me; fac in me hanc mutationem, ut in te solo inveniam gustum, amem te solum, & quidquid tu non es, mihi videatur amarum: quia tu es superna dulcedo, perfecta suavitas, & purus amor hujus animæ.

V. Et quid magnum est, ô bone Jesu! si non habeam gustum, nisi in amore ac servitio tuo, cùm tu inter summos dolores non recusaveris bibere potum tam acerbum, & quasi recenti aqua sitim extinxisses, & abluisses omnem dolorem, & respirâsses, gratulabundus dixisti: *Consummatum est*: jam possum liberè redire ad Patrem, siti patiendi expleta. Quare ô Deus meus! non habeo hunc gustum in te, ac rebus tuis? quare non gratius est mihi tempus vitæ, quo patiar aliquid pro te, & in obsequio tuo? Totus in omnibus es amorosus: ubique ostendis verè paterna viscera, studiosa meæ salutis. Adoro te, Domine: laudo hunc amorem & curam, infinitas gratias ago pro gustu, quem habes in benefaciendo mihi. Sit hic gustus tibi pro medio, ut ab isto corde tollas omne frigus, & omnem tepiditatem in tuo servitio, faciásque me perfectum imitatorem tuum, & ut sim servus perpetuus tuæ voluntatis & amoris.

Ioan. c. 19. v. 30.

ÆRVMNA L.
Christi Agon & Mors.

I.

Tota vita Christi plena fuit ærumnis.

VIxit Christus Dominus noster in hac peregrinatione, triginta tres annos, ac tres menses, à nativitate usque ad mortem: sed à conceptione & incarnatione triginta quatuor annos: quos omnes à primo instanti traduxit in continuis & magnis ærumnis. Etenim annos infantiæ propter Herodis persecutionem transegit in Ægypto extra patriam;

triam; & eos quidem, cum reliquis usque ad trigesimum, cum perpetua oratione pro redemptione nostra, & miris exemplis virtutum, in obscuro, & ignotus mundo. Tres ultimos impendit prædicationi Regni cælorum, & Legis Evangelicæ, cum plurimis maximisque miraculis, ac beneficiis collatis in homines. Omnes hæ tres partes plenæ fuerunt immensis ærumnis, quæ instar magnorum fluminum, aquis plurimorum meritorum redundantibus, exornârunt se demum in Passionem, velut in immensum Oceanum. Fuit sacratissima vita ejus brevis quoad annos, cùm in flore ætatis sit mortuus; longa tamen quoad ea, quæ gessit: nam explevit omnia, propter quæ venerat, & infinita merita congessit, quibus obtinuit à Patre, quidquid voluit.

Factus est similis peccatoribus, excepto peccato.

II. Non pepercit unquam corpori suo, & humanitati, quidquid poterat pro nobis; nec omisit per omnia similis fieri miseris peccatoribus, excepto peccato. Ideo abscondit gloriam animæ suæ, humiliavit majestatem suæ personæ, & omnibus afflictionibus permisit se ipsum. Dedit se in manus inimicorum, & remedio nostro impendit, quidquid habuit à nostra natura, membra, sanguinem, vires, honorem, ætatem, omnes actiones & cogitationes suas, ac totum amorem. Restabat sola vita, quam, ut videtur, conveniebat nunquam extingui, ut semper Dominum haberemus viventem, qui tot fecerat demonstrationes sui erga nos amoris infiniti: & licet commune sit decretum, ut omnes semel oppetant mortem; non tamen videtur ei subjici debuisse eum, qui vera est Vita. Sed ille maluit perennem vitam agere, resuscitatus post mortem, quàm non impendere pro nostra salute id, quo nihil melius habere se existimant homines. Non potuit verò mori ex morbo, cùm esset perfectissimæ complexionis, quæ nullam admittebat humorum inordinationem ac morbum. Sed neque decuit eum extingui per infortunium aliquod: nam etiam casus hi fortuiti nobis, ordinantur à Deo; & sic videretur occidisse se ipsum; quod non decuit auctorem vitæ ac Salvatorem, cujus erat, in vita & in morte dare exempla summæ virtutis. Ergo dolore & cruciatibus extingui debuit, in quibus amorem suum erga nos ostendit, in immensum auxit thesaurum meritorum, & satisfecit pro nostris peccatis, Patri immolando se ipsum.

III. Peractis igitur omnibus, quæ ex voluntate Patris oportuit,

portuit, & exantlatis, quæcunque voluit, morti in se potestatem permisit: atque ita fuso jam omni ferè sanguine sui corporis, post tot cruciatus ac dolores adeò debilitatus erat, ut inceperit animam trahere; non subitò positurus eam, sed paulatim, ut agon esset tantò acerbior. Jam stringebatur pectus ac deficiebat anhelitus, jam rursus collecto spiritu respirabat paulò fortiùs: atque ut non jacebat extensus in lecto cum aliqua quiete, sed clavis affixus toto corpore pendebat in aëre, dolores ejus tunc fuerunt majores, quàm sint ullius hominis in agone jacentis: & quò magis accedebat ad mortem, eò magis ingravescebant membra, & augebant dolorem pleno semper judicio, ut sentiret magis, quæ patiebatur. Per nimiam debilitatem caput inclinatum, clausi fuerunt oculi divini, qui consolatio fuerant omnium afflictorum, labia frigida & nigricantia, quæ tot suaves ac divinas voces emiserant, modò claudebantur, modò rursus aperiebantur ultimis & lethalibus modis. Sed ut constaret, eum neque doloribus, neque supplicii ullis extingui potuisse nolentem, voluit, ut vivendi dederat, ita & bene moriendi dare exemplum; & eo tempore, quo naturaliter solet intercidere loquela, divina virtute sese corroborans, elevavit caput, aperuit oculos, ac defixit in cælo, & voce tam alta, quâ sanus vix posset, animam suam Patri commendavit, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo dicto rursus inclinavit caput, in signum perfectæ obedientiæ, & ore aperto cum ultima respiratione emisit animam & mortuus est, qui dat omnibus vitam æternam: ille focius peregrinationis nostræ, ille consolator afflictionum nostrarum, ille fidelis amicus, qui omnibus destitutos non deserit: ille, qui, uti non est mortuus, ut discedat à nobis, ita moriendo nos docuit modum moriendi æquo animo & securo, in perpetua ipsius societate; qui modus est, subjicere se divinæ voluntati, & offerre in paternas manus amantissimi Creatoris.

Fatales gestus.

Luc. c. 23. v. 46.

Mortua est vita nostra

IV. Conferebant quondam inter se aliqui SS. Patres de optimo modo se parandi ad mortem: quisque protulit, quod suus sibi spiritus dictabat: Unus perfectam contritionem de peccatis, alius vim Sacramentorum, alius puram orationem, alius opem & favorem

Quis optimus se ad mortem parandi modus.

favorem Sanctorum. Ultimus dixit, se pro bona morte nihil desiderare, nisi perfectam conformitatem cum voluntate divina. Neque hoc sine magna ratione; nam illa resignatio facit contritionem perfectam, disponit animam ad percipiendam efficaciorem operationem Sacramentorum, majore cum puritate elevat mentem in Deum, conciliat favorem Sanctorum, & super hæc omnia humiliat spiritum, ut majore cum fide, spe & charitate Deo nitatur, sibi diffidens, & in eo solo confidens: quæ res ei maximè placet. Præterea eximit metum pœnarum, quo amor proprius eo tempore inquietat animam timore servili: nam cùm omnia in potentes Dei manus resignet, non vult aliter tractari ab eo, quàm placeat ipsi. Denique renuntiat omnibus, quæ diligebat, & quæ in illo tempore tam periculoso possent intercedere inter Deum & animam: quia tum amat solam bonitatem voluntatis divinæ, & committit se immenso illi pelago misericordiæ, nihil aliud cogitando, quàm ut se det in manus ejus, cui credit, & quem scit amore suæ salutis mortuum esse. Atque ita quidquid boni optari potest, ut bene quis finiat vitam, includitur in plena resignatione sui in manus Creatotis, & veri unicique Salvatoris cum fide & humili fiducia in ipso. Totum hoc includitur his verbis: *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* *Pater*, nomen est amorem accendens. *Manus* Dei docet fides abundare bonis & miserationibus, & posse salvare, supplendo omnes defectus, quibus fit, ut illa bona non mereamur. *Commendo*, vox est confidentiæ & humilis resignationis. *Spiritum meum*, indigentem omni bono incluso in Deo, ut ea in ipso quæramus: & simul omnia restituendo illi, tanquam vero domino, qui tam potest ea restituere resuscitando, quàm dedit creando è nihilo. Ubi etiam discant, qui alios ad mortem disponunt, ut ritè confessos moneant oblivisci sui ipsorum, & pœnarum, quas meriti sunt, statúsque sui post mortem futuri: toto corde commendent se in manus Dei cum fide & fiducia in illo, nihil aliud petendo, quàm ut sua divina majestas glorificetur in sua creatura eo modo, qui maximè ipsi placuerit. Hic enim est modus optimus piè moriendi, & reddit securum de salute.

Luc. c. 23. v. 46.

Quid moriturò faciendum.

V. Mor-

V. Mortuo Domino nostro sol recuperavit suum splendorem, serenatum est cælum, & alia contigerunt notabilia, è quibus apparuit satis, quisnam fuerit Christus. In templo Jerosolymæ servabatur Arca Dei, cum Tabulis legis; cui loco velum oppansum erat, neque ullus intrabat in eum, nisi summus Sacerdos multis cum cæremoniis. Significabat hoc velum, omnia, quæ in lege Mosaica erant, esse occulta & figuras Christi veri Messiæ, legis Gratiæ tradendæ ab ipso. Ut igitur appareret impletas esse figuras, & apertam Veritatem, tempúsque jam venisse, quo Christus ab omnibus agnoscatur, recipiatur, & colatur in toto mundo; Christo in cruce moriente, Sol obscuratus, & velum templi scissum est medium à summo usque deorsum, & patuit omnibus, quod usque in eam diem latuerat: atque ita cum morte Christi finita est lex timoris, ac servorum; confirmata verò lex amoris & filiorum. *Signa mortem Domini subsecuta.*

VI. Contigit etiam, ut Centurio, qui cum sua cohorte servabat JESUM, audita voce Domini, quæ supra vires humanas erat, ederet hanc professionem de illius divinitate, quam Deo revelante jam dudum fecerat Petrus, dicendo: *Verè filius Dei erat iste*: confessus eo mortuo, quis fuerit, quem vivum ut latronem servaverat, & falsum regem ac deastrum, qui nullum juvaret. Similiter multi ex his, qui eum blasphemabant, viso terræ motu, solis obscuratione, clamore, quo mortuus est, soléque mox iterum lucente, pœnitentes facti sui, & percutientes pectora sua domum redibant. Tum revocabant in memoriam ejus miracula, laudabant doctrinam, agnoscebant crudelitatem, & injustitiam, quâ in mortem adactus est. Tum requirebant ejus dulcem conversationem, tota civitas videbat se destitutam ejus præsentiâ: agnoscebant innocentiam mitis Agnelli, incipiebat virtus Sanguinis ejus emollire dura corda crucifixorum, judicabatur sanctior iis, à quibus neci traditus erat. O imitatores JESU Christi Crucifixi! suscipite defensionem honoris ejus, & constanter ostendite mundo vestrísque persecutoribus, quòd, cùm pro illo patimini in cruce vobis imposita, tum verè triumphetis & vincatis cum illo. *Matth. c. 27. v. 54.* *In Cruce triumphandum & vincendum.*

EXERCITIUM
Circa Mortem Christi.

I.

O Bone Pastor, perfectissime Amator ovium tuarum! venit hora, quâ prædixisti te animam tuam positurum pro ipsis, quod dicebas esse signum summi amoris, cùm quis moritur pro suis amicis. O vere amice animæ meæ! ego te cupio vivere: nam dudum aliunde nimis bene agnovi amorem tuum, nec est, cur ultra tantos cruciatus, insuper ejus demonstrandi causâ suscipias agonem mortis. Et quomodo mors audebit accedere ad te, cùm tu vera sis vita? quomodo potes exire ex hoc mundo, me hîc relicto? quia tamen subire vis hanc luctam, descende priùs de cruce, & veni in hæc brachia mea, ut suaviùs moriaris in eis. Debeo tibi valedicere supremo complexu, tu verò dare mihi benedictionem. Auferes tecum cor meum, vel me simul tecum interimes. In ista cruce Deus animæ meæ, sunt omnia tibi nimis gravia: in ea sanctissimum corpus tuum, debilitate sua ingravescens, in singula momenta augat tibi dolores vulnerum; eccur non saltem ante mortem parùm respiras? Debétne hoc durare usque ad finem? O amorem constantem! ô perseverantiam, quâ nihil admittis opis usque ad finem, ante quem te nihil putas feciſſe, neque contentus es!

Constans amor IEsu.

II. Manebo hîc, bone Jesu, & me ad pedem crucis abjiciam, deplorans hanc separationem, cujus causſa sunt mea peccata. O anima sanctissima! nescio quid à te petere debeam, ut exeas citò, vel tardè? si citò, adimes vitam cordi meo: si tardè, cruciabis acerbissimè innocentissimum Agnum. Transfer hos dolores in me, & tunc age, quod voles. O mi Pater! qui tanto impendio me adoptâsti, dic pro valedictione huic miserabili animæ aliquod verbum, dic aliquid, quod memoriâ servem, ne unquam tui obliviscar: da mihi benedictionem, quandoquidem necesse est corpore separari: maneat anima mea in tui amore, qui renovet semper tui memoriam, ô bone Jesu! ut semper vivus mihi sis præsens. O Jesu, amor animæ meæ! quomodo mihi non deficiunt oculi & respiratio, dum rigescunt hæc membra, quæ sunt

Amoroſum deſiderium amantis animæ,

robur

robur animæ meæ? Jam, cùm caput sustentare non valeas, sed ad me inclinatum habeas, aperi pios oculos tuos, priusquam deficiat visus: aspice me cum misericordia: penetra luce illorum cor meum, & cape amore hanc animam. Si tuus amor in ea non manserit vivus, quomodo sine te vivam?

III. O mi Pater amantissime! ô sponse animæ meæ! ô sodalis ærumnarum mearum! ô amice fidelissime si vivam sine te, maneo sine patre, sine amico, sine domino, sine omni bono. Bene potes, quando ita vis, mori, ô Salvator animæ meæ! ut me tamen non deseras; quia moreris pro mea salute. Mi Domine, ac tota spes mea! quandoquidem moreris amore mei, & hic tibi infert lethalem agonem, negare mihi non potes, quod in hac ultima hora à te petam. Fecisti jam testamentum, tradis animam Patri, Corpus relinquis sepulturæ, opes tuas aufers tecum: & mihi, Pater ac Domine, quid relinquis? Relinque mihi saltem crucem: sit illa pars mea & pignus misericordiæ tuæ. Ignosce mihi, Deus meus, peccata mea in hac hora: & cùm in vita pro peccatoribus tantum feceris, & oraveris, moriens mihi veniam negare non potes. Hîc Domine, confiteor; & communico tecum omnia mala mea. Peccavi in te, Pater amantissime! tanquam degener Filius: peccavi contra te, ô vere amice! velut ingratissimus: recipe me in hac hora, quâ recedis à me, ut semper posthac vivas in me. Relinque mihi, ô amor meus! pro hereditate hanc crucem, & fontem lacrimarum, ut iis irrigetur pauper hæc anima in hoc sterili & arido exilio; & fontem aquæ vivæ tui amoris, quo rigas cælestem Jerusalem, quò nunc vadis.

Crux Christi sit hereditas nostra

NB. *Sub exspiratione Domini homo se prosternat humi, & animo complexus crucem, dicat, quod sentiet, velsi defuerint verba, arctè stringat IEsum tacitus: ipse enim intelligit interiora nostra. Quia hic locus est aptissimus ad alligandam animam Domino, de quo nec lingua, neque calamus potest satis dicere.*

VALEDICTIO.

IV. Proficiscere sanè feliciter, bone JESU, quando sic ipse vis. Proficiscere spes mea, & requiesce à laboribus tuis: impone finem exilio tuo. Proficiscere, da bono latroni, quod ei promisisti.

Anima boni latronis primitiæ peccatorũ.

Suscipe animam ejus pro primitiis & arrha omnium peccatorum, & hujus etiam animæ meæ, quam relinquis in hoc exilio & vita mortali. Descende, Consolator supreme, ad inferos, dirue portas Inferni, illumina tenebras ejus, monstra te sanctis Patribus, qui ad te suspirant; fac finem longæ exspectationi, & beatos fac tuo aspectu. Vade, Domine, ad Patrem tuum, qui te vocat, vince tua morte mortem nostram: fac, ut ea posthac sit suavis, quia debet esse finis desideriorum tuorum & via, quâ veniamus ad conspectum tuum, ut semper tecum simus. Vade, gloria mea: aperi viam hactenus occultam & inaccessam, nec differas redire, sicut promisisti. Contrahe terminos trium longissimorum dierum, & noctium: nihil id oberit veritati tuorum verborum: interim relinque mihi tuam fidem, spem, & charitatem. Aspice, Domine, dolorem animæ meæ, quem capio ex tuo discessu, & spem ac desiderium, quo teneor, videndi te redivivum, glorioſum, immortalem, formosum, suavem, amorosum, perpetuum, & unicum socium spiritûs mei. Redi, ô vera Vita! redi citò ad vitam, ut anima mea vivat tecum, sicut desiderat, te possidendo & à te possessa, ac transformata tui amore. O unicum, ô verum, ô supremum bonum, ô dulcis Jesu animæ meæ!

DE VERBIS, IN MANVS TVAS, &c.

V. Pater æterne, Deus totius consolationis, & tu Spiritus Divine & unice Consolator, Deus meus ac Dominus meus! recognosce hæc ultima verba Domini divini Agnelli, Redemptoris mei. Pro me illa protulit, & pro salute mea: mihi illa reliquit in ultima hora vitæ suæ, ne unquam excidant animo meo, & ut tu me suscipias. Agnosce vocem divini Agnelli, qui tollit peccata mundi: quia hæc ultima verba consonant primis, quæ dixit in pueritia: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Fecit hoc semper, & obediens fuit usque ad mortem: & ut semper ob oculos habuit Patrem æternum, sic ei se commendat nunc moriens. Tota hæc obedientia, Deus meus, sunt meæ divitiæ: verba ejus mihi pro thesauro sunt, & in his reliquit mihi unicum, & singulare remedium pro omnibus meis necessitatibus; hoc est, manus tuas plenas misericordiâ, infinito amore, ac bonitate-

Luc. c. 2. v. 49.

tate immensa. Docuit me semper ad eas recurrere, ut eis vivam, & confidam in omnibus periculis. Divinus hic Magister docuit, ubi ipse est, fore etiam suos: & propterea se conjecit in has manus, ut in eis ipsum quæramus & inveniamus.

VI. Si tuæ manus me dimittant, ô Deus totius consolationis! tunc verè sum derelictus & miserabilis: cùm verò me sustentant & custodiunt, sum securus, fortis, & affluens omni bono. Ergo mi Pater æterne! virtute verborum Domini me debes recipere pro tuo; quia ipse obedientia & morte sua id meruit, quod ego sine ipso non potui. In manus tuas, Pater ac Dominus meus, commendo spiritum meum, animam meam, corpus meum, vires meas, ac desideria mea: illis offero me totum: in illas me resigno, qualis fui hucusque, ut ignoscas; commendo plagas meas, ut sanes; cæcitatem meam, ut illumines; tepiditatem, ut inflammes; errores, ut in viam reducas; & omnia mala mea, ut emendes. Commendo, Deus meus, in sacratissimas manus tuas me, qualis sum, & qualem tu meliùs nôsti, debilem, miserabilem, saucium, inconstantem, surdum, nudum, egentem omnibus bonis, nihilum, & pejorem nihilo per mea peccata, miseriorem, quàm possim dicere. Suscipe me, Deus meus, & fac me, qualem esse vult hic Agnus. Recommendo, offero, & renuntio in has manus divinas omnia mea, cogitationes meas, affectus, successus, consolationes, labores, & quidquid nôsti venturum super me. Omnia, Deus meus, dirige in gloriam tuam: doce me facere in omnibus voluntatem tuam, & in omnibus rebus agnoscere opus manuum tuarum, neque aliud velle, sed in eo acquiescere.

Promeritus nobis est Christus, quo l nos mereri non poteramus.

VII. O Manus, quæ fecistis cælum ac terram pro me, & omnia propter me conservatis, & me creâstis propter vos, non permittatis, ut recedam ab eo, propter quod fui creatus! In his manibus habeo divinum hunc Agnum, & ipsi me oportet semper esse conjunctum. Cum ipso & in his manibus amorosè dormiam, & quiescam in pace, quia moriens mihi spem in illis reliquit, & in infinitis misericordiis earum. Ibi me constituit, velut in unico & singulari meo refugio. Nunc ergo, Deus meus, quia vivo per has manus, & ipsæ mihi dederunt esse, quod habeo; fac ut in illis vi-

vam

vam & moriar, perseverans in amore hujus Domini mei, & à solis ipsis petam & exspectem omnia bona, ut ab eisdem in societate Domini mei coroner in cælo.

AD CRVCEM.

Crux Redemptoris sanguine decorata.

VIII. O bella crux, & splendidior ac pretiosior à sanguine Christi, omnibus gemmis! Tu fuisti finis laborum ejus: tu initium gloriæ, tu victoria belli, tu finis ejus exilii, tu ingressus in gloriam & possessionem regni ejus; tu es hereditas mea; tu pars, quæ me contingit, relicta mihi à Domino. Pauper in te mortuus est, nudus, & spoliatus omnibus rebus, in tui solius complexu. Te adoro, te amplector, te recipio pro summo thesauro, ô splendidior stellis, fortior exercitibus, triumphatrix omnium inimicorum tuorum! & ut talis manes Domina campi, potens & invicta, quam nemo valet prosternere Jam te cælum agnovit, tremit Infernus, timet Mundus, & intelligit Satan, eum, qui in te exspiravit, esse verum Filium Dei. Jam te honorant, quos tui pudebat, posteaquam latronem potuisti transferre in cælum. Tu es Corona mea, gloria mea, thesaurus meus; & omnia bona, quæ habeo, à te mihi proveniunt. Jam perdidisti antiquam asperitatem tuam: es jam suave jugum & pignus gloriæ, principium regni cælestis, quies & robur omnium ad te recurrentium. Adoro te, Arbor vitæ: adoro te, Fons sapientiæ: adoro te, Fortitudo contra inimicos: adoro te, Fornax ardens continuo amore Dei, & amantissimi Agni. Recipe me in brachia tua, sanctifica me, sustenta me. Recipiat me per te, qui per te me redemit, & in te amore mei est mortuus. Amen.

O sanctissima Mater Dei, Regina Angelorum, glorioſa stella maris, Dux peccatorum! quæ plena doloris ac sensûs aspicis discedentem à te Dominum, quem genuisti, cum fide ac certa spe videndi redivivum tertia die: fac, Domina, ut sim crucifixus cum eo, & ut me in suum recipiat, ut moriar & vivam, & postea regnem cum eo. O Curia cælestis, quæ tecum hunc divinum Agnellum habes jam immortalem, ac gaudes eo secura nunquam perdendi, juva hunc pauperem exulem filium Evæ, ut vivat semper crucifixus cum eo, & per eum coronari mereatur! Amen.

IN-

INDEX
ÆRVMNARVM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
QVAS PERPESSVS EST A SVI CONCEPTIONE VSQVE AD MORTEM.

ÆRUMNA I. De Prævisione & acceptatione omnium laborum & ærumnarum, quas erat subiturus. Fol. 1.
Exercitium circa primam Christi ærumnam. fol. 5
ÆRUMNA II. De angustia & miseria loci, in quo novem mensibus fuit. 11
Exercitium circa ærumnam Uteri materni. 16
ÆRUMNA III. Violenta repressio ferventis amoris. 21
Exercitium circa repressam vim amoris divini. 25
Exercitium circa Incarnationem Domini. 30
ÆRUMNA IV. De asperitate, quâ Dominus exceptus est in sua Nativitate. 33
Exercitium circa Nativitatem Domini. 38
ÆRUMNA V. Lacrimæ Christi pro nostris peccatis. 43
Exercitium circa lacrimas Christi. 48
ÆRUMNA VI. Asperitas cæli. 55
Exercitium de incommodis Domini. 59
ÆRUMNA VII. Circumcisio. 65
Exercitium circa Circumcisionem. 71
ÆRUMNA VIII. Persecutio Herodis, & exilium. 76
Exercitium circa vocationem Magorum. 82
Oblatio Christi in templo inter brachia Simeonis. 89
Exercitium de Oblatione Christi & Simeone. 90
Explicatio Cantici Simeonis. 94
Exercitium circa fugam Domini in Ægyptum. 96
ÆRUMNA IX. Sensus Domini ex cæde Infantum. 102
Exercitium de sensu Domini ex cæde Innocentum. 108

ÆRUMNA X. Obedientia & ſubjectio Chriſti. 115
Exercitium circa obedientiam Chriſti. 121
ÆRUMNA XI. Paupertas. 128
Exercitium circa Paupertatem Domini JESU. 133
ÆRUMNA XII. Ex Auſteritate vitæ Domini JESU. 140
Exercitium de Auſteritate Domini & Pœnitentia. 146
ÆRUMNA XIII. Ex fame & ſiti Juſtitiæ, 152
Exercitium circa famem, ac ſitim juſtitiæ. 159
Oratio Dominica pro fame & ſiti juſtitiæ. 164
ÆRUMNA XIV. Ex converſatione hominum, à Domini moribus valde diſcrepantium. 167
Exercitium de ſupportandis moribus hominum. 173
ÆRUMNA XV. Jejunium Domini, & vita in deſerto. 180
Exercitium circa jejunium & vitam Domini in deſerto. 186
ÆRUMNA XVI. Tentatio Domini. 190
Exercitium de Tentatione Chriſti. 197
Oratio Pſalmi De Profundis contra tentationes. 202
ÆRUMNA XVII. Ex ruditate Diſcipulorum. 206
Exercitium circa patientiam Domini in Diſcipulorum defectibus. 212
ÆRUMNA XVIII. Itinera Domini. 219
Exercitium de fatigatione Domini in ſuis itineribus. 225
ÆRUMNA XIX. Duritia & obſtinatio Judæorum. 231
Exercitium contra duritiam cordis. 238
ÆRUMNA XX. Siniſtra judicia de actionibus Domini. 244
Exercitium contra Siniſtra Judicia. 251
ÆRUMNA XXI. Murmurationes. 256
Exercitium contra linguas obtrectatorum. 261
ÆRUMNA XXII. De contradictione doctrinæ & actionum Chriſti. 267
Exercitium de contradictionibus. 273
ÆRUMNA XXIII. Inſidiæ & inventiones ad evertendum Chriſtum. 278
Exercitium de inſidiis Domino ſtructis. 280
Gratiarum actio pro veritatibus apertis à Chriſto inter inimicorum inſidias. 284

ÆRUMNA XXIV. Ingratitudo Judæorum pro beneficiis Christi. 287
Exercitium de tolerantia ingratitudinis Judaicæ. 292
ÆRUMNA XXV. De ferventi desiderio Passionis, quod Dominus noster JESUS Christus habebat, ac simul de humano timore ejusdem. 296
De Transfiguratione. 300
ÆRUMNA XXVI. Agonia in horto. 305
Exercitium de Agonia in horto. 308
Exercitium de Oratione Domini in horto. 313
ÆRUMNA XXVII. Falsa amicitia, sub qua Christus est venditus. 316
Exercitium de falsa amicitia. 320
ÆRUMNA XXVIII. Captivitas Domini nostri. 325
Exercitium de captivitate Domini. 330
ÆRUMNA XXIX. Raptatio Domini per tribunalia improborum Judicum, 335
Exercitium circa diversos Judices Christi. 340
ÆRUMNA XXX. Falsa testimonia dicta contra Dominum. 345
Exercitium circa falsa testimonia, quæ pertulit Christus. 349
ÆRUMNA XXXI. Alapæ Christo inflictæ. 355
Exercitium circa alapas Christo inflictas. 360
ÆRUMNA XXXII. Consputatio Domini. 365
Exercitium ad Christum consputum. 370
ÆRUMNA XXXIII. Carcer Domini. 376
Exercitium de carcere Domini. 380
ÆRUMNA XXXIV. Domini per plateas urbis ignominiosa raptatio. 355
Exercitium circa ignominiosas raptationes Domini per plateas. 390
ÆRUMNA XXXV. Christus habetur pro stulto. 395
Exercitium circa stultitiam Christo imputatam. 401
ÆRUMNA XXXVI. Jactura existimationis apud amicos, & triumphus inimicorum Domini. 406

Exercitium de jactura existimationis ac triumpho inimicorum Christi. 412
ÆRUMNA XXXVII. Permutatio Christi cum Barrabba. 417
Exercitium circa permutationem Christi cum Barrabba. 422
ÆRUMNA XXXVIII. Flagellatio Domini. 428
Exercitium de flagellatione Domini. 432
ÆRUMNA XXXIX. Corona spinea. 437
Exercitium circa Coronam spineam. 442
ÆRUMNA XL. Christus irridetur & exhibetur spectandus populo. 447
Ecce Homo. 450
Exercitium de Regno Christi. 452
Exercitium circa verba, Ecce Homo. 456
ÆRUMNA XLI. Sententia mortis contra Dominum. 460
Exercitium de sententia mortis. 465
ÆRUMNA XLII. Bajulatio Crucis. 469
Exercitium ad Christi Crucem. 474
Exercitium hominis ad Crucem. 475
Exercitium ad Christum cum Cruce in humeris. 478
ÆRUMNA XLIII. Crucifixio. 483
Exercitium ad Christum nudum ante crucifixionem. 488
Exercitium ad Dominum, dum Cruci affigeretur. 493
Ad manum sinistram & dexteram. 497
Ad sacros pedes Christi. 498
Exercitium ad erectionem Crucis, & Cruce jam erecta. 499
ÆRUMNA LXIV. Mora Christi in Cruce. 502
Exercitium ad Christum viventem in Cruce. 508
Quid Christus in Cruce doceat ac damnet. I, Doctrina. 512
Secunda doctrina. 514
Tertia doctrina. 515
Quarta & quinta doctrina. 516
ÆRUMNA XLV. Irrisio Veritatum Christi. 518
Exercitium circa irrisionem Christi in Cruce. 524
ÆRUMNA XLVI. Perditio Judæ, & sinistri Latronis. 529
Exercitium de dolore Christi, & interitu Judæ, & Latronis. 533

ÆRUMNA

ÆRUMNA XLVII. Sensus Christi è doloribus Matris. 537
Exercitium circa dolorem Domini ex conspectu Matris afflictæ. 542
ÆRUMNA XLVIII. Domini in Cruce derelictio. 547
Exercitium circa derelictionem Domini. 552
ÆRUMNA XLIX. Sitis Christi. 557
Exercitium circa sitim nostræ salutis. 562
Exercitium de siti Christi, déque felle & aceto. 565
ÆRUMNA L. Christi Agon & Mors. 567
Exercitium circa mortem Christi. 572
Valedictio. 573
De Verbis : In manus tuas,&c. 574
Ad Crucem. 576

INDEX RERVM.

Primus numerus significat Folium, secundus numerum Paragraphorum. ubi posterior numerus omittitur, significatur tota Ærumna.

A.

ABdicatio omnis solatii. 481.6
Absconditi humiles in facie Christi. 369. 6
Abscondita Christi majestas. 449.3
Abundantia in paupertate. 131. 4
Accusatio Christi coram Pilato. 417.1
Accusationes Christi falsæ. 345. 2. 353. 6. 353. 7. & 8. 354. 9
Accusatio sui coram Christo. 382. 4
Acetum Christus seorsim bibit à felle. 558. 2
Adjuratio Christi. 346.3
Admiratio Pilati de morte Christi. 503. 2
Adoratio Christi Incarnati. 30. 1
Amoris divini. 59. 1
Faciei Christi. 360. 1
S. Crucis. 475. 2. 3
Adversa cum spe ferenda. 173. 7
Ad Deum compellunt. 313. 1
Meritum conciliant. 441. 5
Non generent desperationem. 308. 6
Laudem Dei merentur. 527. 5
Vide etiam Ærumnæ.
Adulatio Scribarum. 79. 4
Principes perdit. 598. 6
Ægyptum Christus adit. 80. 6
A Christo sanctificatur. 99. 5

Ærumnæ cur homini graves. 378. 5
A bonis libenter acceptantur. 379. 6
Vanis remediis vitantur. 379. 6
Christi, multiplices. 406. 1
Nostræ, Christum coronant. 444. 4
Vide etiam Adversa.
Æstimatio. Vide Existimatio.
Æternam vitam quærentis est quies. 225. 8
Affectus nostri Fidei contrarii. 98. 4
Affectus inordinatus radix inobedientiæ. 118. 4
Agnoscunt Christum soli amatores. 93. 4
Statim, amantes. 180. 1
Agilitatis dos in amore. 518. 8
Agonia Christi in horto. 305.
Per tres horas. 307. 5.
In Cruce. 567
Alacritas SS. Martyrum S. Justinum convertit. 107. 7
Alapa à Malcho Christo inflicta. 337. 4
Aliæ Christo inflictæ. 355. 356. 3. 4. 5
A Christianis iniquo animo toleratæ. 358. 7. 360. 8
Non vindicandæ. 362. 3
Amandi viles. 172. 7
Homines, non imitandi. 177. 6
Amantem, à Christo nihil separat. 281. 2
Amantes, Deum agnoscunt. 93. 4. 181. 1
Crucem, Deo chariores. 480. 5
Amare nolens Christum, non vivit. 282. 4
Amat Christus pauperes. 137. 4
Amicitia quomodo ineunda. 169. 3
Distrahens, non quærenda. 172. 7
Falsa Judæ. 316
Falsa, Passionis initium. 319. 4
Amicus fidelis Christus. 324. 7
Amici falsi, stimulus carnis. 317. 1
Amici à Christo alieni. 387. 3
Christum habent suspectum. 406. 1
Amicos suos Deus contemni sinit. 522. 6
Amor Dei in nos immensus. 17. 2
Insatiabilis. 53. 6
Amor Christi anticipavit tormenta. 6. 1
Nescit otiari. 25. 1
Egit Christum in desertum. 182. 4. 187. 2
Crescit ingratitudine nostra. 289. 3
Offensus in agoniâ. 309. 2
Carnifex ejus fuit. 310. 2

Amor Patiendi. 401. 1
Sine modo. 433. 2
Odium Judæorum triumphat. 449. 3
Solus causa patiendi. 305. 1
In Cruce quantus. 501. 5
Summus in nos. 505. 4
Sitim Christi sedat. 563. 1
Manus Christo ligavit. 380. 1
Amor Dei plenus fiducia. 192. 4
Cruce significatur. 475. 3
Animam, ligat. 333. 7
Amor Christi libera servitus. 334. 8
Amor à Deo imperatus. 127. 5
Quis purus. 517. 7
Fons aliarum passionum. 529. 1
Portat & portatur. 483. 8
Nos mutat in Deum. 405. 7
Obedientiâ probatur. 117. 3
Verus, sine quæstu. 410. 5
Docet stulteſcere. 402. 3
Tormenta facit dulcia. 525. 1
Sanctorum exiguus, respectu Christi. 186. 1
Christianorum, malè collocatus. 48. 7
Noster, divino se subtrahit. 26. 3
Proprius, nos regit. 413. 2
Amoris veri signum sitis patiendi. 561. 5
Vinculum obedientia. 330. 2
Amoris Fervor, à Christo repressus. 21
Vis in Sanctis. 23. 3
Profani vis. 24. 4
Debitum non condonandum. 166. 8
Amori respondet dolor. 544. 3
Amore nostro dignus solus Deus. 106. 6
Amplexus Christi pedum. 489. 1. 2
Angeli naturâ imutabiles. 236. 5
In deserto Christo serviunt, non homines. 183. 5
Cur Christum non defendunt. 418. 2
Animæ salus quanti sit. 183. 6
Animæ quomodo tractandæ. 210. 6.
Amore Dei ligantur. 333. 7
Sunt solium Dei. 455. 4
Quomodo ad Deum trahantur. 547. 1
Annas honoratus cum Christi injuriâ. 336. 3
Apes animæ in favo vulnerum Christi. 429. 3. 434. 4
Apostatæ, mortalium pessimi. 325. 1
Apostatarum antesignanus Judas. 325. 1
Apostoli mirè vocati. 207. 2
Rudes. 207. 3. 4
Cur non statim perfecti. 211. 8. 213. 2

Apostoli à Christo blandè habiti. 213. 1. 2
Apti, inepti. 131. 4
Aqua *Ezechiel.* 43 Lacrimæ Christi. 46. 5
Crassa Nehemiæ. 157. 6
Christi tactu sanctificata. 180. 1
Ara fiat è Cruce. 486. 6
Arbor vitæ, Christus. 374. 8
Scientiæ, obedientia. 117. 3
Arcanum Crucis difficile cogitatu. 303. 5
Armis dissimilibus mundus vincendus. 524. 8
Arundo in dextra Christi. 439 3. 448. 1
Eâ Christus percutitur. 448. 2
Asperitas cæli in Christum. 55. 1
Astu non agendum cum inimicis virtutis. 524. 8
Astutia hominum vana. 327. 3
Avarus prodigo pejor. 132. 5
Aula Religiosis fugienda. 396. 3. 4
Auctorem Ærumnarum inquirimus. 379. 5
Auctoritas exemplis comparanda. 128. 1
Rebus vilibus. 173. 1
Austeritas paupertatis comes. 140. 1
Sit culpæ proportionata. 144. 4
Ejus regulæ. 144. 4
Austeritas magna, constans sui collectio. 145. 4
Ejus spiritus sequendus. 145. 5

B.

Bajulat Christus Crucem. 469
Baptizatus Christus aquas sanctificat. 180. 1
Barrabbas Christo prælatus. 417. 3
Christo consentiente. 421.
Præfertur à peccatore. 421. 5 6. 425. 6
Basiliſci oculi, hominum. 177. 5
B. Virgo, pauper. 89. 1. 2
Vias Christi patientis sequitur. 294. 5
Filium primò vidit in Passione populo à Pilato exhibitum. 450. 1
Prima sub vexillo Crucis. 471. 4. 479. 2.
Audivit ictus malleorum. 488. 10
Dolores Christi doluit 537. 1.
Christo valedixit. 537. 2
Voluisset pro Filio pati. 538. 2
A S. Joanne de Filii rebus edocetur. 538. 3
Filium sequitur. 538. 4
Videt eum apud Pilatum, cruentum. 539. 4.
Deliquium passa est. 539. 5
Crucem accedit. 540. 5

B. Virgo, cum Christo crucifixa. 545. 4
In Matrem nobis data. 541. 7. 546. 6
Benefaciendum ingratis. 290. 4
Benefacere, Christi quies & Sabbatum. 263. 3
BenefecitChristus ingratis. 288. 2
Beneficium maximum, imitari Crucem. 473. 8
Bestiis homo magis brutus. 189. 4
Blasphemia maximum peccatum. 520. 3
Bonorum vita satis longa. 223. 6
Boni specie dæmon tentat. 190. 1
Bona, humilitas conservat. 218. 8
Brevis temporis maximi fructus. 222. 5. 223. 7

C.

Cæcitas nolentium Christum recipere. 230. 8
Cæcus Christum secutus. 276. 6
Cæleſtia non sapere, signum reprobationis. 156. 5
Cæleſtia desiderans, terrenis non eget. 225. 9
Cælũ pœnitentes implent. 114. 6
Patria Crucifixorum. 523. 7
Vivum, Cor Christi. 265. 5
Cælo viciniores Crux facit. 536. 5
Cæsaris mentio Pilatum sternit. 462. 4
Caiphæ Christus sistitur. 337. 5 345. 1
Calumniæ tolerandæ. 173. 7
Capere nos vult Christus. 283. 6
Capi Christus se gaudet. 283. 5
Captus Christus. 325. 1. 383. 5
Capharnaum prædicandi initium Christo. 220. 2
Caput Christi arundine percussum. 448. 2
Caput sedes notitiæ ac mentis nostræ. 443. 3
Capite sub spinoso non sit membrum delicatum. 442. 6
Carcer Christi. 376. 380
Carnifex Christi, Amor. 310. 2
Carnificibus Christus obedit. 126. 4
Caro maximus hostis. 430. 5
Davidem & Salomonem decepit. 430. 5
A Sanctis castigata. 431. 6
Castigandum corpus. 430. 5
Casus Christi bajulantis Crucem. 472. 6
Cedron in torrentem Christus cadit. 336. 3
Cedrus, spinosa. 438. 2
Centurio Christum confitetur. 571. 6
ChirographumChristus delevit. 507. 6
Christiani Christi Judicibus pejores. 342. 3
CHRISTUS cœpit à Conceptione opus Redemptionis. 2. 2

Christus quavis actione mille mundos potuisset redimere. 3. 5
In utero materno passus. 11
Amat viscera nostra. 15. 5
Consors est miseriarum nostrarum. 17. 3
Natus, exultans. 33. 1
Inter Ærumnas. 35. 5
Parvitati nostræ se accommodat. 39. 3
Infans lacrimatus. 43. 1
Inter aliorum gaudia solus flet. 49. 1
Nobis causa lætitiæ. 50. 3
Cæli incommoda passus. 56. 2
Frigore cordis nostri aduritur. 63. 6
Cur tanto pretio nos redemerit. 69. 6
Infans Mundo contrarius. 77. 3
Fugit in Ægyptum. 80. 6
Ab Infantia à potentibus exagitatus. 81. 9
A solis amantibus agnoscitur. 93. 4
Compatiens. 104. 3. 105. 4
Vertit mala nostra in bonum. 106. 5
Gaudet socius esse pœnarum. 109. 2
Ejus causâ pati, dulce. 111. 3
Plus doluit cædem, quàm Infantes ipsi. 111. 4
Christus à nullo Martyre vincitur. 112. 4
Subditus parentibus. 115. 1
Vitam degit occultam. 116. 2
Obedientiam docet. 124. 3
Priùs fecit, quàm docuit. 128. 1
Pauperrimus fuit. 129. 2
Pauper, ne quid aliud in eo quæramus. 134. 2
Nobis sufficit. 135. 3
Cor nostrum solùm cupit. 136. 4
Est divitiæ nostræ. 133. 1
Pauperes amat. 137. 4
Pœnitentiam exercuit. 140. 1
Peccata nostra semper habuit in oculis. 148. 3
Desiderat familiaritatem pœnitentium. 152. 7
Dolet ob peccata nostra. 155. 5
Dei offensas cum dolore fert. 167. 1
Ignotus, contemptus. 167. 1
Vitam cur egerit communem. 167. 2
In omnes humanus. 174. 1
Ignotus inter homines. 174. 1
Et inter nos. 175. 2
Jejunat in solitudine. 180. 1
Baptizatus aquas sanctificat. 180. 1
Ab amantibus agnoscitur. 181. 1

Christus desertum ex amore adiit. 182. 4
Jejunium habuit difficile. 182. 4
Inter feras quid cogitârit. 183. 5
Facit beatam solitudinem. 190. 5
Tentatur. 190. 1 Qualiter. 191. 3
Humilitate dæmonem obstupefecit. 191. 5
Quomodo à dæmone translatus. 194. 5
Tentat9 ob tres causas. 196. 8
In tentatione ostendit humilitatem. 198. 2
Sedulus circa nostram salutem. 206. 1
Defectus suorum tolerat. 209. 5
Imperfecta etiam obsequia suorum probat. 211. 7
Cur Apostolos non statim fecerit perfectos. 211. 8. 213. 1. 2
Suos blandè habuit. 213. 1. 2
In corde multas habet mansiones. 214. 2
Patienter nos expectat. 215. 3
Sustentat infirmitatem nosttam. 216. 4
Curam nostri habet. 217. 7
Plus ei debemus quàm discipuli. 217. 6
Christus quæ fecerit itinera. 219
Adiit regiones magis corruptas. 219. 1
Sol oriens peccatoribus. 220. 2
Mansuetus & patiens. 221. 4
Brevi tempore multa fecit. 222. 5. 223. 7
Refocillatur, si prosit. 224. 7
Nos solicitè quæsivit. 227. 4
Pro nobis labores suscepit. 228. 5
Quia novit mala nostra. 229. 6
Affligitur duritie Judæorum. 234. 3
Semper suavis. 242. 5
Eo amisso nullum lucrum. 243. 5
Summè innocens. 252. 2. 3
Murmurationes tulit. 257. 1
Summe laudabilis. 262. 1
Peccatores adit. 262. 2
Sabbatum ejus, benefacere. 263. 3
Samaritanus. 264. 3
Zachæi domum præfert. 264 4
Cor ejus cælum vivum. 265. 5
Joanni postpositus. 270 4
Nostra via, veritas, vita. 273. 1
Corda mendicat. 280. 1.

Christus pellit timorem. 281. 3
Eum non amans, non vivit. 282. 4
Capi gaudet. 283. 5
Et capere. 283. 5
Plus quàm Salomon. 284. 2
Plus quàm Jonas. 285. 2
Omnia convertit in bonum. 287. 11
Ingratis benefecit. 288. 2
Ingratitudine amorem auget. 289. 3
Pati desiderat. 296
Futuri metu cruciatur. 299. 7
Mentione Passionis delectatur. 302. 3
Solo amore ad patiendum inductus. 305. 1
Consolationem non respuit. 306. 3
Doluit peccatorum gravitatem. 307. 4
Et multitudinem pereuntium. 307. 4
In Judam humanus. 320. 1
Venditus, pretiosus thesaurus. 323. 6
Amicus fidelis. 324. 7
Dignus, pro quo toleremus hostes. 324. 8
Captus. 325. 1
In horto fortis. 326. 3
In horto mansuetus. 327. 4
Ligatus ligat hostes nostros. 331. 3. 4
In ingratos liberalis. 332. 5
Christus capit animam amore 333. 7
Captam facit liberam. 334. 8
Raptatur ad tribunalia. 335.
Cadit in torrentem Cedron. 336. 3
Caiphæ sistitur. 337. 1. 345. 1
Falsis testimoniis oneratur. 337. 1. 347. 4
Innocens opprimitur. 337. 4
Silet. 337. 5
Doluit, se fore hostium Judicem. 338. 6
Mendaciis hostium illustratur. 338. 7
A nobis pejùs habetur. 342. 3
Ejus causà contemni, summa felicitas. 343. 5
Adjuratus à Caipha. 346. 3
Cur tanta passus. 367. 3. 4. 5. 6
Arbor est vitæ. 374. 8
In Carcere est. 376
A fæce hominum illusus. 377. 3
Captus propter libertatem nostram. 383. 5
Vilior factus coram populo à Sacerdotibus. 386. 2
Noluit coram Herode miracula facere. 397. 4 401. 1
Silet coram Herode. 398. 5 401. 1
Illusus. 395. 398. 5. 6. 7. 8
Jacturam nominis patitur. 406

Christus Barrabbæ postpositus. 417. 3. 425. 6
Peccatoris personam induit. 422. 1
Spinis coronatur. 438 2. 442. 1
Cur à Christo toleratum. 439. 4. 5. 6
Rex illusus. 447. 1
Examinatus à Pilato. 461. 3
Condemnatus. 460. 463. 5
Nil negat, tanta passus. 466. 2
Cur Crucem tulerit. 469. 2
Lapsus sub Cruce. 472. 5
Gravius pœnas peccatorum doluit, quàm suas. 472. 7
Semper Crucem desideravit. 474. 1
In Cruce nos omnes amplexus. 479. 2
Cum Cruce præcessit. 483. 8
Crucifigitur. 484.
Potatur felle & myrrha. 484 3
Orat pro peccatoribus. 487. 8
Crucifixus inter duos Latrones. 487. 9
Vult animam nudam. 491. 7
In cruce omnibus notus. 500. 4
In Cruce nos amat. 501. 5
In Cruce pignus. 501. 6
In Cruce moratus. 502. 1
Christus in Cruce omni solatio caruit. 503. 2
Fecit nobis Crucem levem. 505. 5
Chirographum delevit. 507. 6
Se & omnia dedit. 508. 1
Contentus est desideriis nostris. 509. 2
Quid è Cruce doceat. 512
Speculum in Cruce. 516. 5
Ostendit quatuor dotes glorioſi corporis. 517. 8
Ejus veritates irrisæ. 518. 1. 2. 3
Doluit dolores B. Virginis. 537. 540. 6
Ei valedicit. 537. 2
Discipulos commendat. 537 2
Cur B. V. vocavit mulierem. 541. 7
In Cruce derelictus. 547
Ab hominibus. 548. 2
Ab Angelis. 549. 3
A Creaturis suis. 549. 3
A Patre. 549. 3
A Spiritu Sancto. 549. 3
A sua Anima. 549. 4
Juxta Prophetas. 550 5
A Creaturis fuisset defensus. 553. 2
Solatium omne sibi negavit. 554. 4
Sitit in Cruce. 557. 562. 565

Christus pro nobis Medicinam sumpsit. 557. 1
Sitit nostram salutem. 562. 1
Amore sedatur. 563. 1
Debuit dolore mori. 568. 2
Cibus Christi salus nostræ. 224. 7. 225. 9
Cibus noster sit, Christo placere. 225. 9
Circumcisio Christi, non vi legis. 65. 1
Cur Christo acerbior. 68. 4
Civitas Christi, ubi labor maximus. 220. 2
Claritatis dos in anima amante. 577. 8
Cogitationes Christi inter feras. 183. 5
In vinculis. 384. 7
Colaphus v. Alapa.
Collectio animi, magna austeritas. 145. 4
Commendat se Patri anima pia. 575. 6. 7
Commendavit Christus Discipulos B. Virgini. 537. 2
Compassio Christi erga Jerusalem. 472. 7
Compassionem cum Christo dæmon fingit. 191. 2
Compatitur Christo B. Virgo. 488. 10
Compatiens Christus. 104. 3. 105. 4
Conceptio Christi initium patiendi. 2. 2
Concupiscentia carnis à Christo eversa. 512. 2
Oculorum. 515. 4
Confessio animæ pœnitentis. 146 1
Humilis suæ negligentiæ. 275. 4
Conformitas, optima præparatio ad mortem. 570. 4.
Conscientia bona non timet. 345. 2
Conservat bona Humilitas. 218. 8
Consolatio piorum Passio Christi. 369. 6
A Christo petenda. 310. 3
SS. Innocentium. 103. 2
Hominum vana. 178. 7
A Christo acceptata. 306. 3
A Christo sibi negata. 554. 4
A creaturis non quærenda. 410. 5
A Deo datur in pœnis. 110. 3
Conspui cur se Christus passus. 369. 6.
Dignus peccator. 371. 2
Consputatio Christi. 365. 1
Constantia vincit murmura. 259 3
Consuetudo lenit dolorem. 357 4
Peccandi, alia peccata trahit. 460. 1
Levium etiam periculosa. 267. 1
Consummatum est. 559. 3

Contemni

Contemni amore Christi, summa felicitas. 343. 5
Contemni Deus amicos suos sinit. 522. 6
Contempta miracula Christi. 412. 1
Doctrina Christi, maxima pœna. 520. 3
Christus in Cruce. 521. 4. 5
Contemptus sui optandus. 276. 6
Secura ad cælum via. 409. 4
Gloriâ compensatur. 359. 7. 8
Contentus est Christus desideriis nostris. 509. 2
Contradictiones Christi. 267
Multa mala fecere 269. 2. 3
Christo Cruce graviores. 274. 3
Contra servos Dei. 271. 4
A Bonis pessimæ. 271. 4
Quomodo emendandæ. 272. 5
Quantum malum. 272. 5
Contritio eleemosynâ impetrata. 237. 6
Dolentis animæ. 515. 4
Conversatio hominum non est sine offensâ. 170. 5
Cooperari Christus noluit Pilato ad suam liberationem. 428. 1
Cor fons malorum. 239. 1
Hominis malignum. 253. 4
Cor in Christi manu securum. 497. 7
Christus solùm cupit. 136. 4
Christo spinas tulit. 64. 8
Fiat lampas. 499. 3
Cum Christo crucifigendum. 493. 1
A Christo pro quiete petitur. 381. 2
Pravum inferno simile. 376. 1
Cor Christi cælum vivum. 265. 5
Multas habet mansiones. 214. 2
Cordis tributum mundo non dandum. 354. 8
Corda Christus mendicat. 280. 1
Corona Christi spinea. 438. 2
Coronant Christum Ærumnæ nostræ. 444. 4
Coronat Christum Synagoga. 450. 2
Corpus sustentandum & castigandum. 150 5
Corporis servitus deplorata. 61. 3
Cura nimia. 61. 3. 4
Ei malè blandimur. 41. 5
Quo nihil infestus. 42. 6
Glorioſi dotes in Christo crucifixo. 517. 8
Creaturæ in nos ruant. 342. 4
Contra peccatorem insurgant. 393. 4
Criminatio V. Contradictio.

Crucifixio Christi. 483
Crucifixorum patria, cælum. 523. 7
Crucifixi Christum maximè honorant. 524. 8
Crudelis est, famam negligens. 348. 6
CRUX Christi hereditas nostra. 474. 8. 573. 3
Christo semper in votis. 474. 1
Libra. 475. 2
Arbor vitæ. 475. 2
Figura divini amoris. 475. 3
A Christo consecrata. 470. 3 493. 1
Quanta fuerit. 470. 3
Sponsa Christi. 470. 3
Cur Christum tulerit. 469. 2
In die Judicii præferenda. 476. 3. 478. 7
A Christo bajulata. 469
A Simone Cyrenæo. 472. 6
Christum omnibus ostendit. 500. 4
Digna mille annorum labore. 480. 4
Deo facit gratiores. 480. 5
Omnia bona confert. 510. 4. 5
Ante mortem à Christo non deserta. 523. 7
Desiderata. 481. 6. 482. 7. 8
Hominem servat, & gratum Deo facit. 496. 6
Facit cælo vicinos. 536. 5
Crux à Christo facta nobis levior. 505. 5
Sinistri latronis petita. 535. 4. 5
Crucis effectus. 500. 3
Sapientia summa. 473. 8
Arcanum difficile cogitatu. 303. 5
Pudere non debet. 469. 2
Fuga frustranea. 101. 7
Paradisus melior, voluptatis. 107. 7
Cruci Christus imponitur. 484. 4
Affigitur. 485. 5
Elevatur. 486. 7
Affixus magna patrat. 528. 5
Crucem & in ea nos amplexus Christus. 479. 2
Cruce carens, infelix. 481. 6
Cruce gravior Christo Contradictio. 274. 3
Cura vana nominis. 403. 5
Christi de nobis. 217. 7
Curiositas Herodis. 396. 3
Oculorum severè punita. 431. 6
Cyrenæo simile jejunium sine mortificatione. 185. 7

D.

Dæmon tentat specie boni. 190. 1
Humilitatem Christi non cepit. 191. 2
Eremitam se Christo simulat. 191. 2

Dæmon observat nostras inclinationes. 192. 3. 268. 1
Quomodo Christum transtulerit. 194. 5
Fugatur generosâ voluntate. 195. 7
Unde infirmus erga nos. 195. 8
Uxorem Pilati instigavit. 428. 1
Roboratur negligentiâ nostrâ. 201. 5
Dæmonis instrumenta malevoli. 386. 3
Dæmonem quis imitetur. 185. 7
Dæmonibus similes obstinati. 236. 5
Damnatus, redivivus. 532. 5
David suæ vilitatis memor. 388. 5
De Christo dicta, de se dicit. 388. 5
Vias Christi salutat. 389. 5
Desiderat pati pro Christo. 389. 6
De profundis: contra tentationes. 202.
Debemus plus Christo quàm Discipuli. 217. 6
Deberi sibi soli vult Deus. 160. 1
Debitum amoris non condonandum. 166. 8
Deceptio amoris proprii. 350. 3
Decipit nos cura nominis. 403. 5
Decipit Zeli species. 522. 6. 524. 8
Defectus discipulorum Christus tolerat. 209. 5
V. etiam Infirmitas
Defenditur virtus seipsâ. 355. 1
Delectari peccato, secundus gradus duritiei. 237. 7
Deliquium. B. V. 539. 5
Deploratio negligentiæ nostræ. 188. 3
Deprecatio peccatoris. 149. 4
Duritiei. 241. 3
Derelictio Christi in Cruce. 547
Derelictio Christi quo sensu. 552. 8
Desertum Christus ex amore adiit. 182. 4
Desiderium videndi Christum 93. 5
Infantûm, moriendi pro Christo. 103. 2
Patiendi, fovendum. 173. 7
Cælestium, terrena negligit. 225. 9
Patiendi, in Christo. 294
Contumeliarum. 352. 5
Davidis, patiendi pro Christo. 389. 6
Herodis, videndi Christum 396. 3
Crucis juge in Christo. 474. 1
Animæ piæ. 482. 6
Desideria vana deplorata. 161. 3
Desideriis nostris Christus est contentus. 509. 2

Desolationis tempore Deus compellandus. 551. 6
Non cedendum tentationi. 551. 7
Christus socius cogitandus. 552. 8
Nemo sternatur. 555. 5
Desolatione Martyres non probandi. 548
Vide etiam Derelictio.
Desperandum non est in adversis. 308. 6
Detractio de fama Christi 355. 2
Christum vilefecit. 407. 2
DEUS circa nos patiens. 9. 5
Nos ad se trahit. 83. 2
Non libenter nos punit. 105. 5
Solus dignus sanguine & amore nostro. 106. 6
Aliter punit, quàm mundus. 110. 3
Obedientes curat. 125. 3
Primò amorem imperat. 127 5
Patiens erga peccatores. 147 2
Offensus, remedium nostrum est. 148. 2
Voluit sibi soli deberi. 160. 1
Attendendus. 179. 8
Ab amantibus agnoscitur. 181. 1
Solus cor durum frangere potest. 197. 1
Deus Potest, quod vult. 198. 2
Dei gloria sola quærenda. 224. 8
Offensas videre, Christo grave. 167. 1
Judicia curanda. 176 4
Deo glorioſum, cælum pœnitentibus implere. 114. 6
Deo satisfacere facile est. 255. 7
Deum quærentem se homo fugit. 226. 2
Deum timuit Pilatus. 461. 2
Dies Parasceves felicissimus. 385. 1
Mundo malè usurpatus. 385 1
Difficultatem superare nequiit Pilatus. 463. 5
Dignitas non æstimanda ab officio. 173. 7
Non inducat oblivionem prioris vilitatis. 388. 5
Diligentia Christi de salute nostra. 206. 1
Discipulorum ruditas. 206. 1. 207. 3. 4
Displicendi metus obest virtuti. 259. 3
Displicere timemus. 413. 2
Dissimulare, grave. 170. 5
Injuriam, difficile. 348. 5
Dives à Lazaro solùm guttam petiit è tot cæli bonis. 225. 9
Divitiæ nostræ Christus. 133. 1
Doctrina Christi insidiis provocata. 280. 4

Doctrina Christi suspecta. 407. 2
E Cruce tradita. 512
Irrisa. 518. 1. 2. 3
Pœna maxima, eam rideri. 520. 3
Docuit Christus, postquam fecit. 128. 1
Dolet Deus magis de interitu, quàm nos. 532. 5
Christus de multitudine pereuntium. 307. 4
Dolor de annis perditis. 92. 2
Christi, ex duritie Judæorum. 234. 3
Ob animas perditas. 337. 6
Ob interitum Judæ & latronis. 534. 2. 3
B. Virginis, respondet amori. 544. 3
Pati propter virtutes. 526. 3
De peccatis. 515. 4
Doloris causa Christo peccata nostra. 155. 5
Dolore mori Christus debuit. 568. 2
Dolores B. V. Christus doluit. 537. 1
Plùs quàm suos. 540. 6
Christi, in Cruce varii. 502. 1
Dolus Herodis. 79. 4
Dominus regit me *Psal.* 28. Explicatus. 453. 2
Donum singulare, Sapientia Crucis. 473. 8
Dotes glorioſi Corporis in Cruce. 517. 8
Duas ob causas nobis Ærumnæ graves. 378. 5
Dulce, pati pro Christo. 111. 3
Duritiem cordis frangere solus Deus potest. 197. 1
Christus abstulit. 240. 4
Post gustum Dei pejor. 243. 5
Tres habet gradus. 237. 6
Judæorum quanta. 232. 1. 2. 240. 2
Christum affligit. 234. 3
Quantum malum. 235. 4
Ejus deprecatio. 241. 3

E.

Ecce Homo, variè expensum. 450
Versetur in animis nostris. 456. 1
Ecclesia semper sanguine lota. 106. 6
Eductio Christi. 471. 5
Electio familiarium & amicorum. 169. 3. 4
Apostolorum mira. 207. 2
Barrabbæ Christo grata. 421. 5
Electorum causâ mundus durat. 304. 6
Eleemosyna duritiem aufert. 237. 6
A peccatore à Christo petita. 276. 5
Christo, est cor nostrũ. 280. 1
Elias non sensit famem in deserto. 182. 4

Elias Ærumnis exercitatus. 301. 2
Cum Christo de Ærumnis agit. 302. 3
Eremitam dæmon simulat coram Christo. 191. 2
SS. Eucharistia viscera nostra subit. 15. 5
Examen Christi coram Pilato. 461. 3
Excusatio vana Pilati. 463 5
Exemplum Christi nobis necessarium. 1. 1
Exempla auctoritatem conciliant. 128. 1
Sanctorum, salutem solicitè curantium. 184 6
Ad fiduciam in Deum animant. 213. 1
Existimatio sui radix inobedientiæ. 118. 4
Deo displicet. 194. 5
Negligenda. 404. 6
Nobis innata 350. 3
A Judæis in Christo tentata. 355. 2
In Christo imminuta. 406. 1 2

F.

Facies Christi consputa, adorata. 360. 1
Velata. 358. 6. 363. 5
A peccatoribus. 363. 6
Consputa, humilium bono. 369. 6
Facies Christi à peccatoribus deformatur. 371. 1
Duæ peccatorum nostrorum. 437. 8
Facile est, Deo satisfacere. 255. 7
Fama servatur bonâ vitâ. 348. 6
Christi dolo denigrata. 355. 2
Virtute tuenda. 397. 4
Fames Justitiæ Deo chara. 153. 1
Salutis propriæ & alienæ. 153. 2
Laboris plena. 154. 3
Origo summorum operum. 154. 3
Christi in deserto. 182. 4
Elias & Moyses eam non sensere. 182. 4
Familiaris Christus animæ 562. 1
Familiarium electio. 169. 4
Favus mellis, vulnera Christi. 429. 3. 432. 4
Felicitas nostra ab Incarnatione. 31. 2
Summa, pro Christo contemni. 343. 5
Fel Christus seorsim ab aceto bibit. 484. 3. 558. 2
Feminæ sanctæ sibi asperæ. 57. 1
Feræ hominibus minùs brutæ. 189. 4
Feras inter, Christi cogitationes. 183. 5
Fervor amoris in Christo repressus. 21

Festinatio Judæorum ad scelus. 469. 1
Fiducia pauperis in Christo. 139. 6.
Multa in amore Dei. 192. 4
Crescit à Christi factis. 198. 2
Exemplis exauditorum. 213. 1
In Deum habenda. 274. 2
In manum Dei dexteram. 497. 7.
Non faciat segnem. 533. 6
Figura divini amoris Crux. 475. 3
Filii Simonis Cyrenæi, discipuli Christi. 472. 6
Flagellatio Christi. 429. 2. 432. 1
Frigus cordis nostri Christum adurit. 63. 6
Fructus Crucis. 474. 1. 475. 2. & seq.
Fuga Christi in Ægyptum. 80. 6
Est admirationi. 96. 1
Est ad majora mala. 101. 7
Crucis, frustranea. 101 7
Fugat dæmonem generosa voluntas. 195. 7
Fugimus pati. 112. 5
Fugit homo Deum se quærentem. 226. 2
Funiculi Adam vincula Christi. 383. 6
Futuri metus Christum cruciat. 299. 7

G.

Gaudium, pati pro Christo. 526. 3
Gloria solius Dei quærenda. 224. 8
Gratiæ pro veritatibus Christi. 284.
Gratiâ Deus nos prævenit 84. 3
Gratitudo Christi in Simonem Cyrenæum. 472. 6
Gubernatio Mundi pendet à Prædestinatione Sanctorum. 304. 5
Gustus perditus cælestium, signum reprobationis. 156. 5
Gustus Christi cruciatus. 484. 3

H.

Hereditas Christi Crux. 474. 8. 573. 3
Ejus adeundæ conditiones. 507. 7
Herodes dolosus. 79. 4. 5
Similis ei peccator. 113. 6
Pilato reconciliatus. 396. 2
Cupit Christum videre. 396. 3
Homo statim sordet peccatis. 7 3
Paradisus est Christi. 15. 5
Miser sine Deo. 86. 5
Homo magis brutus, quàm bruta. 189. 4
Fugit Deum se quærentem. 226. 2

Homo dignior pati, quàm Christus. 341. 2
Hominis malitia. 253. 4
Homines amandi, non imitandi. 177. 6
Soli Christo in deserto non serviunt. 183. 5
Virtutem faciunt difficilem. 169. 4
Hominum vana studia. 160. 2
Oculi maligni. 177. 5
Judicia maligna. 177. 5
Solatia vana. 178. 7
Honor contemnendus. 340. 9
Quomodo tuendus. 348. 6
Quæsitus virtuti obest. 349. 1. 350. 2. 3. 4. 5
A Christo Crucifixus. 524. 8
Horæ 12. diei. 281. 1
Horas tres duravit Christi Agonia. 307. 5
Hostes silentium triumphat. 339 9
Humanitas Christi erga homines. 174. 1
Humiliare se semper coram Deo, utile. 452. 5
Humilitas sit etiam inter honores. 14. 4
Est Deo chara. 14. 4
Sit suspecta. 14. 4
Christi, in circumcisione. 66. 2
Christi, in omni vita. 67. 3
B. Virginis. 89. 1
Humilitas triumphat. 116. 2
Decet superiores. 120. 5
Christi, Dæmoni admiranda. 191. 2
Utitur mediis consuetis. 193. 4
Christi, in tentatione. 198. 2
Bona conservat. 218. 8
Corrigit sinistra judicia. 248 5
Docet tolerare sinistra judicia. 254. 5
Animi, omnibus necessaria. 389. 6
Maximè Religiosis. 390. 6
B. V. fecit eam Matrem Dei. 405. 7
Angelorum. 405. 7
A Christo petenda. 513. 2
Obedientiam gignit. 514. 3
Humilium locus in facie Christi. 369. 6. 373. 6
Hypocrisis, vide Simulatio.

I.

Jactura existimationis Christi. 406
Jejunare & peccare, est imitari dæmones. 185. 2
Jejunium Christi arduum. 182. 4
Sit cum mortificatione. 185. 7
Sine ea simile Cyrenæo. 185. 7
Ejus moderandi regulæ. 186. 7

Jerusalem Christum natum negligit. 78. 4
JESU nomen continet omnia. 69. 7
Nobis magno est honori. 70. 9
Vide etiam Christus.
Ignis, Amor. 21. 1
Ignotus Christus inter homines. 174. 1
Et inter nos. 175. 2
Illusus Christus. 395. 398. 5. 6. 7. 8. 447. 1. 519. 2
Vide etiam Irrisio, Contemptus.
Imitandi non sunt homines. 177. 6
Imitantur dæmones, qui jejunant & peccant. 185. 7
Imitatio Crucis, sapientia summa. 473. 8
Immutabilis natura Angelorum. 236. 5
Impassibilitas animæ Crucifixæ. 517. 8
Impatientiæ causa, superbia. 526. 4
Damna. 359. 7
Imperfecta suorum obsequia Christo placent. 211. 7
Incarnatio facit nos felices. 31. 2
Inclinationes Dæmon observat. 192. 3. 268. 1
Ad mala sensim ducunt. 268. 1
Incommoda Christi per omnem vitam. 56. 2
Incurabile malum, murmuratio. 260. 5
Infantia Christi ærumnosa. 35. & 56. 2. 65. 1. 77. 3. 81. 9
Nostra dolenda. 91. 2
Ab ipsâ Deo serviendum. 82. 10
Infantes cæsi ab Herode. 102. 1
Vltro se produnt. 103. 2
Cum consolatione sua. 103. 2
Infelix, qui Cruce caret. 481. 6.
Inferno simile cor pravum. 376. 1
Infirmitates suorum Christus tolerat. 211. 5. 7. 8. 9
Sustentat. 216. 4
Naturæ, superandæ. 300. 8
Infirmitas humana sine Deo succumberet. 311. 4
Ingratitudo Judæorum. 287. 1. 292. 1
In Barrabba liberato. 420. 3. 423. 2
Quid sit. 287. 1
Punita. 289. 3
Accendit amorem Christi. 289. 3
Nostra, maxima. 289. 4
Facit peccatum majus. 289. 4
Deplorata. 294. 3
Peccatoris, magna. 362. 4

Ingratis Christ⁹ benefecit. 288. 2
Deus liberalis. 332. 5
Benefaciendum. 290. 5
Inimicum non habeat Religiosus. 172. 7
Injuriæ ægrè tolerantur. 347. 5
Exemplo Christi tolerandæ. 358. 7
A Religiosis 359. 8
Sunt superbiæ nostræ graves. 361. 2
Innocentem pati, summa virtus. 520. 3
Innocentia Christi summa. 252. 2. 3
Opprimitur. 337. 4
Inobedientia deplorata. 122. 2
Tres ejus radices. 118. 4
Insensibilitatis remedia. 156. 6
Insidiæ Christo factæ. 278.
Sunt occasio revelationum. 279. 4
Invidia sancta in Simonem Cyrenæum. 472. 6
Invitatio Christi in cor. 381. 3
S. Joannes Baptista Christum statim novit. 180. 1. 2
Christum semper Messiam fassus. 181. 3
Obediens Christo. 181. 2
Christo præpositus. 270. 4
S. Joannes Evang. B. Virgini refert de Christo. 538. 3
B. Virgini commendatur. 541. 7
Jonas Christo comparat⁹. 285. 2
Jobo Christus similis in utero materno. 13. 3
Irrisus Christus ab omnibus in Cruce. 521. 4. 5
Irrisæ Christi doctrinæ. 518. 1. 2. 3.
Irrisio doctrinæ Christi, pœna maxima. 250. 3
V. etiam Illusio, Contempt⁹.
Itinera Christi. 219.
V. etiam Via.
Judas falsus amicus. 317. 2
Christum traducit. 318. 2
Sinit sibi lavari pedes. 318. 3
SS. Corpus Christi sumit. 318. 3
A Christo humaniter habitus. 320. 1
Christum contemnit. 322. 4
Habet imitatores. 222. 4
Apostatarum antesignanus. 325. 1
Christum tradit. 326. 2
Osculatur. 328. 5
Perditus. 530. 2
Christo durior ejus interitus. 530. 2
Judæi indurati. 232. 1. 2. 240. 2
Christum duritiâ suâ affligunt 134. 3
A Deo beneficiis ornati. 239. 2
Malè de Christo judicârunt. 24. 1

Judæi Joannem Christo prætulissent. 270. 4
Christo insidiati. 278. 2
Ingrati. 287. 1
Simulatores. 395. 1
Successu contra Christum gaudent. 408.
Barrabbam volunt. 420. 3. 423. 2
Judex Pilatus præoccupatus. 386. 2
Judices Christum sistunt. 335. 1. 2
Quaterni. 336. 3
Christum non agnovere. 341. 3
Contra Christum corrupti. 356. 3
Judicium proprium radix inobedientiæ. 118. 4
Est fallax. 125. 3
Ei non fidendum. 250. 7
Judicia hominum non sequenda. 171. 6
Non curanda, sed Dei. 176. 4
Sinistra. 177. 5
Sinistra De Christo. 244
Sinistra de pietate. 245. 2
Christo gravia. 246. 3
In proximum, mala. 247. 4
Oriuntur à malo corde. 247. 4
Humilitate corriguntur. 248. 5
Spernenda. 248. 6. 254. 6
Mundi, de servis Dei. 249. 6
Judicia non retorquenda. 249. 6
Quomodo superanda. 250. 7
Mores produnt. 252. 3
Toleranda cum humilitate. 254. 5
Curare, superbiæ est. 254. 6
Mater sunt murmurationis. 256. 1
Non fugienda. 339. 8
Dei inevitabilia. 251. 1
Sola timenda. 251. 2
S. Justinus conversus alacritate SS. Martyrum. 107. 7
Jus pervertit obstinatio. 386. 2
Justitia quid. 153. 1
Condemnatur. 337. 5

L

Labor Christi, obeuntis terras. 220. 3. 4
Labores Christi pro nobis suscepti. 228. 5
Labore omni digna Crux. 480. 4
Lacrimæ Christi Infantis. 43. 1. 2. 3
Mundi, inanes. 47. 6. & 51. 5
Christi, aquæ vivæ. 46. 5
Christi, qua de causa. 49. 2
Sunt causa nostræ lætitiæ. 50. 3
Super Jerusalem. 473. 7
Lampas fiat cor nostrum. 499. 3
Latrones inter Christus Crucifixus. 487. 9

Latro siniſter perditus. 531.3
Ejus crux expetita. 535.4 5
Bonus pœnitens. 531.3
Bonus primitiæ peccatorum. 574.4
Latrone ſumus pejores. 535.4
Laudandus in adverſis Deus. 527.5
Laudes Crucis. 475.2. & ſeq.
Mundi plerumque falſæ. 409.4
Lazarus è cælo guttam petitus. 225.9
Leges à Chriſto in Cruce datæ. 507.7
Lenitas in tractandis animis. 210.6
Non prodeſt malitioſis. 210. 6
Liberalis Deus in ingratos. 332.5
Libertas mala infelix. 331.4
Noſtra, Chriſtum captivat. 383.5
Chriſto donata. 383.5
Licentia peccandi, primus gradus duritiei. 237.6
Ligat Deus animam amore. 333. 7
Ligatus Chriſtus ligat hoſtes. 331 3.4
Linguæ mandatur ſiniſtrum judicium. 257.1
Locus non ſalvat. 532.5
Longa ſatis bonorum vita. 223.6
Lucem ſibi Chriſtus ſubtraxit. 503.2

M.

Magi Chriſtum colunt. 80.5
Majeſtas Chriſti loquentis cum Pilato. 49.3
Celata, ut plus pateretur. 449.3
Malchus Chriſto dat alapam. 337.4
Malevoli, Inſtrumenta diaboli. 386.3
Malitia virtuti inſidiatur. 279.3
Cordis humani. 253.4
Judæorum, Chriſti innocentiam teſtatur. 339.7
Mali non vivunt. 222.5
Terrena petunt. 225.9
A mundo foventur. 420.4
Ad bonum tempore carent. 223.6
Manſiones multæ in corde Chriſti. 214.2
Manſuetudo Chriſti. 221.4
In horto. 327.4
Manus Chriſto ligatæ ligant hoſtes. 331.3.4
Invocatæ in auxilium. 332.5
Ab amore ligatæ. 380.1
Siniſtra priùs affixa Cruci. 485.5
Siniſtra cor noſtrum teneat. 497.7
Chriſti, non fugiendæ. 496.5
Dei, nos ſervant. 344.6
Lotæ, ſcelus non abluunt. 463.5

Mare miseriarum & misericordiæ. 162. 4
MARIA. Vide B. Virgo.
Martyr nullus Christum vincit. 112. 4
Martyres non egent probatione per desolationes. 548.
Martyrum alacritate conversus S. Justinus. 107. 7
Martyrium spiritûs, majus. 548. 1
Mater murmurationis siniſtrum judicium. 256. 1
Mater nostra B. V. ad Crucem dicta. 541. 7
Medicinam Christus pro nobis sumpsit. 557. 1
Mediis consuetis utitur humilitas 193. 4
Mellis favus vulnera Christi. 429. 3. 432. 4
Memoria mortis in Christo. 299. 6
Mendicat Christus corda nostra. 280. 1
Meremur ipsis pœnis. 441. 5
Miracula non petenda. 193. 4
Christus Herodi negat. 397. 4. 401. 1
Christi contempta. 412. 1
Mirari vide Admiratio.
Miser homo sine Deo. 86. 5
Miseriæ, Paradisus. 108. 7
Misericordiâ Dei servamur. 225. 1
Misericordia in Christum nulla. 450. 1
Missionarius primus Christus. 220 3
Molestæ Christo Dei offensæ. 67. 1
Monachorum recreatio, murmuratio. 261. 5
Mores hominum non sequendi. 171. 6
Moriens obliviscitur pœnarum. 570. 4
Mors Christi. 567
Lenta in Cruce. 502. 1
Pilato insolens. 503. 2
Mortis oblivio periculosa. 299. 6
Morti se parandi optimus modus. 569. 4
Mortis genus Judæi Christo dictârunt. 464. 7
Mortificatio sit cum jejunio. 185. 7
Tentationes præveniat. 431. 7
Moyses famem non sensit. 182. 4
Ærumnis exercitatus. 301. 2
Cum Christo de Ærumnis agit. 302. 3
Mulier B. V. ad Crucem dicta. 541. 7
Mulier Samaritana Christum recreat. 224 7
Mulieres Christum lamentantes. 472. 7

Mundus aliter punit, quàm Deus. 110. 3
Malè judicat de servis Dei. 249. 6
Quis dicatur. 249. 6
Judicat juxta mores suos. 252. 3
Perseverat propter Electos. 304. 6
Ejus gubernatio pendet à Sanctis. 304. 5
Genium habet à Christo diversum. 351. 4
Die Paraseeves malè usus. 385. 1
Veritates Dei non capit. 401. 1
Malos fovet. 420. 4
Christum est ultus. 561. 6. 566. 2
A Christo in Cruce damnatus. 512. 2
Ei tributum non dandum. 354. 8
Murmuratio filia sinistri judicii. 256. 1
Carnifex mali judicii. 256. 1
Ferè nemini parcit. 257. 1
Multa bona impedit. 258. 2
Deo exosa. 258. 2
A Christo tolerata. 258. 2. 268. 2
Non vitatur satisfactione. 258. 3. 4
Murmuratio silentio & constantiâ vincitur. 259. 3
Malum incurabile. 260. 5
Decreatio est Monachorum. 261. 5
Spernenda. 266. 6
Mutat nos amor in Deum. 405. 7
Myrrha Christo datur. 484. 3

N.

Nativitas Christi. 33. 1. 2. 3
Ærumnosa. 35. 5
Natura querula. 560. 5
Ejus infirmitas superanda. 300. 8
Necessitates nostræ ad Deum aspirant. 159. 1
Necessitatis specie dæmon tentat. 190. 1
Negligentia nostra deploratur. 188. 3
Dæmonem roborat. 201. 5
Nomē bonum nos decipit. 403. 5
Notus in Cruce Christus. 500. 4
Nox capti Christi in carcere. 378. 4
Irrequieta. 381. 2
Nudus Christus. 429. 2. 432. 1. 483. 1. 484. 2. 488. 1
Cur mori voluerit. 491. 6
Nudam vult animam. 491. 6 7. 8
Nunc dimittis: explicatum. 94

O.

Obediamus amori. 127. 3
Obediens Deo curæ. 125. 3
Non facit discrimen inter jubentes. 127. 4

Obedientium tria genera. 119. 5
Obedientia primum opus Christi. 2. 3
Prima Christi Sermonis materia. 115. 1
Triumphat. 116. 2
Probatio est amoris. 117. 3
Arbor est scientiæ. 117. 3
Perfecta unde. 120. 6
Falsa. 121. 6
A Christo docetur. 124. 3
Christi erga carnifices. 126. 4
S. Joannis Baptistæ. 181. 2
Est amoris vinculum. 330. 2
Est humilitatis filia. 514. 3
Oblatio sui. 87. 7. 91. 2
Christi. 89. 1. 92. 3
Operibus præmittenda. 484. 2
A Christo facta sui & singulorum membrorum. 3. 4
Oblivio mortis periculosa. 299. 6
Oblocutio v. Contradictio, Murmuratio.
Obsequia etiam imperfecta suorum Christo placent. 211. 7
Obstinatio Judæorum. 232. 1. 2
Peccatorum. 428. 1
Pervertit jus. 386. 2
Facit Dæmoni similes. 236. 5
Lenitate non emendatur. 210. 6
V. Duritiei.
Obtrectator V. Murmuratio.
Occasione Deus ad salutem nostram utitur. 76. 3
Judas abusus. 530. 2
Latro malus abusus. 531. 3
Occulta vita Christi. 116. 2
Oculi hominum, ut Basiliſci. 177. 5
Christi, velati. 358. 6. 363. 5
Sicut Moysi. 519. 1
Officium non parit dignitatem. 173. 7
Omnia nobis Christus secum dedit. 508. 1
Crux confert. 510. 4. 5
Optio inter Christum & Barrabbam. 421. 5
Orandum pro calumniantibus. 173. 7
Oratio neglecta facit pauperem spiritu. 132. 5
Dominica, explicata. 164
Contra tentationes. 199. 4
Contra murmurationes. 267 7
Christi, in horto. 313
Christi, in carcere. 378. 4
Solatur in ærumnis. 378. 5
Christi, ad crucem 474. 1
Christi in cruce jacentis. 494. 2
Operibus præmittenda. 484. 2
Osculum Judæ. 328. 5

P.

Paradisus Christi, homo. 15. 5
19. 5
Christus, hominis. 19. 5. 6
Malè hîc à nobis quæritur. 18. 4
Crucis, melior paradiso voluptatis. 107. 7
Paralyticus peccator à Christo missus in Piscinam. 558. 5
Parandi se ad mortem modus optimus. 569. 4
Parentibus Christus subditus. 115. 1
Parva severè cur punienda. 431. 6
Passio Christi totâ vitâ duravit. 294. 2
Ejus mentio Christum delectat. 302. 3
Cœpit à falsâ amicitiâ. 318. 4
Immutat animum. 329. 6
Piorum consolatio. 369. 6
Ejus primus fructus, pœnitentia S. Petri. 370. 7
Passus cur tanta Christus. 367. 3. 4
Pater testatur, Christum non esse peccatorem. 181. 3
Christum & imitatores ejus amat. 302. 4
Filium ostendit: Ecce Homo. 557. 3
In manus tuas, &c. 569. 3
Patria crucifixorum, cælum. 523. 7
Patiendi desiderium habendum. 173. 7
Fuit in Christo. 294. 401. 1
Crescit spe præmii. 300. 1
Signum veri amoris. 561. 5
Pati pro Christo dulce. 111. 3
Nos horremus. 112. 5
Christum amor cogit. 305. 1
Ceu malum, difficile. 411. 6. 415. 5. 416. 6
Summum bonorum præmium. 482. 7
Innocentem, summa virtus. 520. 3
Pro Christo posse, delectet. 526. 3
Ob virtutem, triste. 526. 3
Patientia Dei circa nos. 9. 5
Erga peccatores. 147. 2
Christi, inter homines. 174. 1
In tolerandis suorum defectibus. 209. 5
Nos exspectantis. 215. 3
Erga peccatores. 221. 4
Falsorum testium difficilis. 349. 6
Dolorem lenit. 357. 4
Facit Deo charum 496. 6
Pauper Christus nostrâ causâ. 134. 2
Pauperes amat. 137. 4
Pauperes spiritu, negligentes orationis. 132. 5

Pauperes ſolentur ſe exemplo Chriſti. 57. 3
Pauperum duo ſtatus. 131. 5
Paupertas ſpiritûs quid. 131. 4
B. Virginis in Purificatione. 89.
Chriſti. 129. 2
Extrema. 515. 4
Perfectionem promovet. 130. 3
Quàm ſit excellens. 138. 5
Fiduciam in Chriſtum confert. 139. 6
Comitem habet pœnitentiam. 140. 1
Pax à Chriſto nato allata. 35. 4
In Religione quærenda. 172. 7
Inter Pilatum & Herodem. 396. 2
Peccandi conſuetudo mala trahit. 560. 1
Peccandi licentia, gradus duritiei. 237. 6
Peccans & jejunans dæmoni ſimilis. 185. 7
Peccantes videre, Chriſto grave. 167. 1
Peccator Herodi ſimilis. 113. 6
Deformat Chriſtum. 370. 1
Conſpui dignus. 371. 2
Non vult videri, qualis eſt. 372. 3
Chriſto Barrabbam præfert. 421. 6
Ejus perſonam Chriſtus ſumit. 422. 1. 424. 5
Peccatoris deprecatio. 149. 4
Superbia. 73. 5
Infelix ſtatus. 428. 1
Peccatores Chriſtus adit. 262. 2
Tolerat. 147. 2
Ut Sol oriens illuſtrat. 20. 2
Peccata initio levia videntur. 463. 5
Quàm ſint gravia. 44 3
Non agnoſcimus. 142. 3
Semper ſunt in oculis Chriſti. 148. 3
Chriſto doloris cauſa. 155. 5. 307.
Expendenda. 393. 3
Gravia à Judæis neglecta. 395. 1
Graviùs Chriſtum preſſere, quàm Crux. 471. 5
Peccatum unum eſt cauſa alterius. 560. 1
Unum trahit aliud. 437. 1
Pilati minus, quàm Judæorum. 462. 3
Eo delectari, gradus duritiei. 237. 7
Peccatorum duæ facies. 487. 8
Peccatis obſita loca Chriſtus adiit. 219. 1
Perditio Judæ & latronis. 530 2. 3
Peregrini hîc ſumus. 97. 2
Eos imitemur. 81. 8
Perfectionis ſtudioſus putat ſe minus facere, imperfectus, plus. 131. 4

Perfectionem promovet paupertas. 130. 3
Perfecti cur non statim Apostoli. 211. 8. 213. 1. 2
Permissio Dei non minuit peccatum. 462. 3
Permutatio inæqualis cum Christo. 230. 9
Christi & Barrabbæ. 421. 3. 4. 5. 6. 422
Persecutio Christi ab Infantiâ à Potentibus. 81. 9
Cum spe toleretur. 173. 7
Maxima à potentibus. 522. 6
Pedes Christi amplectendi. 489. 1
Non figendi. 496. 5
Petri Pœnitentia, fructus Passionis. 370. 7
Pharisæorum in Christum odium. 376. 1
Pignus, Christus in Cruce, & Latrones. 501. 6
Pilatus à Sacerdotibus præoccupatus. 386. 2
Herodi conciliatus. 396. 2
Christum accipit. 417. 1
Studet eum liberare. 419. 3. 428. 2. 430. 1. 556. 1
Jubet flagellari. 428. 2
Deum timuit. 461. 2
Christum examinat. 461. 3
Minùs peccavit Judæis. 462. 3
Christum condemnat. 463. 5. 560
Titulum Crucis non mutat. 488. 9
Pilatus miratur, Christum obiisse. 503. 2
Piscina sanguinis Christi. 558. 5
Placere nulli velimus. 171. 6
Hominibus cupimus. 74. 6. 403. 5
Pœnis præmia meremur. 441. 5
Pœnarum obliviscendum in morte. 570. 4
Pœnitentes cælũ implent. 114. 6
Rarò sunt juvenes. 142. 3
Christo sunt familiares. 152. 7
Pœnitentia paupertatis comes. 140. 1
Ejus vera signa. 142. 3
Usque ad mortem duret. 143. 3
Ejus regulæ. 144. 4
Sit culpæ proportionata. 144. 4
Boni latronis. 531. 3
Populi de Christo opinio à Judæis perversa. 356. 2
Populo exosus factus Christus à Sacerdotibus 386. 2. 3
Potatus Christus felle. 483
Potentes Christum maximè persecuti. 522. 6
Potentiæ divinæ est, peccatorem frangere. 197. 1
Gubernationem moderatur. 304. 5
Prædestinatio Sanctorum mundi gubernationem moderatur. 304. 5
Vide Electi.

Prædicandi initium fecit Christus in Capharnaum, 220. 2
Prædicantis Christi labores. 219. 1. 220. 2. 3. 4. 5
Prædicationis brevis, maximi fructus. 222. 5. 223. 7
Præmium est, pati. 482. 7
Pœnis meremur. 441. 5
Ejus spes auget patientiam. 300. 1
Præparatio optima ad mortem. 570. 4
Præsentatio Christi. 89. 1
Præservatio à peccatis major, quàm venia. 248. 5
Præsumendum nuspiam de salute. 532. 5
Præteritæ vitæ dolor. 91. 2
Prætextus vani imperfectorum. 144. 4
Prævenit nos gratia Dei. 84. 3
Prævidit Christus suas ærumnas. 2. 3. & 6. 2
Pretium ingens Crucis. 480. 4
Primitiæ sanguinis Christi in Circumcisione. 68. 5
Primitiæ peccatorum, anima latronis. 574. 4
Primus Missionarius Christus. 220. 3
Primus Petrus fructum cepit Passionis. 370. 7
Prima urbs Capharnaum Christum audiit prædicantem. 220. 2
Prima sub vexillo Crucis B. V. 471. 4. 479. 2
Primum Dei imperium, amor. 127. 5
Christi verbum, de obedientia. 115. 1
Principes maximè Christum persecuti. 522. 6
Maximè se decipiunt. 398. 6
Prodigo pejor avarus. 132. 5
Proditor Christi nemo sit. 321. 2
Ne sit, quisque timeat. 321. 3
Vide etiam Judas.
Professio virtutis facienda. 168. 3
Propensio hominis ad malum ab ortu. 7. 3
Pudere crucis neminem debet. 469. 2
Punit mundus aliter, quàm Deus. 110. 3
Deus non libenter. 105. 5
Puritas animi in Religione quærenda. 172. 7

Q.

Quærendum in Christo nil, præter Christum. 134. 2
Quærentem nos Deum fugimus. 226. 2
Quæsivit nos Christus solicitè. 227. 4
Quatuor viæ Christi passi 387. 4
Quatuor judices Christi. 336. 3
Querelæ in cruce cavendæ. 485. 6

Querelæ contra obtrectatores cavendæ. 260. 4
Apud Deum deponendæ. 260. 4
Quies an in Religione quærenda. 172. 7
Christi est, in animâ, & benefacere. 263. 3
Christi, in corde hominis. 381. 2
In cruce. 476. 5
In solo Deo. 97. 3
In honoris contemptu. 340. 9
In inquisitione vitæ æternæ. 225. 8
In Religione penes quem. 121. 6

R.

Radices inobedientiæ. 118. 4
Raptatio Christi per plateas. 385.
Per Cedron. 336. 3
Recreatio Monachorum murmuratio. 261. 5
Redempti cur tanto pretio sumus. 69. 6
Redivivus, denuo malus, damnatus 532. 5
Refocillatio Christi, prodesse. 224. 7
Reformemus nos ipsos. 173. 7
Regendi tentatio non rara. 195. 6
Regi à Deo, optimum. 314. 2
A se, pessimum. 314. 3
Voluntate Dei, magna gratia. 121. 1
Regulæ inter Religiosos vivendi. 172. 7
Jejunii moderandi. 186. 7
Relapsûs dolor. 86. 6
Religio vana Judæorum circa Pascha. 395. 1
Religiosi injurias tolerent. 359. 8
Aulas fugiant. 396. 3. 4
Quomodo vivant. 172. 7
Remedium nostrum, Deus offensus. 148. 2
Reprehensiones spernere tertius gradus Duritiei. 238. 7
Repressio fervoris, ærumna Christi. 21.
Reprobationis signum, non gustare cælestia. 156. 5
Resignatio in voluntatem Dei 315. 4
Optima præparatio ad mortem. 570. 4
Resipiscere noluit redivivus, 532. 5
Rex Christus illusus. 447. 1
Est verus rex. 449. 3. 455. 4
In cruce. 488. 9
Ruditas discipulorum. 206. 1. 207, 2, 3, 4

S

Sabbatum Christi, benefacere. 263. 3

Sacer-

Sacerdotum Consilium contra Christum. 376. 1
Salomon Christo minor. 284. 2
Salus animæ quanti sit. 183. 6
Sitienda. 561. 7
Nostra, Christo honore suo potior. 533. 1
Salutatio Christi ridicula. 448. 2
Sancta. 453. 2
Samaritanus Christus. 264. 3
Sanctificata Crux à Christo. 493. 1
Sancti possumus ubiq; esse. 170. 4
Quanta passi pro salute. 184. 6
Voluere haberi pro stultis. 367. 5
Sanguis Christi primò fusus in circumcisione. 68. 5
Lavat nos. 436. 7
Super Judæos. 463. 5
Sanguine semper lota Ecclesia. 106. 6
Sanguina nostro solus Deus dignus. 106. 6
Sapientia Christi à mundo diversa. 400. 8
Crucis summa. 473. 8
Satisfacere Deo, facile. 255. 7
Satisfacere volens non vitat murmur. 258. 3. 4
Scientiæ arbor, obedientia. 117. 3
Securitas salutis non præsumenda. 532. 5
Sensus Christi nullus sine dolore. 504. 4
Sententia mortis in Christum. 460.
A Christo quomodo acceptata. 464. 6
Separat nil amantem à Christo. 281. 2
Sequendus Christus. 179. 8
Non homines. 177. 6
Sermones hominum spernendi. 172. 6. 265. 5
Serviendum omnibus. 173. 7
Servitus libera, amor Christi. 334. 8
Servi Dei solentur se in murmuratione. 358. 2
Malè judicantur à mundo. 249. 6
Eis contradicitur. 271. 4
Signa Christo mortuo. 570. 5
Silentium vincit murmura. 259. 3
Christi sanctum. 337. 4
Christi coram Herode. 398. 5
Christi inter injurias. 452. 1
In Crucifixione. 485. 6
Hostes triumphat. 339. 9
Silere virtutis est. 170. 5
Simeon non fuit Sacerdos. 90. 3
Simon Cyrenæus fert crucem. 472. 6
Felix cum cruce. 482. 8
Vide etiam Cyrenæus.
Simulatio Peccatoris. 74. 6

Simulatio Dæmonis tentantis Christum. 191. 2. 193. 5
Judæorum. 395. 1
Sinistra Christi priùs affixa. 485. 5
Cor nostrum teneat. 497. 7
Sitis, Christi. 557. Qualis. 559. 4
Nostræ salutis. 562. 1
Amore sedatur. 563. 1
Salutis habenda. 561. 7
Patiendi, signum veri amoris. 561. 5
Socius pœnæ libenter est Christus. 109. 2
Sol oriens peccatoribus Christus. 220. 2
Solatium v. consolatio.
Solitudo beata cum Christo. 190. 5
Speculum Christus in cruce. 516. 5
Spem nostram Christus superat. 82. 1
Inter adversa habenda. 173. 7
Non sit ad humana. 397. 4
Pilati elusa. 460. 1
Spinas cor nostrum Christo tulit. 64. 8
Spinæ coronæ è cedro. 438. 2
Peccata nostra. 439. 3
Consilia & judicia mala. 440. 4
Pœna Adami. 441. 5
Adami, factæ à Christo pretiosæ. 444. 4
Spiritus S. testatur, Christum non esse peccatorem. 181. 3
Sponsa Christi, crux. 470. 3
Status animarum perfectè Deum amantium. 547. 1
Stella magorum, Cometes fuit. 78. 3
Stimulus S. Pauli, falsi amici. 307. 1
Studia hominum vana. 160. 7
Stultitiam pro Christo amor docet. 402. 3
Stultus Christus habitus. 395. 398. 5. 6. 7. 8.
Stulti qui. 184. 6
Voluere haberi sancti. 367. 5
Subditus parentibus Christus. 115. 1
Subtilitatis dos in anima amante. 517. 8
Successu fraudis Judæi gaudent. 408. 3
Sufficit nobis Christus. 135. 3
Superbia nostra circumcisione Christi confusa. 66. 2
Peccatoris. 73. 5
Curat humana judicia. 254. 6
Humanæ mentis. 349. 1. 351. 4
Causa impatientiæ. 526. 4
Veritates Dei nõ capit 401. 2

Super-

Superflua non petenda. 144. 4
Superiores sint humiles. 120. 5
In zelo periclitantur. 158. 7
Eorum favor non quærendus. 172. 7.
Suspectus Christus amicis. 406. 1
Et ejus doctrina. 407. 2
Synagoga Christo spinas imponit. 450. 2

T

Taceo V. silentium.
Temporalia præ æternis curantur. 98. 4
Tempus perditum dolet. 91. 2
Malis ad bona deest. 223. 6
Christo breve, sed fructuosum. 222. 5. 223. 7
Tenebræ Christum contristant. 503. 2
Tentatio Christi à variis. 278. 1. 2
A Dæmone. 190.
Qualis. 191. 3
Tres ejus causæ. 196. 8
Regendi, non rara. 195. 6
Venit specie boni. 190. 1
Prodest. 196. 197. 8
Tepiditas nostra. 71. 1
Terræ motus Christo in cruce doluit. 503. 2
Testamentum novum cur sic dictum. 507. 6
Testimonia falsa in Christum. 345. 1. 2. 347. 4
Ferre, difficile. 349. 6
S. Joannis de Christo. 181. 3
Thesaurus, Christus venditus. 323. 6
Timendum nil cum Christo. 281. 3
Timenda judicia Dei sola. 251. 2
Timor displicendi sternit animos. 259. 3
Futuri, Christum cruciat. 299. 7
Dei in Pilato. 461. 2
Cæsaris prævaluit. 463. 5
Titulus Crucis à Pilato retentus. 488. 9
Tormenta amore dulcia. 525. 1
Tortores Christi viles. 504. 3
Transfiguratio Christi. 300. 1
Tres regulæ pro vita communi. 168. 3
Causæ tentationis Christi. 196. 8
Horæ, luctæ Christi 307. 5
Tribunalia Christus adit. 335. 1. 2
Tributum mundo non dandum. 354. 8
Tristitia Christi in horto. 305. 307. 5. 308.
Triumphus humilitatis & obedientiæ. 116. 2
Tunica Christi inconsutilis, doloris causa. 469. 2

V

Vaccæ 1. *Reg.* 6. Naturæ oblitæ. 560. 5
Valedictio Christi ab anima. 573. 4
A Beata Virgine. 537. 2
Vana hominum studia. 160. 2
Desideria, deplorata. 161. 3
Venditus Christus, thesaurus. 323. 6
Veritates Christi irrisæ. 518. 1. 2. 3
Maximo Christi dolore. 520. 3
Vermiculi, humiles, in facie Christi. 369. 6
Vermis Christus. 372. 4
Peccator, in Christo sit. 373. 5
Veste sua tectus Christus Crucem tulit. 469. 2
Vestes Christo detractæ. 483. 1. 484 2
Sine illis Christus mori voluit. 491. 6. 7. 8
Vexillum Crucis Christus prætulit. 471. 4
Via Christi ad Crucem, nobis ad Deum. 387. 4
Secura ad cælum in contemptu. 409. 4
Pravæ, detestandæ. 391. 3 4
Christi, contemplandæ. 391. 1. 2. 394. 5
Christi quaternæ, in Passione. 387. 4
Viles amandi. 172. 7
Christi tortores. 494. 3
Non censendi, ab officio. 173. 7
Vilis Christus populo factus. 386. 2. 3
Conditio, cogitanda in dignitate. 388. 5
Vilia mali petunt. 225. 9
Vincimus armis dissimilibus. 524. 8
Vincula Christi, funiculi Adam. 383. 6
Vindictam à nobis creaturæ sumant. 342. 4
Vindicta de alapis non sumenda. 362. 3
Vindicta mundi de Christo. 561. 6. 566. 2
Violentia amoris à Christo cohibita. 21. 1. 2
Virtus sequenda. 173. 7
Docet tacere. 170. 5
Contra malitiam sibi sufficit. 219. 3
Sine obtrectatione otiosa. 261. 5
Potest inter homines servari. 169. 4
Christi, Judæis molesta. 355. 1
Viscera nostra Christus amat. 15. 5
Sunt ei Paradisus. 15. 5. 19. 6
Vita Christi occulta. 116. 2
Tota ærumnosa. 567. 1

Vita Christi cur fuerit communis. 167. 2
Bonorum satis longa. 223. 6
Bona cõservat famam. 348. 6
Vitæ æternæ cura dat quietem. 225. 8
Vitæ communis regulæ. 168. 3
Vitia solis virtutibus superanda. 279. 3
Vivere non censendi mali. 222. 5
Vivere non potest, non amans JESVM 282. 4
Ultio. Vide vindicta.
Vocatio, stellæ similis. 85. 4
Apostolorũ. 206. 1. 207. 2. 4
Mundi. 123. 2
Voluntas Dei solius sancta. 468 6
Ei nos tradamus. 468. 7
Eâ regi, magna gratia. 121. 6
Bona, Christo placet. 38. 2
Generosa, dæmonem fugat. 195. 7
Votum Crucis. 481. 6
Urbes multæ in Judæa. 220. 3
Corruptas Christus adiit. 219. 1
Vide etiam, Civitas.
Uteri materni Ærumna. 11. 1.
Vulnera Christi quot. 429. 2. 434. 3
Sunt favus mellis. 429. 3. 434. 4
Vultus. vide Facies.
Uxor Pilati à diabolo instigata. 428. 1

Z


Zachæi domum Christus aliis præfert. 264. 4
Zelus Christi pro honore Patris. 43. 1. 525. 1
In prædicatione. 220. 2. 3 4. 533. 1
Sit discretus. 157. 7
Est fames & sitis. 154. 3. 4
Ejus conditiones. 158. 7
Apud Superiores periclitatur. 158. 7
Prætextu decipit. 522. 6. 534. 8

ERRATA.

Folio 25. v. 8. Teneris l. Terrenis.
27. v. 2. vides l. video.
Ibid. v. ult. Ardet l. ardeat.
90. v. ult. viedam l. videam.
92. v. 6. clamabam l. clamabo.
103. v. 24. consolabilem l. inconsolabilem.
108. v. 14. gratis l. gratiis.
Ibid. v. 6. à fine at l. ut.
Ibidem quantam l. quantùm.
110. v. 11. habeas l. habebas.
111. v. 12. à fine, bene l. bone.

Minoræ benevolus Lector ignoscet.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN